# CARMINA

# VALERII CATONIS

CUM

AUGUSTI FERDINANDI NAEKII

ANNOTATIONIBUS.

---

ACCEDUNT

EIUSDEM NAEKII DE VIRGILII LIBELLO IUVENALIS LUDI, DE VALERIO CATONE EIUSQUE VITA ET POESI, DE LIBRIS TAM SCRIPTIS QUAM EDITIS, QUI CARMINA CATONIS CONTINENT, DISSERTATIONES IV.

---

CURA

LUDOVICI SCHOPENI.

---

BONNAE

APUD H. B. KOENIG

MDCCCXLVII.

COLONIAE, IMPRESSIT CHR. GEHLY.

FRID. TH. WELCKERO

FRID. DIEZIO   CHR. LASSENO

INTER PHILOLOGOS BONNENSES

N A E K I I

DUM IN VIVIS ERAT

AMICISSIMIS.

Inter Latinarum litterarum monumenta nullum facile est, quod vir eximius multisque mihi nominibus carus, Augustus Ferdinandus Naekius, et diutius et uberiore cum fructu tractaverit, quam quae Valerii Catonis supersunt carmina duo. Utebatur adhuc disciplina Godofredi Hermanni, cum primum in hunc poetam incidit, commentationemque de locis nonnullis depravatis, quos emendasse sibi visus erat, scripsit. Cuius iuvenilis operae eum nec postea poenituit; quin etiam in annotationibus memoriam illam extare voluit, grata, ut ipse testatur, recordatione magistri summi, qui speciminis censuram in Societate Graeca fecerat. Mox, inito edendi Catonis sui consilio, cum tantas et emendationis et interpretationis copias laboriose ac feliciter sibi parasset, quantas haud scio an nullus unquam editor ad libellum eiusdem quidem moduli, anno 1828. operae a se his carminibus navatae quasi gustum dedit, edita dissertatione de Battaro Catonis, quae Museo Rhenano Vol. II. p. 113. inserta legitur. Eo tempore summa operi instabat alacritate, nec dubitabat, quin libri editio paucorum mensium intervallo absoluta foret. Sed dum Catonem, nescio qua diffidentia et calumnia sui, licet extremam ei manum imposuisset, tamen emittere in lucem cessat, incidit in morbum, quo vir exoptatissimus et longiore, si quis alius, vita dignissimus nobis litterisque nostris necopinato ereptus est. Ita destituta Catonis editione, equidem pro summa, quae mihi cum Naekio intercesserat, familiaritate meum esse putavi, opus, quasi orbum parente, in tutelam recipere, omnique cura efficere, ut, quantum in me esset, tam caro nomine dignum prodiret. Nec sane res intra longinquam exspectationem haesisset, nisi cum alia obstitissent impedimenta, quae commemorare nihil attinet, tum praecipue fastidium librariorum, qui hodie fere in tot frivolis lepidam chartam perire malunt, quam bene de libris eruditis

mereri, praesertim si interioris toti sunt doctrinae et antiquam illam studiorum ubertatem ac copiam referunt. Nactus tandem eiusmodi opportunitatem edendi, qualem optaveram, Naekiana omnia, prout in schedis nitidissime descripta repperi, fideliter exhibui, ea tamen cautione, ut nonnulla tacite corrigerem, quae Naekium ipsum, si recognoscere sua per fata licuisset, correcturum fuisse confidebam. De meo nihil addidi, praeterquam quod indicem confeci: quo liber ad usum commodior fieret. Insperato autem contigit, ut supellectilis criticae ad Catonem accessionem haud spernendam nanciscerer. Nimirum praeter utrumque MS. Monacensem, quo Naekius usus est, duo alii in eadem Bibliotheca asservantur codices Virgiliani, in quibus Dirae insunt. Alter codex est Tegernseensis saec. XI. fol. max. binis columnis scriptus; alter Weyhenstephanianus scriptus ab Alto Abbate, saec. XIII. forma quarta. Vid. Iul. Sillig. ad Virgil. ed. Wagner. Vol. IV. p. 337. Ex his codicibus cum Maur. Hauptium, amicum iucundissimum, rescivissem varietatem scripturae pridem sibi enotasse, facile ab eius humanitate impetravi, ut collationem mecum communicaret. Ac sane utriusque cod. lectiones sua quamque sede inseruissem, nisi tum, cum de Hauptii apparatu certior fierem, aliquot iam plagulae de prelis exissent. Itaque hic visum est eas subiungere: in quibus exsignandis Hauptius usus est H. Meyeri Antholog. Tom. I. p. 30.

DIRA MARONIS *T.* INCIPIT DIRA MARONIS *W.* 1. BATIRE ET GNEAS *T,* BATTARE tigneas *W.* 3. Dura *TW.* impia *TW.* 4. rapiunt hedi *TW.* 6. gliscet *in rasura T.* 7. *post* fient *interpung. T.* libera fata *TW.* 8. syluis *T.* fata ligurge *T,* fata lygurge *W.* 9. impia *TW.* 10. foecunda *W.* nostris *TW.* 13. flumina montes *TW.* 15. sulcis *TW.* 16. aestus sicientia *T,* aestas sit. *W.* 19. gramen avenis *TW.* 20. haec ueneris *TW.* florentem *TW.* 21. quae pingit auena colore *TW.* 23. mittent *TW.* uenena *T, antea* uenera. 26. ludimus *TW.* 27. syluarum *T.* uirectis *TW.* 28. tondemus *TW.* 29. mollis *TW.* 31. militis in platanis succedet *T,* im plat. *W.* 32. cadunt *TW.* 33. ueris *T,* iteris *W.* regna *TW.* 34. nequiquam *TW.* potius deuote *TW.* 35. iuppiter *TW.* 36. iuppiter h. aliud *TW.* fiet *T,* fiat *W.* 37. trhecistum *T,* threcistum *W.* 38. purus ag. mixtam *TW.* 39. Affricus *TW.* nymbis *T.* ymbrem *TW.* 40. respondens *TW.* sylua *T.* 41. non iterum dicens crebro t. l. dixi *TW.* 43. aurae *TW.* 44. et arbor ar. *TW.* 45. quae *TW.* metita *W.* im-

pia *TW*. 46. fines *T*, *antea* finis. fecit *TW*. 48. limphis *TW*. 49. dulcis *TW*. 51. harena *TW*. 53. libicae *TW*. 54. reuocasset *TW*. 55. nigra multo *TW*. 58. agit infesta *T*, ait infessa *W*. 60. cinerem *om*. *W*. exhauriet *TW*. 61. mare *om*. *W*. caneto *T*. 62. impia *TW*. 63. tuis infundimus auris *TW*. 64. nostris *TW*. 65. flumina retro *W*. *Aberravit librarius ad v*. 67. *quapropter media desunt*. 66. meritis *T*. 67. currentis nimphas *T*. 70. n. n. exire s. erroribus *TW*. 72. sicco *T sequente rasura*, sicca *W*, *antea* ceca. 73. spinas *TW*. 74. coculet arg. grilli *TW*. 76. ymbres *T*. 78. quid dominis infesta minantes st. relinquunt *TW*. 79. elapsa *TW*. 80. aduena *T*, *antea* aduenena. 82. parcarum cr. *TW*. 83. discordia cuius *TW*. 84. exul *TW*. 86. detumulo *T*. 87. syluas *T*. 88. obst. colles campos audire lic. *T*, campos audire licebat *W*. 89. lycida *TW*. 91. a miserae *W*. 92. pabula nota *TW*. 93. et prima *TW*. 94. *post* campos *interp*. *W*. manet ēē (*rasura T*.) sine illis *TW*. 96. mecum *om*. *W*. 97. auena *W*, *antea* carmen. 98. fiant *TW*. 99. cernant *TW*. 101. emigrent *W*. 102. quam uis *bis W*. 104. agri *om*. *W*. 105. mea quo form. *TW*. 109. medicatur *W*. carmine *T*. 114. uiridem digitis *TW*. 115. dulcia n. t. n. uitecula bacho *TW*. 116. uenerem spumantia flores *TW*. 118. narrabis *TW*. 119. syluae *T*. 121. labantes currite l. *T*, currite *W*. 122. iocundas *TW*. 125. et male *T*, at male *W*. tabescant *TW*. 127. illa puella *TW*. 128. ac form. *W*. 130. iuppiter au. aurem *TW*. 131. et *superscr*. *T*. ate *W*. 132. captant *T*. 133. syluis *T*. 134. hedorum *TW*. 135. praeruptaque sax. p. *T*. 136. s. t. si uis n. *T*. *idem W*, *antea* siluis. 138. quodcumque *W*. 139. inter pellatos n. plorabit am. *W*. 140. uobis *TW*. fuisset *TW*. 142. sydera *TW*. 143. inque u. phoebus (phebus *W*.) currens atque aur. orbis *TW*. 146. pheope gerens *T*, phoebe ger. *W*. 147. et quae pompa deum non siluis fama locuta est *TW*. 148. omnia uos estis sec. s. g. gestat *TW*. 149. aut insparsa uidet *TW*. 150. secula *T*. 151. similisque foret m. *TW*. 152. praeter ea *T*, praeterea *W*. 153. sciuit capt. *TW*. 154. caelicolae *T*, celicolae *W*. qui etas *T*, quietas *W*. 156. ego *TW*. primus *T*, *antea* pimus. 157. uitam ceptare (*rasura*) puellam *T*, uitam temptare puellam *W*. 158. inm. meae cogor nece s. f. *TW*. 159. facti m... culpa m. *T*. 160. laetum *T*, loetum *W*. 161. morereretur *W*. 162. primum *TW*. 163. diceret *TW*. 164. impia uota *TW*. 166. iuppi-

ter *TW*. mendatia *T*. factus *TW*. 167. coniunx *TW*. 168. amorem est *TW*. 169. et mea cum ten. *TW*. 170. quos insuper *TW*. accumbebat *W*, *antea* accumbebant. 171. grandia form. subponens gaudia collo *TW*. 173. hoc certe *TW*. 174. turbabatque mala fuligine barbam *TW*. 176. rubeo cel. *TW*. 177. caelicolae *T*, celicolae *W*. aurea primo *TW*. 180. fors *W*. leua *T*. 181. nascendum *T*, nascendi *W*. quo s. l. est *TW*. 182. tantum uita meae cordis fecere rap. *TW*. 183. occulis *W*.

Hanc lectionum varietatem si quis cum codicibus a Naekio adhibitis comparaverit, liquido constabit, neutrum librum propriae ac novae dotis laude praestare. Quamquam illud singulare est, quod Eclog. v. 32. cod. Tegernseensis *praeruptaque* habet : qua lectione coniectura Burmanni Sec. firmatur, qui scriptoris manum mihi quidem assecutus videtur. Nolo ista nunc persequi longius. Experiri potius libet, antequam praefandi finem faciam, ecquid coniectura mea restitui possit locus obscurissimus, quo nullum apud Catonem, etiam post novissimas curas, inquinatiorem reperias. Versus dico Eclog. 43 — 46. qui vulgo ita leguntur:

*Phoebe gerens in te laurus celebravit amorem,*
*Et quae pompa deum, non silvis fama loquuta est.*
*Omnia vos estis : secum sua gaudia gestat*
*Aut insparsa videt mundo, quae dicere longum est.*

Versu 43. Naekius pro *gerens*, quae est lectio librorum tam scriptorum quam antiquitus editorum omnium, legendum *recens* vidit. Quod inventum, quantumvis egregium, dubitare licet, an versum ab omni corruptela liberum praestet. Quid enim? Codices longe optimi unanimi consensu non *Phoebe* habent, sed *Phoebo*. Unde suspicio mihi orta est, legi oportere :

*Phoebo nata recens laurus celebravit amorem,*

ut eadem sit constructio, qua infra v. 70. Cato utitur :

*et illi*
*Tristi turpabat malas fuligine barba.*

Vid. Burmann. ad Ovid. Met. VI. 659. Cort. ad Lucan. I. 24. VII. 764. Corruptionis origo aperta est. Ubi enim describentium imperitia semel ex *n̄ta* incommodum istud *in te* peperit, nec dativus *Phoebo* amplius congruebat, et transpositione, quo versus staret, opus videbatur. Cuiusmodi interpolationes librariorum, et metro et sensui prospicientium, Naekius in his ipsis carminibus indicavit quam plurimas. Vix opus est addere, satis correctione nostra cautum esse, ne lauri origo nimis ambi-

gue significetur. Iam vero tribus, qui sequuntur, versibus cum eruditi alii aliam medicinam facere frustra tentassent, Naekius, novam emendandi ingressus viam, *nam* pro *non* scripsit, et quae media inter *deum* et *secum* leguntur, per parenthesin inserta statuit. Nempe Catonem vult ad silvas provocare, utpote quae puellarum, a diis amatarum, in arbores, flores, sidera mutationibus interfuissent. In quo primum non intelligo, cur fama poeta ea innotuisse silvis narret, quae accidisse, ipsis quasi inspectantibus, fingantur. Oportebat ista, si quid video, enuntiata per silvas facere: aut provocatione ad eas, tanquam testes, supersedere omnino poterat. Accedit, ut paulo etiam maiore alterum parenthesis membrum laboret difficultate. Nam, ne dicam, nimis dure orationis continuationem interrumpi, vix etiam fieri potest, ut apostrophe ad puellas referatur, cum nec in iis, quae praecedunt, earum mentio fiat, nec pronomen, ut in subitis conversionibus assolet, certior aliqua designatio sequatur. Ipsa autem verba *Omnia vos estis* Naekius ita de puellis accipienda censet, ut significent: *in omnes mutatae formas ac figuras estis.* Quod interpretandi artificium ferri utique posset, si scriptum foret: *Omnia factae estis.* Nunc vereor, ut verbis ulla mutationis olim factae notio subsit. Immo locutio *omnia esse,* certe sic nude posita, ne in usu quidem videtur fuisse nisi proverbialiter de eo, qui quae sunt partes aliorum omnium, solus sustinet, vel qui omnia potest. Vid. Varronis et Lucani locos a Naekio allatos. Quid igitur? Nempe insignem locus suscepit maculam, nec tam leni manu sanandus est. Suspicor olim hic scriptum fuisse:

*Et quae pompa deum non signis furta loquuta est*
*Dulcia? Coelestes secum sua gaudia gestant*
*Aut insparsa vident mundo: quae dicere longum est.*

Loquitur poeta, id quod praeclare et vidit et illustravit Naekius, de pompis apud Romanos solennibus. In quibus cum deorum imaginibus praeter alia insignia etiam amorum, quos illi exercuisse quondam ferebantur, addita conspicerentur monimenta, haud illepide Cato addit, nullam pompam esse, quae non aperte testetur, amavisse etiam deos. Haec universim praemonuisse sufficit. Nunc emendationis, ne quid temere mutasse videar, singulatim rationem reddam. Primum pro *fama* reposui, quod in simile vitium apud Catonem Eclog. v. 63. abiit, *furta*: quo vocabulo furtivos amores saepissime a poetis appellari nemo nescit. Vid. Markland. ad Stat. Silv. I. 2. 59. Prorsus ut noster *furta deum* (haec enim iungenda) Ausonius Epigr. 118, 15.

*Vos magis historicis, lectores, credite de me,*
*Quam qui furta deum concubitusque canunt.*

Tum *Dulcia* scripsi, non quo certum id omnisque dubitationis expers haberem, sed quia nihil repperi, quod magis videretur convenire. Est enim *dulce* perpetuum fere epitheton, ubi *furtum* hoc quidem sensu legitur. Virgil. Georg. IV. 345.

*Volcani Martisque dolos et dulcia furta.*

Tibull. IV. 5. 7.

*Mutuus adsit amor. Per te dulcissima furta,*
*Perque tuos oculos, per Geniumque rogo.*

Propert. III. 30. 28.

*Illic aspicies scopulis haerere sorores,*
*Et canere antiqui dulcia furta Iovis.*

Ovid. Met. IX. 557.

*Dulcia fraterno sub nomine furta tegemus.*

Calpurn. IX. 7.

*Dum primum dulci carpebant gaudia furto.*

Quid quod ipse Cato Ecl. 59.

*Dulcia quom Veneris furatus gaudia primum,*

et mox 65.

*Gaudia libavit dulcem furatus amorem?*

Conf. Naekius Diss. III. p. 278. Pompa autem *loqui* dicitur *furta,* quippe quae palam ea faciat inque celebritatem adducat. Vid. Burmann. ad Propert. IV. 11. 30. Quod pro *silvis* nunc *signis* legitur, id egregie, nisi me fallit opinio, ad illustrandam sententiam facit. Nec adversatur usus dicendi. Similiter Ovidius A. A. I. 500.

*Multa supercilio, multa loquare notis.*

Idem Met. IV. 63.

*Conscius omnis abest; nutu signisque loquuntur.*

*Coelestes* sagacitati debetur C. Putschii, etsi is quidem *Omnia* retinendum putavit, aliaque nonnulla commentus est, quae merito Naekio ad h. l. displicuerunt. In mea emendatione si forte collocatio part. *non* paulo insolentior videatur, legantur velim, quae Naekius Diss. III. p. 295. observavit. Denique illud admonere non alienum fuerit, perfectum *loquuta est* ita hic poni, ut a praesente nihil aut non multum significatione differat. De quo usu vid. Heinrich. ad Iuvenal. X. 7. et Madvig. Opusc. Vol. II. p. 116.

Scrib. Bonnae mens. Iun. a. 1847.

# VALERII CATONIS

# CARMINA.

# D I R A E.

Battare, cycneas repetamus carmine voces:
Divisas iterum sedes et rura canamus,
Rura, quibus diras indiximus, impia vota.
Ante lupos rapient haedi, vituli ante leones,
Delphini fugient pisces, aquilae ante columbas,
Et conversa retro rerum discordia gliscet,
Multa prius, fuerit quam non mea libera avena.
Montibus et silvis dicam tua facta, Lycurge,
Impia. Trinacriae sterilescant gaudia vobis,
Nec fecunda senis nostri, felicia rura,
Semina parturiant segetes, non pascua colles,
Non arbusta novas fruges, non pampinus uvas,
Ipsae non silvae frondes, non flumina montes.
Rursus, et hoc iterum repetamus Battare carmen.
Effetas Cereris sulci condatis avenas,
Pallida flavescant aestu sitientia prata,
Immatura cadant ramis pendentia mala,
Desint et silvis frondes, et fontibus humor,
Nec desit nostris devotum carmen avenis.
Haec Veneris vario florentia serta decore,
Purpureo campos quae pingunt verna colore:

Hinc aurae dulces, hinc suavis spiritus agri,
Mutent pestiferos aestus, et tetra venena.
Dulcia non oculis, non auribus ulla ferantur.
Sic precor: et nostris superent haec carmina votis.
Ludimus, et multum nostris cantata libellis,
Optima silvarum, formosis densa viretis,
Tondebis virides umbras, nec laeta comantis
Iactabis mollis ramos inflantibus auris,
Nec mihi saepe meum resonabit Battare carmen:
Militis impia quom succedet dextera ferro,
Formosaeque cadent umbrae, formosior illis
Ipsa cades, veteris domini felicia ligna,
Nequicquam. Nostris potius devota libellis,
Ignibus aetheriis flagrabit. Iuppiter: ipse
Iuppiter hanc aluit: cinis haec tibi fiat oportet.
Threcis tum Boreae spirent immania vires,
Eurus agat mixtam fulva caligine nubem,
Africus immineat nimbis minitantibus imbrem,
Quom tua cyaneo resplendens aethere silva
Noscet iter ducens Erebo, tua, Lydia, Ditis.
Vicinae flammae rapiant ex ordine vites,
Pascantur segetes, diffusis ignibus aura
Transvolet, arboribus coniungat et ardor aristas.
Pertica qua nostros metata est impia agellos,
Qua nostri fines olim, cinis omnia fiant.
Sic precor: et nostris superent haec carmina votis.
Undae, quae vestris pulsatis littora lymphis,
Littora, quae dulcis auras diffunditis agris,

Accipite has voces. Migret Neptunus in arva
Fluctibus, et spissa campos perfundat arena.
Qua Volcanus agros pastus Iovis ignibus arcet,
Barbara dicatur Libycae soror altera Syrtis.
Tristius hoc, memini, revocasti Battare carmen.
Nigro multa mari dicunt portenta natare,
Monstra repentinis terrentia saepe figuris,
Quom subito emersere furenti corpora ponto:
Haec agat infesto Neptunus caeca tridenti,
Atrum convertens aestum maris undique ventis,
Et fuscum cinerem canis exhauriat undis.
Dicantur mea rura ferum mare. Nauta caveto
Rura, quibus diras indiximus, impia vota.
Si minus haec, Neptune, tuas infundimus auris,
Battare, fluminibus tu nostros trade dolores:
Nam tibi sunt fontes, tibi semper flumina amica.
Nil est quod perdam ulterius: merita omnia: dictis.
Flectite currentis lymphas, vaga flumina, retro,
Flectite, et adversis rursum diffundite campis.
Incurrant amnes passim rimantibus undis,
Nec nostros servire sinant erronibus agros.
Dulcius hoc, memini, revocasti Battare carmen.
Emanent subito sicca tellure paludes,
Et metat hic iuncos, spicas ubi legimus olim.
Occubet arguti grylli cava garrula rana.
Tristius hoc rursum dicat mea fistula carmen.
Praecipitent altis fumantes montibus imbres,
Et late teneant diffuso gurgite campos:

Qui dominis infesta minantes stagna relinquant,
Unde elapsa meos agros pervenerit unda.
Piscetur nostris in finibus advena arator,
Advena, civili qui semper crimine crevit.
O male devoti, praetorum crimina, agelli,
Tuque inimica tui semper discordia civis.
Exsul ego, indemnatus, egens, mea rura reliqui,
Miles ut accipiat funesti praemia belli.
Hinc ego de tumulo mea rura novissima visam.
Hinc ibo in silvas: obstabunt iam mihi colles,
Obstabunt montes. Campos audire licebit:
Dulcia rura valete, et Lydia dulcior illis,
Et casti fontes, et felix nomen agelli.
Tardius ah miserae descendite monte capellae:
Mollia non iterum carpetis pabula nota:
Tuque resiste pater. En prima novissima nobis
Intueor campos longum: manet ensis in illis.
Rura valete iterum, tuque optima Lydia salve.
Sive eris et si non, mecum morieris, utrumque.
Extremum carmen revocemus Battare avena.
Dulcia amara prius fient, et mollia dura,
Candida nigra oculi cernent, et dextera laeva,
Migrabunt casus aliena in corpora rerum:
Quam tua de nostris emigret cura medullis.
Quamvis ignis eris, quamvis aqua, semper amabo:
Gaudia semper enim tua me meminisse licebit.

# ECLOGA E LYDIA.

Invideo vobis agri, formosaque prata:
Hoc formosa magis, mea quod formosa puella
Est vobis: tacite nostrum suspirat amorem.
Vos nunc illa videt, vobis mea Lydia ludit,
Vos nunc adloquitur, vos nunc adridet ocellis,
Et mea submissa meditatur carmina voce,
Cantat et interea, mihi quae cantabat in aurem.
Invideo vobis agri: discetis amare.
O fortunati nimium, multumque beati,
In quibus illa pedis nivei vestigia ponet,
Aut roseis digitis viridem decerpserit uvam:
Dulci namque tumet nondum vitecula Baccho:
Aut inter varios, Veneris stipendia, flores
Membra reclinarit, teneramque inliserit herbam,
Et secreta meos furtim narrabit amores.
Gaudebunt silvae, gaudebunt mollia prata,
Et gelidi fontes, aviumque silentia fient.
Tardabunt rivi: labentes currite lymphae:
Dum mea iocundas exponat cura querelas.
Invideo vobis agri: mea gaudia habetis,

Et vobis nunc est, mea quae fuit ante, voluptas.
At male tabescunt morientia membra dolore,
Et calor infuso decedit frigore mortis,
Quod mea non mecum domina est. Non ulla puella
Doctior in terris fuit, aut formosior; ac si
Fabula non vana est, tauro Iove digna, vel auro:
Iuppiter avertas aurem: mea sola puella est.
Felix taure, pater magni gregis, et decus: a te
Vaccula non unquam secreta cubilia captans,
Frustra te patitur silvis mugire dolorem.
Et pater haedorum felix, semperque beate:
Sive petis montes praeruptos, saxa pererrans,
Sive tibi silvis nova pabula fastidire,
Sive libet campis, tecum tua laeta capella est.
Et mas quicumque est, illi sua femina iuncta
Interpellatos nunquam ploravit amores.
Cur non et nobis facilis natura fuisset?
Cur ego crudelem patior tam saepe dolorem?
Sidera per viridem redeunt quom pallida mundum,
Inque vicem Phoebe currens, atque aureus orbis,
Luna tuus tecum est: cur non est et mea mecum?
Luna, dolor nosti quid sit: miserere dolentis.
Phoebe, recens in te laurus celebravit amorem;
Et quae pompa deum: nam silvis fama loquuta est,
Omnia vos estis: secum sua gaudia gestat,
Aut insparsa videt mundo, quae dicere longum est.
Aurea quin etiam quom saecula volvebantur,
Conditio similis fuerat mortalibus illis.

Haec quoque praetereo: notum Minoidos astrum,
Quaeque virum virgo sicut captiva sequuta est.
Laedere, caelicolae, potuit vos nostra quid aetas,
Conditio nobis vitae quo durior esset?
Ausus ego primus castos violare pudores,
Sacratamque meae vittam temptare puellae?
Immatura meae quoque noxae solvere fata?
Istius atque utinam facti mea culpa magistra
Prima foret: letum mihi vita dulcius esset.
Non mea non ullo moreretur tempore fama,
Dulcia quom Veneris furatus gaudia primum
Dicerer, atque ex me dulcis foret orta voluptas.
Nam mihi non tantum tribuerunt impia vota,
Auctor ut occulti noster foret error amoris.
Iuppiter ante sui semper mendacia furti
Cum Iunone, prius quam coniunx dictus uterque est,
Gaudia libavit dulcem furatus amorem;
Et quicum tenera gavisa elidere in herba
Purpureos flores, quos insuper accumbebat,
Brachia formoso subponens Cypria collo.
Tum credo fuerat Mavors distentus in armis:
Nam certe Volcanus opus faciebat, et illi
Tristi turpabat malas fuligine barba.
Non Aurora novos etiam ploravit amores,
Atque rubens oculos roseo celavit amictu?
Talia caelicolae. Numquid minus aurea promo?
Ergo quod deus atque heros, cur non minor aetas?
Infelix ego, non illo qui tempore natus,

Quo facilis natura fuit. Sors o mea laeva
Nascendi, miserumque genus, quoi sera libido est.
Tantam vitae in me cordis fecere rapinam,
Ut maneam, quod vix oculis cognoscere possis.

# ANIMADVERSIONES.

# ANIMADVERSIONES
## IN
# DIRAS.

De carminibus Valerii Catonis, quomodo servata sint; de vita Catonis; de praedio, et quomodo illud amiserit, qua occasione *Diras* scripsit; de reliquis scriptis, ut de Lydia libro, cuius particula tantum exstat haec quam *Eclogam* dico; de genere dicendi Catoniano; de libris, ad quorum fidem emendatum Catonem exhibui: quum longa sit disputatio, non hoc dicendum loco putavi, sed infra post Animadversiones proponam magnum ac varium argumentum, in capita divisum quatuor. Nunc de *Diris*, quod carmen priore loco posui, ut caeteri ante me omnes, etsi tempore prior est *Ecloga*, pauca praefabor, ad intelligendum carmen necessaria. Ea sunt de genere, et de conformatione carminis; maxime de *Battaro;* de inscriptione. Alterum carmen satis per se ipsum intelligi potest, nulla ut praefatione egeat.

Nominis *dirae*, quod nunc adiectivum est, ut apud Apuleium VII. p. 194, 5. IX. p. 227, 35. ed. Elmenh. *diras devotiones*, apud Livium X. XLI. 3. *dira exsecratio, ac furiale carmen;* nunc substantivum, exempla quantum satis C. Putschius habet p. 7. sqq. suae editionis. neque augere numerum attinet. Poetarum locos, quos Arnoldus ad Dir. 3. laudat, apponere operae pretium fuerit. Propertii, lib. III. extr.

*Has tibi fatales cecinit mea pagina* diras.

Tibulli, lib. II. extr.

*Tunc tibi, lena, precor* diras.

Lucani, III. 126. 127.

*Crassumque in bella secutae*
*Saeva tribunitiae voverunt praelia* dirae.

vel *Laeva.* Cf. ibi Cortius, etiam de dictione, sanequam singulari, *voverunt dirae. caelestium infernumque omnium diras* est in formula devotionis, quam Scaliger imitando effinxit, in Varron. p. 62. nescio unde:

certe id neque apud Livium VIII. ix. neque apud Macrobium III. ix. invenitur. Est aliquid simile, sed tamen diversum in devotione Decii filii ap. Livium X. xxviii. *coelestium, inferorum* (vel *infernorumque*) *iras; contacturum funebribus diris signa, tela,* etc. Igitur *dirae* sunt *ἀραί*. Et constat, ut a Graecis *Ἀραί* dictae sunt Erinnyes, tamquam vivae atque animatae imprecationes, ita Romanis *Diras* dici Furias: ut a Virgilio; cf. Apuleius II. p. 127, 29. Unde Scaliger Eumenidas Aeschyli non male nuncupabat *Diras*.

Quae ab Livio, aliis, commemorantur *dirarum* exempla, a Diris Catonis partim eo differunt, quod breves fuere plerumque, partim eo, quod in homines dictae. At Cato non hominem, non militem, devovet diris, sed agrum: devovet autem, ut non amplius suum, ne prosit aliis. De *Diris* apud poetas I. C. Scaliger singulare caput fecit in Poetica, LIII. libri primi, et longius, libri V. decimum tertium, ubi cum nostris Diris, quas Virgilio tribuebat, comparat Ibin Ovidii, *Οἰδίποδος ἀράν*, Thyesteas preces, alia huiusmodi. Italis *desperatum carmen* vocari testatur. A Scaligero sua maximam partem sumpsit Delrius Advers. in Senec. Trag. (P. II. Syntagmatis Trag. Lat.) p. 44. Cf. H. Columna in Fragm. Ennii p. 275. Hessel. Salvagnius Boëss. Prolegom. in Ibin cap. II. Huc pertinet Lindenbruchii observatio in exemplari Guelferb. edit. Scalig. 1595. *scripsit et Moero quidam librum Dirarum. quem citat Parthenius in libro de amator. affect. cap. 27.* *Μοιρὼ ἐν ταῖς ἀραῖς*. Et Moero quidem illa haud dubie non unam, Nicandrae et Alcinoes, *ἀράν*, sed plures *ἀρὰς* narraverat libro suo. Ut perparum tali libro cum Catone commune fuerit. Omnino neque Ibin Ovidii, aut, de quo coniecturam facere ex Ovidio licet, Callimachi, satis apte comparari cum Catone puto, neque aliud quicquam novi, quod simile fuisse Diris Catonis dicam, si obiter hic illic insertas a poetis imprecationes exceperis. E. g. quam I. C. Scaliger Poet. V. xiii. commemorat, Damonis in Virgil. Ecl. VIII. 52. sqq. etsi haec quoque pertenuis similitudo. Contrarii generis, quod bona vota complectitur, insigne exemplum apud Catonem de Re rust. cxli. preces in lustrando agro. Ex poetis: vota Eumenidum apud Aeschylum, quae Minerva v. 904. sq. praeeunte, vovent v. 938. sqq. Unde Hermannus expressos putabat versus elegantissimos, quos ad Dirar. v. 16. proferam:

*Caelum nitescere, arbores frondescere,* etc.

In componendis Diris multa cum libertate versatus est poeta, sed ea libertate, quae decet poetam. Primo scenam carminis in ipso agro suo posuit, et se nunc primum expelli agris fingit. Quo neglectas esse rationes temporis apparet, si quidem Cato, quum Diras scripsit, iam dudum exsulabat ab agro suo, et alibi, fortasse, quod veri simillimum, in Urbe

agebat. Esse autem scenam carminis, ut dixi, in agro Catonis, vel leviter inspicienti hoc carmen patebit. Flores, silvam, omnia alloquitur tamquam praesentia. Deinde, quod perbene institutum est, omnia uno temporis momento, vel spatio brevissimo, comprehendit, eo quidem, quod ad commovendam miserationem aptissimum: fingit enim omnia a se abeunte cani. cf. v. 84. et 86. sqq. Denique omnia agi cum *Battaro* fingit.

Sed *Battarus* quis tandem, aut quid fuit? De eo incredibilis opinionum varietas. Antiquissimi interpretes, Pomponius Sabinus, Domitius Calderinus, Iod. Badius Ascensius, *arborem* fuisse Battarum coniiciebant, et quidem *fagum* ex Virgilii Ecloga 1. Qua de re satis semel expositum, ubi veterem fabulam de Virgilio Dirarum auctore enarro, Diss. I. Fuisse etiam qui *vicum* intelligeret, e Domitio cognoscitur, cuius ibi verba apposui. Ab illorum ratione haud longe abit Glossa Venetae Iens. quae *silvam* vult esse Battarum. Ut in principio carminis: *In agro Virgiliano erat silva nomine battarus*, *in honorem Iovis incedua reservata.* Rursus Scaliger *fluvium* esse Battarum censebat: quam opinionem quomodo exornaverit, ipsum audire operae pretium est ad v. 1. Cum Scaligero faciunt Boxhornius ad v. 36. Scriverius ap. Burmann. ad v. 93., Arnoldus. N. Heinsius ad v. 29. 33. et 35. de *colle* cogitat; vel ipsam *villam* Catonis dictam fuisse Battarum. Audiamus etiam Is. Vossium, qui in exemplo editionis Scalig. 1573. quod Leidae asservatur, ad disputationem Scaligeri eam, qua versum 64. convertit in rem suam, haec adscripsit: *imo mons potius, nam sequitur, Nam tibi sunt fontes tibi flumina semper amica. Sed neutrum verum esse puto.* Quae est bona observatio. Videbat Vossius versum 64. non ad confirmandam sententiam Scaligeri, sed ad refutandam factum esse. Si enim ipse fluvius fuisset Battarus, non hoc precaturus erat Cato: *Battare, fluminibus tu nostros trade dolores*, sed hoc, ut ipse primus incurreret in agrum. Praeterea Vossium, quid verum esset, etsi non dicit, sensisse tamen coniicio. Scilicet mirari lubet tot et tantorum virorum iudicia, quaerentium *Battarum* in tota rerum natura, illud non videntium, quod simplicissimum erat. *Homo* est Battarus. Id unus sensit atque indicavit obiter Fr. Iacobsius praeclara illa disputatione de Valerii Catonis Diris. Quod unum dico, non nego in eadem quemquam ante Iacobsium sententia fuisse. Veluti Heinsio scripta ad versum 1. quum lego ac perpendo, veritatem obversatam esse ista scribenti dixerim, quamquam alio tempore de *colle* cogitavit. Deinde est aliquid Iacobsii sententiae simile in opinione Io. Christ. Wernsdorfii, de Val. Catonis Diris Prooem. p. XLIX. sqq., sed id mirum in modum deflexum et deformatum. Wernsdorfio *Battarus*, *βάτταρος*, *nugator, blatero*, nomen est sive cognomen poetae alicuius,

Qui dominis infesta minantes stagna relinquant,
Unde elapsa meos agros pervenerit unda.
Piscetur nostris in finibus advena arator,
Advena, civili qui semper crimine crevit.
O male devoti, praetorum crimina, agelli,
Tuque inimica tui semper discordia civis.
Exsul ego, indemnatus, egens, mea rura reliqui,
Miles ut accipiat funesti praemia belli.
Hinc ego de tumulo mea rura novissima visam.
Hinc ibo in silvas: obstabunt iam mihi colles,
Obstabunt montes. Campos audire licebit:
Dulcia rura valete, et Lydia dulcior illis,
Et casti fontes, et felix nomen agelli.
Tardius ah miserae descendite monte capellae:
Mollia non iterum carpetis pabula nota:
Tuque resiste pater. En prima novissima nobis
Intueor campos longum: manet ensis in illis.
Rura valete iterum, tuque optima Lydia salve.
Sive eris et si non, mecum morieris, utrumque.
Extremum carmen revocemus Battare avena.
Dulcia amara prius fient, et mollia dura,
Candida nigra oculi cernent, et dextera laeva,
Migrabunt casus aliena in corpora rerum:
Quam tua de nostris emigret cura medullis.
Quamvis ignis eris, quamvis aqua, semper amabo:
Gaudia semper enim tua me meminisse licebit.

# ECLOGA E LYDIA.

Invideo vobis agri, formosaque prata:
Hoc formosa magis, mea quod formosa puella
Est vobis: tacite nostrum suspirat amorem.
Vos nunc illa videt, vobis mea Lydia ludit,
Vos nunc adloquitur, vos nunc adridet ocellis,
Et mea submissa meditatur carmina voce,
Cantat et interea, mihi quae cantabat in aurem.
Invideo vobis agri: discetis amare.
O fortunati nimium, multumque beati,
In quibus illa pedis nivei vestigia ponet,
Aut roseis digitis viridem decerpserit uvam:
Dulci namque tumet nondum vitecula Baccho:
Aut inter varios, Veneris stipendia, flores
Membra reclinarit, teneramque inliserit herbam,
Et secreta meos furtim narrabit amores.
Gaudebunt silvae, gaudebunt mollia prata,
Et gelidi fontes, aviumque silentia fient.
Tardabunt rivi: labentes currite lymphae:
Dum mea iocundas exponat cura querelas.
Invideo vobis agri: mea gaudia habetis,

Et vobis nunc est, mea quae fuit ante, voluptas.
At male tabescunt morientia membra dolore,
Et calor infuso decedit frigore mortis,
Quod mea non mecum domina est. Non ulla puella
Doctior in terris fuit, aut formosior; ac si
Fabula non vana est, tauro Iove digna, vel auro:
Iuppiter avertas aurem: mea sola puella est.
Felix taure, pater magni gregis, et decus: a te
Vaccula non unquam secreta cubilia captans,
Frustra te patitur silvis mugire dolorem.
Et pater haedorum felix, semperque beate:
Sive petis montes praeruptos, saxa pererrans,
Sive tibi silvis nova pabula fastidire,
Sive libet campis, tecum tua laeta capella est.
Et mas quicumque est, illi sua femina iuncta
Interpellatos nunquam ploravit amores.
Cur non et nobis facilis natura fuisset?
Cur ego crudelem patior tam saepe dolorem?
Sidera per viridem redeunt quom pallida mundum,
Inque vicem Phoebe currens, atque aureus orbis,
Luna tuus tecum est: cur non est et mea mecum?
Luna, dolor nosti quid sit: miserere dolentis.
Phoebe, recens in te laurus celebravit amorem;
Et quae pompa deum: nam silvis fama loquuta est,
Omnia vos estis: secum sua gaudia gestat,
Aut insparsa videt mundo, quae dicere longum est.
Aurea quin etiam quom saecula volvebantur,
Conditio similis fuerat mortalibus illis.

Haec quoque praetereo: notum Minoidos astrum,
Quaeque virum virgo sicut captiva sequuta est.
Laedere, caelicolae, potuit vos nostra quid aetas,
Conditio nobis vitae quo durior esset?
Ausus ego primus castos violare pudores,
Sacratamque meae vittam temptare puellae?
Immatura meae quoque noxae solvere fata?
Istius atque utinam facti mea culpa magistra
Prima foret: letum mihi vita dulcius esset.
Non mea non ullo moreretur tempore fama,
Dulcia quom Veneris furatus gaudia primum
Dicerer, atque ex me dulcis foret orta voluptas.
Nam mihi non tantum tribuerunt impia vota,
Auctor ut occulti noster foret error amoris.
Iuppiter ante sui semper mendacia furti
Cum Iunone, prius quam coniunx dictus uterque est,
Gaudia libavit dulcem furatus amorem;
Et quicum tenera gavisa elidere in herba
Purpureos flores, quos insuper accumbebat,
Brachia formoso subponens Cypria collo.
Tum credo fuerat Mavors distentus in armis:
Nam certe Volcanus opus faciebat, et illi
Tristi turpabat malas fuligine barba.
Non Aurora novos etiam ploravit amores,
Atque rubens oculos roseo celavit amictu?
Talia caelicolae. Numquid minus aurea promo?
Ergo quod deus atque heros, cur non minor aetas?
Infelix ego, non illo qui tempore natus,

Quo facilis natura fuit. Sors o mea laeva
Nascendi, miserumque genus, quoi sera libido est.
Tantam vitae in me cordis fecere rapinam,
Ut maneam, quod vix oculis cognoscere possis.

# ANIMADVERSIONES.

# ANIMADVERSIONES
## IN
# DIRAS.

De carminibus Valerii Catonis, quomodo servata sint; de vita Catonis; de praedio, et quomodo illud amiserit, qua occasione *Diras* scripsit; de reliquis scriptis, ut de Lydia libro, cuius particula tantum exstat haec quam *Eclogam* dico; de genere dicendi Catoniano; de libris, ad quorum fidem emendatum Catonem exhibui: quum longa sit disputatio, non hoc dicendum loco putavi, sed infra post Animadversiones proponam magnum ac varium argumentum, in capita divisum quatuor. Nunc de *Diris*, quod carmen priore loco posui, ut caeteri ante me omnes, etsi tempore prior est *Ecloga*, pauca praefabor, ad intelligendum carmen necessaria. Ea sunt de genere, et de conformatione carminis; maxime de *Battaro;* de inscriptione. Alterum carmen satis per se ipsum intelligi potest, nulla ut praefatione egeat.

Nominis *dirae*, quod nunc adiectivum est, ut apud Apuleium VII. p. 194, 5. IX. p. 227, 35. ed. Elmenh. *diras devotiones*, apud Livium X. XLI. 3. *dira exsecratio, ac furiale carmen;* nunc substantivum, exempla quantum satis C. Putschius habet p. 7. sqq. suae editionis. neque augere numerum attinet. Poetarum locos, quos Arnoldus ad Dir. 3. laudat, apponere operae pretium fuerit. Propertii, lib. III. extr.

*Has tibi fatales cecinit mea pagina* diras.

Tibulli, lib. II. extr.

*Tunc tibi, lena, precor* diras.

Lucani, III. 126. 127.

*Crassumque in bella secutae*
*Saeva tribunitiae voverunt praelia* dirae.

vel *Laeva*. Cf. ibi Cortius, etiam de dictione, sanequam singulari, *voverunt dirae. caelestium infernumque omnium diras* est in formula devotionis, quam Scaliger imitando effinxit, in Varron. p. 62. nescio unde:

certe id neque apud Livium VIII. ix. neque apud Macrobium III. ix. invenitur. Est aliquid simile, sed tamen diversum in devotione Decii filii ap. Livium X. xxviii. *coelestium, inferorum* (vel *infernorumque*) *iras; contacturum funebribus diris signa, tela,* etc. Igitur *dirae* sunt *ἀραί*. Et constat, ut a Graecis Ἀραί dictae sunt Erinnyes, tamquam vivae atque animatae imprecationes, ita Romanis *Diras* dici Furias: ut a Virgilio; cf. Apuleius II. p. 127, 29. Unde Scaliger Eumenidas Aeschyli non male nuncupabat *Diras.*

Quae ab Livio, aliis, commemorantur *dirarum* exempla, a Diris Catonis partim eo differunt, quod breves fuere plerumque, partim eo, quod in homines dictae. At Cato non hominem, non militem, devovet diris, sed agrum: devovet autem, ut non amplius suum, ne prosit aliis. De *Diris* apud poetas I. C. Scaliger singulare caput fecit in Poetica, LIII. libri primi, et longius, libri V. decimum tertium, ubi cum nostris Diris, quas Virgilio tribuebat, comparat Ibin Ovidii, *Οἰδίποδος ἀράν,* Thyesteas preces, alia huiusmodi. Italis *desperatum carmen* vocari testatur. A Scaligero sua maximam partem sumpsit Delrius Advers. in Senec. Trag. (P. II. Syntagmatis Trag. Lat.) p. 44. Cf. H. Columna in Fragm. Ennii p. 275. Hessel. Salvagnius Boëss. Prolegom. in Ibin cap. II. Huc pertinet Lindenbruchii observatio in exemplari Guelferb. edit. Scalig. 1595. *scripsit et Moero quidam librum Dirarum. quem citat Parthenius in libro de amator. affect. cap. 27. Μοιρὼ ἐν ταῖς ἀραῖς.* Et Moero quidem illa haud dubie non unam, Nicandrae et Alcinoes, *ἀράν,* sed plures *ἀρὰς* narraverat libro suo. Ut perparum tali libro cum Catone commune fuerit. Omnino neque Ibin Ovidii, aut, de quo coniecturam facere ex Ovidio licet, Callimachi, satis apte comparari cum Catone puto, neque aliud quicquam novi, quod simile fuisse Diris Catonis dicam, si obiter hic illic insertas a poetis imprecationes exceperis. E. g. quam I. C. Scaliger Poet. V. xiii. commemorat, Damonis in Virgil. Ecl. VIII. 52. sqq. etsi haec quoque pertenuis similitudo. Contrarii generis, quod bona vota complectitur, insigne exemplum apud Catonem de Re rust. cxli. preces in lustrando agro. Ex poetis: vota Eumenidum apud Aeschylum, quae Minerva v. 904. sq. praeeunte, vovent v. 938. sqq. Unde Hermannus expressos putabat versus elegantissimos, quos ad Dirar. v. 16. proferam:

*Caelum nitescere, arbores frondescere,* etc.

In componendis Diris multa cum libertate versatus est poeta, sed ea libertate, quae decet poetam. Primo scenam carminis in ipso agro suo posuit, et se nunc primum expelli agris fingit. Quo neglectas esse rationes temporis apparet, si quidem Cato, quum Diras scripsit, iam dudum exsulabat ab agro suo, et alibi, fortasse, quod veri simillimum, in Urbe

agebat. Esse autem scenam carminis, ut dixi, in agro Catonis, vel leviter inspicienti hoc carmen patebit. Flores, silvam, omnia alloquitur tamquam praesentia. Deinde, quod perbene institutum est, omnia uno temporis momento, vel spatio brevissimo, comprehendit, eo quidem, quod ad commovendam miserationem aptissimum: fingit enim omnia a se abeunte cani. cf. v. 84. et 86. sqq. Denique omnia agi cum *Battaro* fingit.

Sed *Battarus* quis tandem, aut quid fuit? De eo incredibilis opinionum varietas. Antiquissimi interpretes, Pomponius Sabinus, Domitius Calderinus, Iod. Badius Ascensius, *arborem* fuisse Battarum coniiciebant, et quidem *fagum* ex Virgilii Ecloga 1. Qua de re satis semel expositum, ubi veterem fabulam de Virgilio Dirarum auctore enarro, Diss. I. Fuisse etiam qui *vicum* intelligeret, e Domitio cognoscitur, cuius ibi verba apposui. Ab illorum ratione haud longe abit Glossa Venetae Iens. quae *silvam* vult esse Battarum. Ut in principio carminis: *In agro Virgiliano erat silva nomine battarus, in honorem Iovis incedua reservata.* Rursus Scaliger *fluvium* esse Battarum censebat: quam opinionem quomodo exornaverit, ipsum audire operae pretium est ad v. 1. Cum Scaligero faciunt Boxhornius ad v. 36. Scriverius ap. Burmann. ad v. 93., Arnoldus. N. Heinsius ad v. 29. 33. et 35. de *colle* cogitat; vel ipsam *villam* Catonis dictam fuisse Battarum. Audiamus etiam Is. Vossium, qui in exemplo editionis Scalig. 1573. quod Leidae asservatur, ad disputationem Scaligeri eam, qua versum 64. convertit in rem suam, haec adscripsit: *imo mons potius, nam sequitur, Nam tibi sunt fontes tibi flumina semper amica. Sed neutrum verum esse puto.* Quae est bona observatio. Videbat Vossius versum 64. non ad confirmandam sententiam Scaligeri, sed ad refutandam factum esse. Si enim ipse fluvius fuisset Battarus, non hoc precaturus erat Cato: *Battare, fluminibus tu nostros trade dolores*, sed hoc, ut ipse primus incurreret in agrum. Praeterea Vossium, quid verum esset, etsi non dicit, sensisse tamen coniicio. Scilicet mirari lubet tot et tantorum virorum iudicia, quaerentium *Battarum* in tota rerum natura, illud non videntium, quod simplicissimum erat. *Homo* est Battarus. Id unus sensit atque indicavit obiter Fr. Iacobsius praeclara illa disputatione de Valerii Catonis Diris. Quod unum dico, non nego in eadem quemquam ante Iacobsium sententia fuisse. Veluti Heinsio scripta ad versum 1. quum lego ac perpendo, veritatem obversatam esse ista scribenti dixerim, quamquam alio tempore de *colle* cogitavit. Deinde est aliquid Iacobsii sententiae simile in opinione Io. Christ. Wernsdorfii, de Val. Catonis Diris Prooem. p. XLIX. sqq., sed id mirum in modum deflexum et deformatum. Wernsdorfio *Battarus*, *βάτταρος*, *nugator*, *blatero*, nomen est sive cognomen poetae alicuius,

Et vobis nunc est, mea quae fuit ante, voluptas.
At male tabescunt morientia membra dolore,
Et calor infuso decedit frigore mortis,
Quod mea non mecum domina est. Non ulla puella
Doctior in terris fuit, aut formosior; ac si
Fabula non vana est, tauro Iove digna, vel auro:
Iuppiter avertas aurem: mea sola puella est.
Felix taure, pater magni gregis, et decus: a te
Vaccula non unquam secreta cubilia captans,
Frustra te patitur silvis mugire dolorem.
Et pater haedorum felix, semperque beate:
Sive petis montes praeruptos, saxa pererrans,
Sive tibi silvis nova pabula fastidire,
Sive libet campis, tecum tua laeta capella est.
Et mas quicumque est, illi sua femina iuncta
Interpellatos nunquam ploravit amores.
Cur non et nobis facilis natura fuisset?
Cur ego crudelem patior tam saepe dolorem?
Sidera per viridem redeunt quom pallida mundum,
Inque vicem Phoebe currens, atque aureus orbis,
Luna tuus tecum est: cur non est et mea mecum?
Luna, dolor nosti quid sit: miserere dolentis.
Phoebe, recens in te laurus celebravit amorem;
Et quae pompa deum: nam silvis fama loquuta est,
Omnia vos estis: secum sua gaudia gestat,
Aut insparsa videt mundo, quae dicere longum est.
Aurea quin etiam quom saecula volvebantur,
Conditio similis fuerat mortalibus illis.

Haec quoque praetereo: notum Minoidos astrum,
Quaeque virum virgo sicut captiva sequuta est.
Laedere, caelicolae, potuit vos nostra quid aetas,
Conditio nobis vitae quo durior esset?
Ausus ego primus castos violare pudores,
Sacratamque meae vittam temptare puellae?
Immatura meae quoque noxae solvere fata?
Istius atque utinam facti mea culpa magistra
Prima foret: letum mihi vita dulcius esset.
Non mea non ullo moreretur tempore fama,
Dulcia quom Veneris furatus gaudia primum
Dicerer, atque ex me dulcis foret orta voluptas.
Nam mihi non tantum tribuerunt impia vota,
Auctor ut occulti noster foret error amoris.
Iuppiter ante sui semper mendacia furti
Cum Iunone, prius quam coniunx dictus uterque est,
Gaudia libavit dulcem furatus amorem;
Et quicum tenera gavisa elidere in herba
Purpureos flores, quos insuper accumbebat,
Brachia formoso subponens Cypria collo.
Tum credo fuerat Mavors distentus in armis:
Nam certe Volcanus opus faciebat, et illi
Tristi turpabat malas fuligine barba.
Non Aurora novos etiam ploravit amores,
Atque rubens oculos roseo celavit amictu?
Talia caelicolae. Numquid minus aurea promo?
Ergo quod deus atque heros, cur non minor aetas?
Infelix ego, non illo qui tempore natus,

Quo facilis natura fuit. Sors o mea laeva
Nascendi, miserumque genus, quoi sera libido est.
Tantam vitae in me cordis fecere rapinam,
Ut maneam, quod vix oculis cognoscere possis.

# ANIMADVERSIONES.

# ANIMADVERSIONES

## IN

# DIRAS.

De carminibus Valerii Catonis, quomodo servata sint; de vita Catonis; de praedio, et quomodo illud amiserit, qua occasione *Diras* scripsit; de reliquis scriptis, ut de Lydia libro, cuius particula tantum exstat haec quam *Eclogam* dico; de genere dicendi Catoniano; de libris, ad quorum fidem emendatum Catonem exhibui: quum longa sit disputatio, non hoc dicendum loco putavi, sed infra post Animadversiones proponam magnum ac varium argumentum, in capita divisum quatuor. Nunc de *Diris*, quod carmen priore loco posui, ut caeteri ante me omnes, etsi tempore prior est *Ecloga*, pauca praefabor, ad intelligendum carmen necessaria. Ea sunt de genere, et de conformatione carminis; maxime de *Battaro;* de inscriptione. Alterum carmen satis per se ipsum intelligi potest, nulla ut praefatione egeat.

Nominis *dirae*, quod nunc adiectivum est, ut apud Apuleium VII. p. 194, 5. IX. p. 227, 35. ed. Elmenh. *diras devotiones*, apud Livium X. XLI. 3. *dira exsecratio, ac furiale carmen;* nunc substantivum, exempla quantum satis C. Putschius habet p. 7. sqq. suae editionis. neque augere numerum attinet. Poetarum locos, quos Arnoldus ad Dir. 3. laudat, apponere operae pretium fuerit. Propertii, lib. III. extr.

*Has tibi fatales cecinit mea pagina* diras.

Tibulli, lib. II. extr.

*Tunc tibi, lena, precor* diras.

Lucani, III. 126. 127.

*Crassumque in bella secutae*
*Saeva tribunitiae voverunt praelia* dirae.

vel *Laeva.* Cf. ibi Cortius, etiam de dictione, sanequam singulari, *voverunt dirae. caelestium infernumque omnium diras* est in formula devotionis, quam Scaliger imitando effinxit, in Varron. p. 62. nescio unde:

certe id neque apud Livium VIII. ix. neque apud Macrobium III. ix. invenitur. Est aliquid simile, sed tamen diversum in devotione Decii filii ap. Livium X. xxviii. *coelestium, inferorum* (vel *infernorumque*) *iras; contacturum funebribus diris signa, tela,* etc. Igitur *dirae* sunt ἀραί. Et constat, ut a Graecis Ἀραί dictae sunt Erinnyes, tamquam vivae atque animatae imprecationes, ita Romanis *Diras* dici Furias: ut a Virgilio; cf. Apuleius II. p. 127, 29. Unde Scaliger Eumenidas Aeschyli non male nuncupabat *Diras*.

Quae ab Livio, aliis, commemorantur *dirarum* exempla, a Diris Catonis partim eo differunt, quod breves fuere plerumque, partim eo, quod in homines dictae. At Cato non hominem, non militem, devovet diris, sed agrum: devovet autem, ut non amplius suum, ne prosit aliis. De *Diris* apud poetas I. C. Scaliger singulare caput fecit in Poetica, LIII. libri primi, et longius, libri V. decimum tertium, ubi cum nostris Diris, quas Virgilio tribuebat, comparat Ibin Ovidii, *Οἰδίποδος ἀράν*, Thyesteas preces, alia huiusmodi. Italis *desperatum carmen* vocari testatur. A Scaligero sua maximam partem sumpsit Delrius Advers. in Senec. Trag. (P. II. Syntagmatis Trag. Lat.) p. 44. Cf. H. Columna in Fragm. Ennii p. 275. Hessel. Salvagnius Boëss. Prolegom. in Ibin cap. II. Huc pertinet Lindenbruchii observatio in exemplari Guelferb. edit. Scalig. 1595. *scripsit et Moero quidam librum Dirarum. quem citat Parthenius in libro de amator. affect. cap. 27. Μοιρὼ ἐν ταῖς ἀραῖς.* Et Moero quidem illa haud dubie non unam, Nicandrae et Alcinoes, *ἀράν*, sed plures *ἀρὰς* narraverat libro suo. Ut perparum tali libro cum Catone commune fuerit. Omnino neque Ibin Ovidii, aut, de quo coniecturam facere ex Ovidio licet, Callimachi, satis apte comparari cum Catone puto, neque aliud quicquam novi, quod simile fuisse Diris Catonis dicam, si obiter hic illic insertas a poetis imprecationes exceperis. E. g. quam I. C. Scaliger Poet. V. xiii. commemorat, Damonis in Virgil. Ecl. VIII. 52. sqq. etsi haec quoque pertenuis similitudo. Contrarii generis, quod bona vota complectitur, insigne exemplum apud Catonem de Re rust. cxli. preces in lustrando agro. Ex poetis: vota Eumenidum apud Aeschylum, quae Minerva v. 904. sq. praeeunte, vovent v. 938. sqq. Unde Hermannus expressos putabat versus elegantissimos, quos ad Dirar. v. 16. proferam:

*Caelum nitescere, arbores frondescere,* etc.

In componendis Diris multa cum libertate versatus est poeta, sed ea libertate, quae decet poetam. Primo scenam carminis in ipso agro suo posuit, et se nunc primum expelli agris fingit. Quo neglectas esse rationes temporis apparet, si quidem Cato, quum Diras scripsit, iam dudum exsulabat ab agro suo, et alibi, fortasse, quod veri simillimum, in Urbe

agebat. Esse autem scenam carminis, ut dixi, in agro Catonis, vel leviter inspicienti hoc carmen patebit. Flores, silvam, omnia alloquitur tamquam praesentia. Deinde, quod perbene institutum est, omnia uno temporis momento, vel spatio brevissimo, comprehendit, eo quidem, quod ad commovendam miserationem aptissimum: fingit enim omnia a se abeunte cani. cf. v. 84. et 86. sqq. Denique omnia agi cum *Battaro* fingit.

Sed *Battarus* quis tandem, aut quid fuit? De eo incredibilis opinionum varietas. Antiquissimi interpretes, Pomponius Sabinus, Domitius Calderinus, Iod. Badius Ascensius, *arborem* fuisse Battarum coniiciebant, et quidem *fagum* ex Virgilii Ecloga 1. Qua de re satis semel expositum, ubi veterem fabulam de Virgilio Dirarum auctore enarro, Diss. I. Fuisse etiam qui *vicum* intelligeret, e Domitio cognoscitur, cuius ibi verba apposui. Ab illorum ratione haud longe abit Glossa Venetae Iens. quae *silvam* vult esse Battarum. Ut in principio carminis: *In agro Virgiliano erat silva nomine battarus*, *in honorem Iovis incedua reservata.* Rursus Scaliger *fluvium* esse Battarum censebat: quam opinionem quomodo exornaverit, ipsum audire operae pretium est ad v. 1. Cum Scaligero faciunt Boxhornius ad v. 36. Scriverius ap. Burmann. ad v. 93., Arnoldus. N. Heinsius ad v. 29. 33. et 35. de *colle* cogitat; vel ipsam *villam* Catonis dictam fuisse Battarum. Audiamus etiam Is. Vossium, qui in exemplo editionis Scalig. 1573. quod Leidae asservatur, ad disputationem Scaligeri eam, qua versum 64. convertit in rem suam, haec adscripsit: *imo mons potius, nam sequitur, Nam tibi sunt fontes tibi flumina semper amica. Sed neutrum verum esse puto.* Quae est bona observatio. Videbat Vossius versum 64. non ad confirmandam sententiam Scaligeri, sed ad refutandam factum esse. Si enim ipse fluvius fuisset Battarus, non hoc precaturus erat Cato: *Battare, fluminibus tu nostros trade dolores*, sed hoc, ut ipse primus incurreret in agrum. Praeterea Vossium, quid verum esset, etsi non dicit, sensisse tamen coniicio. Scilicet mirari lubet tot et tantorum virorum iudicia, quaerentium *Battarum* in tota rerum natura, illud non videntium, quod simplicissimum erat. *Homo* est Battarus. Id unus sensit atque indicavit obiter Fr. Iacobsius praeclara illa disputatione de Valerii Catonis Diris. Quod unum dico, non nego in eadem quemquam ante Iacobsium sententia fuisse. Veluti Heinsio scripta ad versum 1. quum lego ac perpendo, veritatem obversatam esse ista scribenti dixerim, quamquam alio tempore de *colle* cogitavit. Deinde est aliquid Iacobsii sententiae simile in opinione Io. Christ. Wernsdorfii, de Val. Catonis Diris Prooem. p. XLIX. sqq., sed id mirum in modum deflexum et deformatum. Wernsdorfio *Battarus*, *βάτταρος*, *nugator, blatero*, nomen est sive cognomen poetae alicuius,

quem Cato hoc Dirarum carmine imitatus sit: fortasse Callimachi, propter Ibin. Sed molestum est breviter dicere, quae alius diffuse, et partim manifesto falsa, partim non satis inter se omnia concilianda disputaverit. Quare reliqua, qui volet, apud ipsum legat Wernsdorfium. Manifesto falsum illud est, ut unum commemorem, quod *ταυτολογίαις scatere* carmen Catonis, et *verum βαττολογίας exemplum* esse dicit.

De nomine ipso *Battari* haec habeo. Vox non reperta est alibi. Sed tamen *Battara* est, nomen viri, apud Ciceronem Epist. ad Famil. VII. IX. quem locum Heinsius protulit ad versum Catonis 1. et *βατταρίζειν*, cum derivatis, *βατταρισμός*, *βατταριστής*, apud grammaticos, quos enumerare supersedeo: sufficiunt testes, antiquissimus, Hipponax in Bekkeri Anecdot. I. p. 85, 20. et Cicero ad Atticum VI. V. Primam vocis originem rectissime explicuit Casaubonus ad Sueton. August. LXXXVII. ubi voces recenset fictas per *ὀνοματοποιΐαν* ad exprimendum frequentem infantiae sonum *ba* vel *bat* aut *bad*. De *buttubata*, quod respondet nostro *papperlapap*, Festus h. v. ibique Scaliger; cf. idem Festus v. *exbueres*, et v. *imbutum*. Sosip. Charisius lib. II. extr. Tetigit nunc illud *butubatta*, nam sic scribit, Lobeckius in Aglaophamo T. II. p. 1332. comparatque cum nostro *larifari*. Quod ipsum in mentem mihi revocat Plautinum *liroe liroe*, Poen. I. 1. 8. nam *liroe liroe* etsi proprie significabat *λῆροι λῆροι*, factum tamen esse usu puto, ut nihil sonaret aliud, quam nostrum *lirum larum*. De *Bambalione* Ciceronis loci sunt Philipp. II. XXXVI. 90. III. VI. 16. quorum posterior inprimis disertus: *Bambalio, qui propter haesitantiam linguae, stuporemque cordis, cognomen ex contumelia traxerit.* Igitur eas inter voces *βάττος* fuit. Casaubonus: *βάττος*, inquit, *unde βαττολογία et βατταρίζειν, ut placet doctioribus Grammaticis; non a Batto, sicut somniant poetae. Doctiores* Grammaticos dicit, ut Etymologum v. *βατταρίζειν*. cf. boni grammatici observatio Anecd. Bekker. I. p. 224. et apud Hesychium v. *βατταρίζειν*. sed Etymologus inprimis perspicue. Fuerunt igitur, quam multorum nominum, romanorum etiam, rationem fuisse constat, *βάττος*, et alia forma *βάτταρος*, quae sic non invenitur amplius, sed invenitur derivatum *βατταρίζειν*, non propria primitus, sed appellativa nomina, iis tribui solita, qui illo linguae vitio laborabant, vel etiam simili: nam facile concedemus Casaubono, etiam ad alia vitia denotanda, pueritiae affinia, voces istiusmodi factas fuisse. Ut apud ipsum Ciceronem l. l. ad Atticum, *βατταρίζων* non potest *balbutiens*, sensu proprio, esse: sed est *perturbate loquens*, *balbutiens* propter inopiam consilii, malique facinoris conscientiam. Inde quum nomina esse propria coepissent, potuerunt etiam iis tribui, in quos non caderet ullum linguae vitium. Ut Theocritus quum aliquem hominem *Battum* appellat, non significat, blaesum sive balbum

hominem fuisse, sed nomen hoc est, ut sunt alia pastorum apud Theocritum nomina. Heinsio quare Siculum esse nomen *Battarus* videatur, non exputo: fortasse quod in Sicilia fuisse villam Catonis sibi persuasisset. Ego hoc tantum dixerim: primo, graecum fuisse origine; deinde, magis servorum quam aliorum hominum videri proprium fuisse. Ut ipsum Catonis Battarum servum fuisse coniicio. Nam quominus fictum esse *Battari* apud Catonem nomen, et aliud latere sub eo statuamus, obstat simplicitas Catonis, qui suis res hominesque nominibus appellare solet, neque idonea aut ex nomine *Battarus* aut ex carmine Catonis caussa reddi potest, cur Cato, si fictum ponere nomen voluisset, *Battari* nomen ponere quam aliud maluerit. Annotavi ex Epistolis Ciceronis, quae dicuntur ad Familiares, libertorum ac servorum nomina graeca, eaque hoc loco recensebo, ut appareat unius scriptoris exemplo, quanta fuerit nominum istiusmodi multitudo ac varietas. Sed indicabo tantum libros, brevitatis caussa, et si qui bis vel saepius commemorantur, eos semel tantum nominabo. Lib. II. *Thraso. Philo. Phania.* III. *Cilix. Pausanias. Philotimus.* IV. *Theophilus.* V. *Dionysius* servus. VI. *Philargyrus. Seleucus. Chilo.* VII. *Protogenes. Chrysippus* Vettius. Caius Avianus *Evander. Apella.* IX. *Zethus. Phileros. Cytheris* Volumnia. X. *Dardanus.* XII. *Dionysius* libertus. *Eros* Turius. XIII. *Apollonius.* C. Avianus *Hammonius.* L. Cossinius *Anchialus. Hilarus. Antigonus. Demostratus. Anchialus* servus. L. Nostius *Zoilus.* L. Livineius *Trypho.* T. Ampius *Menander.* XIV. *Aristocritus. Dexippus. Orpheus.* Clodius *Philetaerus. Acastus.* XVI. *Menander. Andricus. Aegypta. Hermia. Antherus. Harpalus.* Servum etiam, vel libertum, volunt *Demetrium* esse, cuius mentio XVI. xvii. xix. xxii. et sane placet ita. at non habeo nunc quidem, quomodo conciliem cum VIII. xv. Factum esse potest, ut unum alterumve nomen me praeterierit; vel etiam ut enumeraverim aliquem, qui neque servus, neque libertus. Est enim ubi coniectura tantum efficias, quo homo, quem commemorat Cicero, loco fuerit. Latina nomina in tanta nominum graecorum multitudine repperi pauca: quibus alia duo non graeca addo. Lib. II. *Rupa.* V. M. Tullius *Laurea.* VI. *Theudas.* XIII. C. Curtius *Mithres.* XIV. *Sallustius. Pollex.* XV. *Sabinus.* XVI. *Tiro. Mario. Statius.* *Sallustium* illum libertum fuisse Ciceronis credam Ernesto in Clavi, quum non constet aliud. Si quis tamen vehementer insistat, non impediam equidem, quominus nomen suum *Battaro* Catonis inditum ab aliquo vitio putet: modo teneat, in *Diris* caussam eius nominis esse nullam.

De forma nominis satis est ut teneamus vocem *βάτταρος* esse productiorem formam vocis *βάττος*. Atque eam ad rem egregie facit secundo casu conservata alia, sed gemina forma, *βάταλος* vel *βάτταλος*.

De qua itidem recte monuit Casaubonus. Ut enim nec *βατταρίζειν* verbum a *Batto* rege, nec *βαττολογία* ab eodem vel ab obscuro quodam poeta derivandum est, ita nec *βατάλους* sive *βαττάλους* a nomine Batali tibicinis dictos esse credibile est: sed fuit etiam *βάταλος*, sive *βάτταλος*, primitus vox facta, ut Casaubonus indicat, ad imitandum sonum linguae puerilis. Videat aliquis quam sibi similia sint: *βάτταρος* et *βάταλος* s. *βάτταλος*, *Battarus* et *Battalus*. Nihil nisi liquidae inter se permutatae sunt; ac fatendum est hanc formam, quae litteram λ habet, etiam aptiorem meliusque factam esse ad imitandam linguae balbutientis mollitiem. *R* enim litteram pronunciare non posse, balborum est: quo pertinet Ciceronis lusus in nomine *Hirri*, Epist. Fam. II. x. Illud incertum videatur esse, an ad hanc vocis *βάταλος* originem et significationem omnes revocandae sint eius vocis significationes, quae Casauboni sententia fuit. Sane non statim patet hac via, quomodo *βάταλος* *mollem*, *effeminatum* significare coeperit. Magis etiam singulare, quod Harpocratio tradit, Eupolin *βάταλον* dixisse *τὸν πρωκτόν*. cf. Plutarch. Vita Demosth. p. 847. E. Nisi hoc ita ad primariam significationem etymologiamque revoces, ut hanc esse puerilem vel ad captum puerorum effictam partis illius appellationem dicas, numerandam inter nutricum *ὑποκορίσματα*, quo de genere aliquid Scaliger in Virg. Catalecta p. 244. sq. ed. Lindenbr. Haec utut sint, cognomen certe Demosthenis, *Βάταλος* vel *Βάτταλος*, non alio modo explicandum, sed eo modo, quem nuper approbaverunt viri docti, Schaeferus Apparat. ad Demosth. T. II. p. 251. Passovius Lex. Gr. v. *βάταλος*, de vitio pronunciationis accipiendum esse existimo. *Βάτταλος* nomen est etiam apud Hedylum epigr. vii. ut alios omittam. Verum qui sint, quos spectat Gyraldus Poetar. hist. p. 138. E. To. II. quum scribit: *Sunt qui in Vergilianis poematis pro* Bataro Batalum *reponant. ego nihil statuo;* id ego aeque ignoro atque illud, quae sint, ut idem scribit ibidem, *caetera quae de Bataro a Scriptoribus traduntur*. An error subest, ut Erasmi is, quem P. Leopardus Emendat. XV. xxi. tangit? *Battarum* Erasmus, et post Erasmum A. Schottus ad Proverbia Diogeniani p. 204. dicunt, quem omnes alii *Battum*, nobilem illum ducem coloniae. *Batalum* quod attinet, aliquem tamen fuisse suspicor, qui *Batale* pro *Battare* aut ediderit in carmine Catonis, aut scribendum esse dixerit. Non puto enim sine ulla auctoritate Seyfertum in Grammatica Lat. P. II. p. 299. sic scriptum versum laudasse: *Batale cygneas repetamus carmine voces.* Seyfertum mihi monstravit Lobeckius l. l. Praeterea Lobeckius ad Casauboni disputationem illam addit Archigalli nomen, *Battaces*, et *Battabaces*, de quo Wessel. ad Diod. Fragm. L. xxxvi. p. 360. T. X. quod nomen non multum distare a nomine *Battalus* dicit. Et alio Aglaophami loco, T. II.

p. 904. e doctrina recentioris, ut videtur, superstitionis magicae commemorat, plenam portenti radicem, *Βατταρῖτιν*, cuius me nunc primum audire nomen fateor. Id ego putaverim detortum ex *baccare*, quae herba depellebat fascinum, Virgilio teste, Ecl. VII. 27. cf. Serv. in Ecl. IV. 19. Graecis *βάκκαρις*, *βάκχαρις*, dicitur. et *baccharis radix* inter medicamenta ap. Plin. H. N. XXVI. XI. Habeo de *battaritide* coniecturam alteram, de qua differo dicere, quum valde sit incerta. Apud Catonem libri nihil offerunt, quod dubitari de scriptura nominis *Battarus* sinat. Leve est, et saepius obvia in his litteris librariorum consuetudo, memorabilis tamen, quod in duobus libris antiquis semper *Bactare* scribitur, non *Battare;* levius, quod libri editi non pauci, at tamen non antiquissimi, vitiose *Battarem* exhibent in titulo carminis. Videbimus etiam alia vitia, *Baccarum*, *Bachirum*. Sed quam modo commemorabam duorum librorum scripturam *Bactare*, in mentem mihi revocat Ciceronis Epist. ad Trebatium lib. VII. IX. locum, de quo non gravabor, quae mihi haec scribenti coniectura nata sit, exponere. Itaque de eo non dubito, quin recte fecerint, qui ibi *Battara* reponi iusserunt, quod nomen sic scriptum invenitur in libris non contemnendis, et tum in unius codicis scriptura *Bactra*, tum in *Baltera* latet, ut praeter alios libros habent, quae nunc mihi praesto sunt, Veneta per Bernardinum Benalium 1493. Ascensiana 1511. Quod aliis placet, *Vacerra*, quis sibi persuadeat corrumpi tam admirabili modo potuisse, quum id nomen ex epistola praecedente notum consuetumque esse librariis debuerit? Illo loco non haesisse in nomine *Vacerra* librarios, hoc haesisse atque in omnia alia abiisse? At vero aliquid tamen etiam iis libris tribuendum esse puto, in quibus *Vacerra* est. Igitur *Vacerram* verum hominis nomen esse, adscriptum explicationis caussa ab aliquo grammatico, *Battaram* vero cognomen eiusdem viri, sed ioculare, esse coniicio, fictum aut a Cicerone, aut ab alio quopiam inditum Vacerrae.

Igitur humano generi vindicavimus *Battarum*. Et hoc quidem post Iacobsium. Superest ut quali fere conditione homo fuerit monstremus. Quod ita peragemus, ut simul bonus numerus versuum Catonis, quos caeteri interpretes magis sibi intelligere visi sunt, quam intellexerunt, in luce ponatur sua.

Distinctum est Catonis carmen, Dirae, versibus intercalaribus satis multis, quos infra collectos dabo omnes, nunc eos tantum spectabimus, in quibus aliquid ad hanc quaestionem, quam agitamus, momenti est. Sunt autem, praeter exordium carminis,

*Battare, cygneas repetamus carmine voces:*
*Divisas iterum sedes et rura canamus,*
*Rura, quibus diras* etc.

hi: v. 14. 30. 54. 71. 75. 97.

*Rursus, et hoc iterum repetamus Battare carmen.*
*Nec mihi saepe meum resonabit Battare carmen.*
*Tristius hoc, memini, revocasti Battare carmen.*
*Dulcius hoc, memini, revocasti Battare carmen.*
*Tristius hoc rursum dicat mea fistula carmen.*
*Extremum carmen revocemus Battare avena.*

Perpendas singula, *repetamus, revocasti, revocemus*: vides ubique respici aliquid, quod praecesserit. Quaeritur quid illud sit, quod praecesserit. De exordio carminis plane nulla dubitatio est. Ac vide quam prope ab vero abfuerit Pomponius, cuius haec sunt ad versum 3. *Scripsit Vergilius et alias Diras, quae non inveniuntur. ideo ait, Iterum.* rem tenebat manibus, modo veterem de Virgilio superstitionem deponere. Catonemque recordari ex loco Suetonii voluisset. Respicitur carmen ante Diras scriptum, *Indignatio.* Verum qui hoc recte perspexerat, Scaliger, idem etiam reliquos locos, quos apposui, si non omnes, saltem plerosque, eumdem in sensum accipiebat. Nam ad v. 1. 2. ita scribit: *Subinde intercalatur τὸ* Repetamus: *ut innuat se olim in Indignatione haec iam dixisse.* Statuendum erit, ut hoc credas cum Scaligero, *Indignationem* non solum in universum simile, sed in singulis suis partibus simile *Diris* carmen fuisse, et iisdem exsecrationibus, quibus constant Dirae, constitisse. Quod neque Suetonii testimonio comprobatur, qui quae de *Indignatione* tradit, aliud carminis illius argumentum fuisse, et quidem, maximam partem, historicum ostendunt; neque hoc dignum bono poeta, bis eadem scribere. Multo magis veri simile est, in *Indignatione* diras breviter indictas fuisse agro, idque, ut coniicere licet, in fine carminis, postquam se spoliatum esse agro, et indigno spoliatum modo, narravisset.

Wernsdorfius, qua est inconstantia, dum pag. LII. concedit in sententiam Scaligeri, reliqua disputatione sua aliam huic rei versibusque istis explicationem quaerit, non ineptam quidem illam per se, et duobus locis accommodatissimam, sed qua ipse supra modum abutitur. Profectus ille a sua explicatione nominis *Battarus*, proprium hoc diris et exsecrationibus esse ait, ut saepius eadem repetant atque inculcent. Itaque hoc Catonem fecisse Diris: semper eadem dici ac repeti, mutatis verbis; idque ipsum indicare subinde Catonem, quum dicat *repetamus, revocemus*. Cf. Wernsdorf. ad v. 1. 14. 19. 97. Bene, si verum esset, quod ponit Wernsdorfius, semper eadem dicere ac repetere Catonem. Ut nunc res est, quum, duobus locis exceptis, singulae Catonis imprecationes minime idem dicant, sed valde diversas imagines praebeant, quae hunc tantum communem finem habent, ut ad ruinam agri spectent omnes, con-

cidit atque in fumum abit ex maxima parte sua Wernsdorfii explicatio Quibus locis unice accommodatam, et haud dubie veram esse Wernsdorfii interpretationem dixi, hi sunt: v. 14.

*Rursus, et hoc iterum repetamus Battare carmen.*

et 97.

*Extremum carmen revocemus Battare avena.*

Utroque loco quae praecedunt versum intercalarem, et quae sequuntur, eadem sunt ad sententiam, verbis tantum diversa.

Aliam rationem reliqui loci habent. Scilicet unum neglexerunt viri docti, quo recte observato depellitur quicquid in hac quaestione tenebrarum est. Sunt inter versus istos intercalares nonnulli, qui *Battarum* non nihil agere in Diris, dum canit Cato, probant. Hos dico, qui ita loquuntur clare, ut nullus dubitationi locus relinquatur, v. 54. et 71.

*Tristius hoc, memini, revocasti Battare carmen.*

*Dulcius hoc, memini, revocasti Battare carmen.*

Nam quomodo Catoni *revocat* carmen Battarus, nisi ipse aliquas in canendo partes agit? Nec minus huc faciunt v. 1. 2. 14. 97. *repetamus, canamus, revocemus.* Quorsum enim pluralem, si nihil nisi auditor esset Battarus? Denique ne illud quidem de nihilo est, quod Battarus tam saepe compellatur.

Itaque conformatio huius carminis talis est, ut actionis cuiusdam speciem praebeat. Cato versus dicit; canit Battarus fistula. Non quod hoc re vera ita actum fuerit: fingitur ita fieri. Verum est, apud Theocritum, Virgilium, alibi, ubi avenae vel tibiae fit mentio, plerumque ita fieri, ut qui versus dicit, idem etiam canat sibi fistula tibiave, vel potius intercinat. Sed inveniuntur tamen etiam alterius modi vestigia apud eosdem poetas, ut Theocrit. VII. 71. 2. et reputandum est, non esse Catonem ex pastorum apud Theocritum et Virgilium consuetudine moribusque metiendum: pastorem poetam decet instrumentum pastorale, fistula, avena; Catonem, qui pastor neque fuit, neque se esse pastorem fingit, minus decet, vel, ut non dedeceat, certe mirum non est, quod fistulam alteri reliquerit, ipse suam curam unice ponat in versibus faciendis dicendisque. Quam usitatum apud Romanos fuerit, ad tibicinem canere, multis ac satis notis exemplis constat. At vero, inquis, etiam Catonem canere avena manifestum est ex versu 7.

*Multa prius, fuerit quam non* mea *libera* avena.

et ex v. 75.

*Tristius hoc rursum dicat* mea fistula *carmen.*

Num igitur uterque canunt vel intercinunt, duabus avenis, Cato et Battarus? Fieri ita potuit, quamquam non puto factum esse. Est potius, ut antea dixi, una avena, Battari; et quod v. 7. 75. *mea avena, mea*

certe id neque apud Livium VIII. ix. neque apud Macrobium III. ix. invenitur. Est aliquid simile, sed tamen diversum in devotione Decii filii ap. Livium X. xxviii. *coelestium, inferorum* (vel *infernorumque*) *iras; contacturum funebribus diris signa, tela*, etc. Igitur *dirae* sunt *ἀραί*. Et constat, ut a Graecis *Ἀραί* dictae sunt Erinnyes, tamquam vivae atque animatae imprecationes, ita Romanis *Diras* dici Furias: ut a Virgilio; cf. Apuleius II. p. 127, 29. Unde Scaliger Eumenidas Aeschyli non male nuncupabat *Diras*.

Quae ab Livio, aliis, commemorantur *dirarum* exempla, a Diris Catonis partim eo differunt, quod breves fuere plerumque, partim eo, quod in homines dictae. At Cato non hominem, non militem, devovet diris, sed agrum: devovet autem, ut non amplius suum, ne prosit aliis. De *Diris* apud poetas I. C. Scaliger singulare caput fecit in Poetica, LIII. libri primi, et longius, libri V. decimum tertium, ubi cum nostris Diris, quas Virgilio tribuebat, comparat Ibin Ovidii, *Οἰδίποδος ἀράν*, Thyesteas preces, alia huiusmodi. Italis *desperatum carmen* vocari testatur. A Scaligero sua maximam partem sumpsit Delrius Advers. in Senec. Trag. (P. II. Syntagmatis Trag. Lat.) p. 44. Cf. H. Columna in Fragm. Ennii p. 275. Hessel. Salvagnius Boëss. Prolegom. in Ibin cap. II. Huc pertinet Lindenbruchii observatio in exemplari Guelferb. edit. Scalig. 1595. *scripsit et Moero quidam librum Dirarum. quem citat Parthenius in libro de amator. affect. cap. 27. Μοιρὼ ἐν ταῖς ἀραῖς.* Et Moero quidem illa haud dubie non unam, Nicandrae et Alcinoes, *ἀράν*, sed plures *ἀράς* narraverat libro suo. Ut perparum tali libro cum Catone commune fuerit. Omnino neque Ibin Ovidii, aut, de quo coniecturam facere ex Ovidio licet, Callimachi, satis apte comparari cum Catone puto, neque aliud quicquam novi, quod simile fuisse Diris Catonis dicam, si obiter hic illic insertas a poetis imprecationes exceperis. E. g. quam I. C. Scaliger Poet. V. xiii. commemorat, Damonis in Virgil. Ecl. VIII. 52. sqq. etsi haec quoque pertenuis similitudo. Contrarii generis, quod bona vota complectitur, insigne exemplum apud Catonem de Re rust. cxli. preces in lustrando agro. Ex poetis: vota Eumenidum apud Aeschylum, quae Minerva v. 904. sq. praeeunte, vovent v. 938. sqq. Unde Hermannus expressos putabat versus elegantissimos, quos ad Dirar. v. 16. proferam:

*Caelum nitescere, arbores frondescere*, etc.

In componendis Diris multa cum libertate versatus est poeta, sed ea libertate, quae decet poetam. Primo scenam carminis in ipso agro suo posuit, et se nunc primum expelli agris fingit. Quo neglectas esse rationes temporis apparet, si quidem Cato, quum Diras scripsit, iam dudum exsulabat ab agro suo, et alibi, fortasse, quod veri simillimum, in Urbe

agebat. Esse autem scenam carminis, ut dixi, in agro Catonis, vel leviter inspicienti hoc carmen patebit. Flores, silvam, omnia alloquitur tamquam praesentia. Deinde, quod perbene institutum est, omnia uno temporis momento, vel spatio brevissimo, comprehendit, eo quidem, quod ad commovendam miserationem aptissimum: fingit enim omnia a se abeunte cani. cf. v. 84. et 86. sqq. Denique omnia agi cum *Battaro* fingit.

Sed *Battarus* quis tandem, aut quid fuit? De eo incredibilis opinionum varietas. Antiquissimi interpretes, Pomponius Sabinus, Domitius Calderinus, Iod. Badius Ascensius, *arborem* fuisse Battarum coniiciebant, et quidem *fagum* ex Virgilii Ecloga 1. Qua de re satis semel expositum, ubi veterem fabulam de Virgilio Dirarum auctore enarro, Diss. I. Fuisse etiam qui *vicum* intelligeret, e Domitio cognoscitur, cuius ibi verba apposui. Ab illorum ratione haud longe abit Glossa Venetae Iens. quae *silvam* vult esse Battarum. Ut in principio carminis: *In agro Virgiliano erat silva nomine battarus, in honorem Iovis incedua reservata.* Rursus Scaliger *fluvium* esse Battarum censebat: quam opinionem quomodo exornaverit, ipsum audire operae pretium est ad v. 1. Cum Scaligero faciunt Boxhornius ad v. 36. Scriverius ap. Burmann. ad v. 93., Arnoldus. N. Heinsius ad v. 29. 33. et 35. de *colle* cogitat; vel ipsam *villam* Catonis dictam fuisse Battarum. Audiamus etiam Is. Vossium, qui in exemplo editionis Scalig. 1573. quod Leidae asservatur, ad disputationem Scaligeri eam, qua versum 64. convertit in rem suam, haec adscripsit: *imo mons potius, nam sequitur, Nam tibi sunt fontes tibi flumina semper amica. Sed neutrum verum esse puto.* Quae est bona observatio. Videbat Vossius versum 64. non ad confirmandam sententiam Scaligeri, sed ad refutandam factum esse. Si enim ipse fluvius fuisset Battarus, non hoc precaturus erat Cato: *Battare, fluminibus tu nostros trade dolores*, sed hoc, ut ipse primus incurreret in agrum. Praeterea Vossium, quid verum esset, etsi non dicit, sensisse tamen coniicio. Scilicet mirari lubet tot et tantorum virorum iudicia, quaerentium *Battarum* in tota rerum natura, illud non videntium, quod simplicissimum erat. *Homo* est Battarus. Id unus sensit atque indicavit obiter Fr. Iacobsius praeclara illa disputatione de Valerii Catonis Diris. Quod unum dico, non nego in eadem quemquam ante Iacobsium sententia fuisse. Veluti Heinsio scripta ad versum 1. quum lego ac perpendo, veritatem obversatam esse ista scribenti dixerim, quamquam alio tempore de *colle* cogitavit. Deinde est aliquid Iacobsii sententiae simile in opinione Io. Christ. Wernsdorfii, de Val. Catonis Diris Prooem. p. XLIX. sqq., sed id mirum in modum deflexum et deformatum. Wernsdorfio *Battarus*, *βάτταρος*, *nugator, blatero*, nomen est sive cognomen poetae alicuius,

quem Cato hoc Dirarum carmine imitatus sit: fortasse Callimachi, propter Ibin. Sed molestum est breviter dicere, quae alius diffuse, et partim manifesto falsa, partim non satis inter se omnia concilianda disputaverit. Quare reliqua, qui volet, apud ipsum legat Wernsdorfium. Manifesto falsum illud est, ut unum commemorem, quod *ταυτολογίαις scatere* carmen Catonis, et *verum βαττολογίας exemplum* esse dicit.

De nomine ipso *Battari* haec habeo. Vox non reperta est alibi. Sed tamen *Battara* est, nomen viri, apud Ciceronem Epist. ad Famil. VII. IX. quem locum Heinsius protulit ad versum Catonis 1. et *βατταρίζειν*, cum derivatis, *βατταρισμός*, *βατταριστής*, apud grammaticos, quos enumerare supersedeo: sufficiunt testes, antiquissimus, Hipponax in Bekkeri Anecdot. I. p. 85, 20. et Cicero ad Atticum VI. v. Primam vocis originem rectissime explicuit Casaubonus ad Sueton. August. LXXXVII. ubi voces recenset fictas per *ὀνοματοποιΐαν* ad exprimendum frequentem infantiae sonum *ba* vel *bat* aut *bad*. De *buttubata*, quod respondet nostro *papperlapap*, Festus h. v. ibique Scaliger; cf. idem Festus v. *exbueres*, et v. *imbutum*. Sosip. Charisius lib. II. extr. Tetigit nunc illud *butubatta*, nam sic scribit, Lobeckius in Aglaophamo T. II. p. 1332. comparatque cum nostro *larifari*. Quod ipsum in mentem mihi revocat Plautinum *liroe liroe*, Poen. I. 1. 8. nam *liroe liroe* etsi proprie significabat *λῆροι λῆροι*, factum tamen esse usu puto, ut nihil sonaret aliud, quam nostrum *lirum larum*. De *Bambalione* Ciceronis loci sunt Philipp. II. XXXVI. 90. III. VI. 16. quorum posterior inprimis disertus: *Bambalio, qui propter haesitantiam linguae, stuporemque cordis, cognomen ex contumelia traxerit*. Igitur eas inter voces *βάττος* fuit. Casaubonus: *βάττος*, inquit, *unde βαττολογία et βατταρίζειν, ut placet doctioribus Grammaticis; non a Batto, sicut somniant poetae. Doctiores* Grammaticos dicit, ut Etymologum v. *βατταρίζειν*. cf. boni grammatici observatio Anecd. Bekker. I. p. 224. et apud Hesychium v. *βατταρίζειν*. sed Etymologus inprimis perspicue. Fuerunt igitur, quam multorum nominum, romanorum etiam, rationem fuisse constat, *βάττος*, et alia forma *βάτταρος*, quae sic non invenitur amplius, sed invenitur derivatum *βατταρίζειν*, non propria primitus, sed appellativa nomina, iis tribui solita, qui illo linguae vitio laborabant, vel etiam simili: nam facile concedemus Casaubono, etiam ad alia vitia denotanda, pueritiae affinia, voces istiusmodi factas fuisse. Ut apud ipsum Ciceronem l. l. ad Atticum, *βατταρίζων* non potest *balbutiens*, sensu proprio, esse: sed est *perturbate loquens, balbutiens* propter inopiam consilii, malique facinoris conscientiam. Inde quum nomina esse propria coepissent, potuerunt etiam iis tribui, in quos non caderet ullum linguae vitium. Ut Theocritus quum aliquem hominem *Battum* appellat, non significat, blaesum sive balbum

hominem fuisse, sed nomen hoc est, ut sunt alia pastorum apud Theocritum nomina. Heinsio quare Siculum esse nomen *Battarus* videatur, non exputo: fortasse quod in Sicilia fuisse villam Catonis sibi persuasisset. Ego hoc tantum dixerim: primo, graecum fuisse origine; deinde, magis servorum quam aliorum hominum videri proprium fuisse. Ut ipsum Catonis Battarum servum fuisse coniicio. Nam quominus fictum esse *Battari* apud Catonem nomen, et aliud latere sub eo statuamus, obstat simplicitas Catonis, qui suis res hominesque nominibus appellare solet, neque idonea aut ex nomine *Battarus* aut ex carmine Catonis caussa reddi potest, cur Cato, si fictum ponere nomen voluisset, *Battari* nomen ponere quam aliud maluerit. Annotavi ex Epistolis Ciceronis, quae dicuntur ad Familiares, libertorum ac servorum nomina graeca, eaque hoc loco recensebo, ut appareat unius scriptoris exemplo, quanta fuerit nominum istiusmodi multitudo ac varietas. Sed indicabo tantum libros, brevitatis caussa, et si qui bis vel saepius commemorantur, eos semel tantum nominabo. Lib. II. *Thraso. Philo. Phania.* III. *Cilix. Pausanias. Philotimus.* IV. *Theophilus.* V. *Dionysius* servus. VI. *Philargyrus. Seleucus. Chilo.* VII. *Protogenes. Chrysippus* Vettius. Caius Avianus *Evander. Apella.* IX. *Zethus. Phileros. Cytheris* Volumnia. X. *Dardanus.* XII. *Dionysius* libertus. *Eros* Turius. XIII. *Apollonius.* C. Avianus *Hammonius.* L. Cossinius *Anchialus. Hilarus. Antigonus. Demostratus. Anchialus* servus. L. Nostius *Zoilus.* L. Livineius *Trypho.* T. Ampius *Menander.* XIV. *Aristocritus. Dexippus. Orpheus.* Clodius *Philetaerus. Acastus.* XVI. *Menander. Andricus. Aegypta. Hermia. Antherus. Harpalus.* Servum etiam, vel libertum, volunt *Demetrium* esse, cuius mentio XVI. XVII. XIX. XXII. et sane placet ita. at non habeo nunc quidem, quomodo conciliem cum VIII. XV. Factum esse potest, ut unum alterumve nomen me praeterierit; vel etiam ut enumeraverim aliquem, qui neque servus, neque libertus. Est enim ubi coniectura tantum efficias, quo homo, quem commemorat Cicero, loco fuerit. Latina nomina in tanta nominum graecorum multitudine repperi pauca: quibus alia duo non graeca addo. Lib. II. *Rupa.* V. M. Tullius *Laurea.* VI. *Theudas.* XIII. C. Curtius *Mithres.* XIV. *Sallustius. Pollex.* XV. *Sabinus.* XVI. *Tiro. Mario. Statius.* *Sallustium* illum libertum fuisse Ciceronis credam Ernesto in Clavi, quum non constet aliud. Si quis tamen vehementer insistat, non impediam equidem, quominus nomen suum *Battaro* Catonis inditum ab aliquo vitio putet: modo teneat, in *Diris* caussam eius nominis esse nullam.

De forma nominis satis est ut teneamus vocem *βάτταρος* esse productiorem formam vocis *βάττος*. Atque eam ad rem egregie facit secundo casu conservata alia, sed gemina forma, *βάταλος* vel *βάτταλος*.

De qua itidem recte monuit Casaubonus. Ut enim nec *βατταρίζειν* verbum a *Batto* rege, nec *βαττολογία* ab eodem vel ab obscuro quodam poeta derivandum est, ita nec *βατάλους* sive *βαττάλους* a nomine Batali tibicinis dictos esse credibile est: sed fuit etiam *βάταλος*, sive *βάτταλος*, primitus vox facta, ut Casaubonus indicat, ad imitandum sonum linguae puerilis. Videat aliquis quam sibi similia sint: *βάτταρος* et *βάταλος* s. *βάτταλος*, *Battarus* et *Battalus*. Nihil nisi liquidae inter se permutatae sunt; ac fatendum est hanc formam, quae litteram λ habet, etiam aptiorem meliusque factam esse ad imitandam linguae balbutientis mollitiem. *R* enim litteram pronunciare non posse, balborum est: quo pertinet Ciceronis lusus in nomine *Hirri*, Epist. Fam. II. x. Illud incertum videatur esse, an ad hanc vocis *βάταλος* originem et significationem omnes revocandae sint eius vocis significationes, quae Casauboni sententia fuit. Sane non statim patet hac via, quomodo *βάταλος mollem*, *effeminatum* significare coeperit. Magis etiam singulare, quod Harpocratio tradit, Eupolin *βάταλον* dixisse *τὸν πρωκτόν*. cf. Plutarch. Vita Demosth. p. 847. E. Nisi hoc ita ad primariam significationem etymologiamque revoces, ut hanc esse puerilem vel ad captum puerorum effictam partis illius appellationem dicas, numerandam inter nutricum *ὑποκορίσματα*, quo de genere aliquid Scaliger in Virg. Catalecta p. 244. sq. ed. Lindenbr. Haec utut sint, cognomen certe Demosthenis, *Βάταλος* vel *Βάτταλος*, non alio modo explicandum, sed eo modo, quem nuper approbaverunt viri docti, Schaeferus Apparat. ad Demosth. T. II. p. 251. Passovius Lex. Gr. v. *βάταλος*, de vitio pronunciationis accipiendum esse existimo. *Βάτταλος* nomen est etiam apud Hedylum epigr. VII. ut alios omittam. Verum qui sint, quos spectat Gyraldus Poetar. hist. p. 138. E. To. II. quum scribit: *Sunt qui in Vergilianis poematis pro* Bataro Batalum *reponant. ego nihil statuo;* id ego aeque ignoro atque illud, quae sint, ut idem scribit ibidem, *caetera quae de Bataro a Scriptoribus traduntur.* An error subest, ut Erasmi is, quem P. Leopardus Emendat. XV. XXI. tangit? *Battarum* Erasmus, et post Erasmum A. Schottus ad Proverbia Diogeniani p. 204. dicunt, quem omnes alii *Battum*, nobilem illum ducem coloniae. *Batalum* quod attinet, aliquem tamen fuisse suspicor, qui *Batale* pro *Battare* aut ediderit in carmine Catonis, aut scribendum esse dixerit. Non puto enim sine ulla auctoritate Seyfertum in Grammatica Lat. P. II. p. 299. sic scriptum versum laudasse: *Batale cygneas repetamus carmine voces.* Seyfertum mihi monstravit Lobeckius l. l. Praeterea Lobeckius ad Casauboni disputationem illam addit Archigalli nomen, *Battaces*, et *Battabaces*, de quo Wessel. ad Diod. Fragm. L. XXXVI. p. 360. T. X. quod nomen non multum distare a nomine *Battalus* dicit. Et alio Aglaophami loco, T. II.

p. 904. e doctrina recentioris, ut videtur, superstitionis magicae commemorat, plenam portenti radicem, *Βατταρῖτιν*, cuius me nunc primum audire nomen fateor. Id ego putaverim detortum ex *baccare*, quae herba depellebat fascinum, Virgilio teste, Ecl. VII. 27. cf. Serv. in Ecl. IV. 19. Graecis *βάκκαρις, βάκχαρις*, dicitur. et *baccharis radix* inter medicamenta ap. Plin. H. N. XXVI. xi. Habeo de *battaritide* coniecturam alteram, de qua differo dicere, quum valde sit incerta. Apud Catonem libri nihil offerunt, quod dubitari de scriptura nominis *Battarus* sinat. Leve est, et saepius obvia in his litteris librariorum consuetudo, memorabilis tamen, quod in duobus libris antiquis semper *Bactare* scribitur, non *Battare;* levius, quod libri editi non pauci, at tamen non antiquissimi, vitiose *Battarem* exhibent in titulo carminis. Videbimus etiam alia vitia, *Baccarum*, *Bachirum*. Sed quam modo commemorabam duorum librorum scripturam *Bactare*, in mentem mihi revocat Ciceronis Epist. ad Trebatium lib. VII. ix. locum, de quo non gravabor, quae mihi haec scribenti coniectura nata sit, exponere. Itaque de eo non dubito, quin recte fecerint, qui ibi *Battara* reponi iusserunt, quod nomen sic scriptum invenitur in libris non contemnendis, et tum in unius codicis scriptura *Bactra*, tum in *Baltera* latet, ut praeter alios libros habent, quae nunc mihi praesto sunt, Veneta per Bernardinum Benalium 1493. Ascensiana 1511. Quod aliis placet, *Vacerra*, quis sibi persuadeat corrumpi tam admirabili modo potuisse, quum id nomen ex epistola praecedente notum consuetumque esse librariis debuerit? Illo loco non haesisse in nomine *Vacerra* librarios, hoc haesisse atque in omnia alia abiisse? At vero aliquid tamen etiam iis libris tribuendum esse puto, in quibus *Vacerra* est. Igitur *Vacerram* verum hominis nomen esse, adscriptum explicationis caussa ab aliquo grammatico, *Battaram* vero cognomen eiusdem viri, sed ioculare, esse coniicio, fictum aut a Cicerone, aut ab alio quopiam inditum Vacerrae.

Igitur humano generi vindicavimus *Battarum*. Et hoc quidem post Iacobsium. Superest ut quali fere conditione homo fuerit monstremus. Quod ita peragemus, ut simul bonus numerus versuum Catonis, quos caeteri interpretes magis sibi intelligere visi sunt, quam intellexerunt, in luce ponatur sua.

Distinctum est Catonis carmen, Dirae, versibus intercalaribus satis multis, quos infra collectos dabo omnes, nunc eos tantum spectabimus, in quibus aliquid ad hanc quaestionem, quam agitamus, momenti est. Sunt autem, praeter exordium carminis,

> *Battare, cygneas repetamus carmine voces:*
> *Divisas iterum sedes et rura canamus,*
> *Rura, quibus diras* etc.

hi: v. 14. 30. 54. 71. 75. 97.

*Rursus, et hoc iterum repetamus Battare carmen.*
*Nec mihi saepe meum resonabit Battare carmen.*
*Tristius hoc, memini, revocasti Battare carmen.*
*Dulcius hoc, memini, revocasti Battare carmen.*
*Tristius hoc rursum dicat mea fistula carmen.*
*Extremum carmen revocemus Battare avena.*

Perpendas singula, *repetamus*, *revocasti*, *revocemus*: vides ubique respici aliquid, quod praecesserit. Quaeritur quid illud sit, quod praecesserit. De exordio carminis plane nulla dubitatio est. Ac vide quam prope ab vero abfuerit Pomponius, cuius haec sunt ad versum 3. *Scripsit Vergilius et alias Diras, quae non inveniuntur. ideo ait, Iterum.* rem tenebat manibus, modo veterem de Virgilio superstitionem deponere. Catonemque recordari ex loco Suetonii voluisset. Respicitur carmen ante Diras scriptum, *Indignatio*. Verum qui hoc recte perspexerat, Scaliger, idem etiam reliquos locos, quos apposui, si non omnes, saltem plerosque, eumdem in sensum accipiebat. Nam ad v. 1. 2. ita scribit: *Subinde intercalatur τὸ* Repetamus: *ut innuat se olim in Indignatione haec iam dixisse*. Statuendum erit, ut hoc credas cum Scaligero, *Indignationem* non solum in universum simile, sed in singulis suis partibus simile *Diris* carmen fuisse, et iisdem exsecrationibus, quibus constant Dirae, constitisse. Quod neque Suetonii testimonio comprobatur, qui quae de *Indignatione* tradit, aliud carminis illius argumentum fuisse, et quidem, maximam partem, historicum ostendunt; neque hoc dignum bono poeta, bis eadem scribere. Multo magis veri simile est, in *Indignatione* diras breviter indictas fuisse agro, idque, ut coniicere licet, in fine carminis, postquam se spoliatum esse agro, et indigno spoliatum modo, narravisset.

Wernsdorfius, qua est inconstantia, dum pag. LII. concedit in sententiam Scaligeri, reliqua disputatione sua aliam huic rei versibusque istis explicationem quaerit, non ineptam quidem illam per se, et duobus locis accommodatissimam, sed qua ipse supra modum abutitur. Profectus ille a sua explicatione nominis *Battarus*, proprium hoc diris et exsecrationibus esse ait, ut saepius eadem repetant atque inculcent. Itaque hoc Catonem fecisse Diris: semper eadem dici ac repeti, mutatis verbis; idque ipsum indicare subinde Catonem, quum dicat *repetamus, revocemus*. Cf. Wernsdorf. ad v. 1. 14. 19. 97. Bene, si verum esset, quod ponit Wernsdorfius, semper eadem dicere ac repetere Catonem. Ut nunc res est, quum, duobus locis exceptis, singulae Catonis imprecationes minime idem dicant, sed valde diversas imagines praebeant, quae hunc tantum communem finem habent, ut ad ruinam agri spectent omnes, con-

cidit atque in fumum abit ex maxima parte sua Wernsdorfii explicatio Quibus locis unice accommodatam, et haud dubie veram esse Wernsdorfii interpretationem dixi, hi sunt: v. 14.

*Rursus, et hoc iterum repetamus Battare carmen.*

et 97.

*Extremum carmen revocemus Battare avena.*

Utroque loco quae praecedunt versum intercalarem, et quae sequuntur, eadem sunt ad sententiam, verbis tantum diversa.

Aliam rationem reliqui loci habent. Scilicet unum neglexerunt viri docti, quo recte observato depellitur quicquid in hac quaestione tenebrarum est. Sunt inter versus istos intercalares nonnulli, qui *Battarum* non nihil agere in Diris, dum canit Cato, probant. Hos dico, qui ita loquuntur clare, ut nullus dubitationi locus relinquatur, v. 54. et 71.

*Tristius hoc, memini, revocasti Battare carmen.*
*Dulcius hoc, memini, revocasti Battare carmen.*

Nam quomodo Catoni *revocat* carmen Battarus, nisi ipse aliquas in canendo partes agit? Nec minus huc faciunt v. 1. 2. 14. 97. *repetamus, canamus, revocemus.* Quorsum enim pluralem, si nihil nisi auditor esset Battarus? Denique ne illud quidem de nihilo est, quod Battarus tam saepe compellatur.

Itaque conformatio huius carminis talis est, ut actionis cuiusdam speciem praebeat. Cato versus dicit; canit Battarus fistula. Non quod hoc re vera ita actum fuerit: fingitur ita fieri. Verum est, apud Theocritum, Virgilium, alibi, ubi avenae vel tibiae fit mentio, plerumque ita fieri, ut qui versus dicit, idem etiam canat sibi fistula tibiave, vel potius intercinat. Sed inveniuntur tamen etiam alterius modi vestigia apud eosdem poetas, ut Theocrit. VII. 71. 2. et reputandum est, non esse Catonem ex pastorum apud Theocritum et Virgilium consuetudine moribusque metiendum: pastorem poetam decet instrumentum pastorale, fistula, avena; Catonem, qui pastor neque fuit, neque se esse pastorem fingit, minus decet, vel, ut non dedeceat, certe mirum non est, quod fistulam alteri reliquerit, ipse suam curam unice ponat in versibus faciendis dicendisque. Quam usitatum apud Romanos fuerit, ad tibicinem canere, multis ac satis notis exemplis constat. At vero, inquis, etiam Catonem canere avena manifestum est ex versu 7.

*Multa prius, fuerit quam non* mea *libera* avena.

et ex v. 75.

*Tristius hoc rursum dicat* mea fistula *carmen.*

Num igitur uterque canunt vel intercinunt, duabus avenis, Cato et Battarus? Fieri ita potuit, quamquam non puto factum esse. Est potius, ut antea dixi, una avena, Battari; et quod v. 7. 75. *mea avena, mea*

*fistula*, dicitur, improprie dicitur. Ut ubique poetae, etiam nostrates, et qui nunquam digito attigerunt chordas, lyra se aut tibia, dum versus faciunt, canere fingunt. Id inprimis conspicuum in versu 7. ubi *libera avena* ne sensum quidem haberet, si proprie acciperetur *avena*, sed est pro *carmine*: multa prius fuerint, quam non fuerit liberum carmen meum. Versu 75. si tamen ibi recte *dicat* legitur, hoc tantum dicit: age rursum tristius hoc carmen dicam. Eamdem in sententiam interpretandus versus 19.

*Nec desit* nostris *devotum carmen* avenis.

ubi *avenas* dicit unam Battari, quae re vera avena est, alteram improprie, h. e. suum cantum.

Iam si tibicinis partes in Diris peragit Battarus, non diu quaeremus, quali homo conditione fuerit. Fuit haud dubie servili conditione homo, idonea fistulae vel tibiae peritia pollens, fortasse pastor, quocum et olim Cato, beatus otio ruris sui, cecinerat, et nunc se canere Diras fingit. Et apte hoc fingit, quum scenam carminis, ut dixi, in agro suo posuerit, Battarum vero, ut alios servos, restitisse in agris, Catone expulso, probabile sit. Fistula Battari iam antea usum esse Catonem, et aliquam eius mentionem in carminibus ante Diras fuisse, tum illud videtur declarare, quod de Battaro in Diris ubique tamquam de nota persona loquitur Cato, tum maxime colligitur ex initio carminis, ubi *Battare repetamus* scribi non licuisset, nisi iam antea aut alio in carmine aut, quod non improbabile, in ipsa *Indignatione* opera Battari in canendo usus fuisset. At saepe usum esse Catonem Battaro, etiam ex versu 30. colligo. Cf. ad v. 54. 71. monenda. Praeterea duplex ad disputationem nostram momentum in v. 63. seqq. inest:

*Si minus haec, Neptune, tuas infundimus auris*,
*Battare, fluminibus tu nostros trade dolores;*
*Nam tibi sunt fontes* etc.

quibus versibus cur Battaro favere flumina fontesque dicantur, luculenter apparet, postquam fistulae peritum fuisse Battarum monstravimus, et discitur ex iisdem, remansisse in Catonis villa Battarum. Nam Cato ibi, dum abit in perpetuum, mandat Battaro, quod se absente peragendum sit.

Reliqua suo loco ad singulos versus observabuntur. Hic semel omnia quae disputavimus paucis complectemur. Ergo initium facit Cato a recordatione carminis prius scripti, *Indignationis*: age, inquit, o Battare, repetamus carmen illud cycneum, h. e. lugubre et supremum. Septem versus, qui exordium constituunt. Ab octavo ipsae Dirae incipiunt. Quando Battarus exhortationi Catonis pareat, et canere fistula incipiat, fortasse alius iudicabit alio modo. Erit cui statim ab initio Cato canere cum Battaro videatur. Mihi magis placet incipere Battarum post exor-

dium carminis: exordium sive prooemium, quo exhortatio ad Battarum continetur, sine fistula dici a Catone solo par erat. Iam vero in Diris, inde a versu 8. usque ad finem, praeter v. 62. nihil scriptum est quo respiciatur ad *Indignationem*. Novum carmen, et per se constans, Dirae sunt. Inserit passim versus intercalares, quibus nunc se ipsum, nunc Battarum, nunc se et Battarum excitat, commonefacit, confirmat, variis sententiis. De Battaro restat ut quaeratur, utrum inter singulas imprecationes intercinat, id quod, si cui ita placeat, iis locis fieri putandum erit, ubi versus insertus est intercalaris, ut in illo Virgilii carmine versus *Incipe Maenalios mecum mea tibia versus*, indicium est intervallorum, quae tibiae cantu explentur; an, quod praefero, totum Catonis carmen ab initio usque ad finem persequatur et exprimat fistula. Nempe alia carminum ratio est eorum, in quibus unus et versus dicit et fistula tibiave canit, quae res nequeunt simul peragi; alia eius, in quo munera illa duobus divisa sunt. Atque sic facillimam explicationem habent versus 54. 71. Et tum quidem veri simile est, remittere fistulam Battari, dum Cato versus dicit intercalares. Caeterum iam monui nunquam Diras eo modo actas esse, sed fingere Catonem haec omnia.

Post haec apparet, quam recte ad inscriptionem carminis *Dirae* multi libri editi appositum habeant *ad Battarum*, vel ut alii nonnulli, quod etiam peius, *in Battarum*. Ut nunc taceam additamentum alterum: *Dirae, id est carmen execratorium, ad Battarum*.

Haec mea de *Battaro*, quae primum in Museo Rhenano Vol. II. Fasc. I. edita fuere, etiam C. Putschio, ut puto, placuere. Et fortasse ipse deposuit suam opinionem, *Battarum* esse *Bassarum*, *Bassareum*, Bacchum.

De *Diris*, non esse unam et continuam imprecationem, sed esse carmen, inde ab exordio, quod versibus, ut dixi, septem prioribus continetur, in partes quasdam, et imprecationum quasi circulos sive orbes, divisum, recte in universum Putschius p. 30. seqq. Etsi non omnia sunt imprecationes: nam v. 26. seqq. nihil imprecatur agro, sed dolet illud, quod militem perpetraturum esse in agro praevidet: qua cogitatione eo abripitur, ut iam non solum sterilitatem et calamitatem, ut antea, sed interitum, per fulmen, per tempestatem, per aquas, imprecetur agro. Sequitur inde a versu 82. peroratio, sedato affectu, qua et agro vale dicit, et Lydiae. Partes illae ut dignosci queant, curatum est apte insertis versibus intercalaribus, quos hic exscribam omnes. Intercalares dico communi appellatione, non quod omnes re vera sint intercalares. Versus enim intercalaris haec propria notio est, ut idem versus, vel leviter tantum mutatus, repetatur. At commune versibus his, quos propositurus sum, omnibus hoc est, quod sunt medii inter diversas carminis

partes intercalati; deinde omnes poetae verba, de se suoque carmine loquentis, Battarum alloquentis, excitantis, continent.

1. *Battare* etc.
7. *Multa prius, fuerit quam non mea libera avena.*
14. *Rursus, et hoc iterum repetamus Battare carmen.*
19. *Nec desit nostris devotum carmen avenis.*
25. *Sic precor, et nostris superent haec carmina votis.*
30. *Nec mihi saepe meum resonabit Battare carmen.*
47. *Sic precor, et nostris superent haec carmina votis.*
54. *Tristius hoc, memini, revocasti Battare carmen.*
62. *Rura, quibus diras indiximus, impia vota.*
71. *Dulcius hoc, memini, revocasti Battare carmen.*
75. *Tristius hoc rursum dicat mea fistula carmen.*
97. *Extremum carmen revocemus Battare avena.*

Potuerat etiam post versum 36. et post v. 41. intercalarem inserere Cato. Sed omnino non anxie versatus est hac in re poeta, neque curavit, ut paribus intervallis poneret intercalares, quo paria fierent media inter versus intercalares systemata. Vim tantum et sollemnitatem quamdam his versibus quaerebat carmini suo. Deinde, etsi nihil Diris Catonis cum veris incantamentis commune est, et ipse optime poeta sentiebat nullam vim magicam esse in carmine suo, tamen non incredibile est, voluisse poetam incantamentorum et carminum magicorum formam modumque imitari. Est autem carminum eiusmodi tum apud alios populos proprium, tum apud veteres proprium fuisse videtur, ut eadem verba per intervalla repeterentur, et iterum iterumque intercalarentur: ut apud Theocritum Ἴϋγξ, ἕλκε τὸ τῆνον ἐμὸν κοτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα, et apud Virgilium *Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.* A Theocriti Virgiliique usu partim eo recedit Cato, quod intervallis non certis ac paribus versum intercalarem ponit, sed libere, nunc post plures versus, nunc post pauciores, ut Bio in Epitaphio Adonidos, et Moschus in Epitaphio Bionis: etsi apud Theocritum quoque exempla esse huius libertatis constat. Partim eo, quod multum variat versum intercalarem, quum apud Theocritum et reliquos versus semper idem repeti soleat, vel leviter immutatus. Dicam hac opportunitate de versu intercalari Theocriti in primo carmine:

*ἄρχετε βωκολικᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς,*

meam sententiam: quo in versu quum certum sit, tum auctoritatem reputanti codicum, tum diserto interpretis graeci ad vs. 84. testimonio, esse aliquoties *πάλιν* substituendum pro *φίλαι*: id quaeritur, quibus sit restituendum locis. Ac mihi, dum stropharum sive systematum ordinem perpendo, quae ibi post exordium versibus sex 64. seqq. constans, inde

a versu 70. usque ad v. 126. excluso tamen versu 107. qui alienus ab hoc carmine, quatuordecim sunt, partim binis versibus, partim quaternis, probabile est, caeteris locis omnibus φίλαι retinendum esse, at his locis, 73. 84. 94. 108. 114. 122. scribendum esse:

ἄρχετε βωκολικᾶς, Μῶσαι, πάλιν ἄρχετ' ἀοιδᾶς.

quae coniectura tantum a codicibus scriptis, maxime a codice Sanctamandi, de quo ille ad v. 84. accurate refert, praesidii habet, quantum sufficiat aequo codicum, his maxime in rebus, aestimatori. Schema hoc:

φι πα φι φι πα φι πα φι φι πα φι πα φι πα
2 2 2 4 4 4 4 4 2 2 2 4 2 4

Inde a versu 127. rursus immutatur versus intercalaris, hunc in modum: *λήγετε βωκολικᾶς, Μῶσαι, ἴτε, λήγετ' ἀοιδᾶς.* Atque hinc nullam certam legem ac mensuram stropharum observat Theocritus: fortasse, quod olim observare Hermannum memini, quia iam magis languescit Daphnis.

Denique a Theocriti Virgiliique more eo discrepat usus Catonis, quod illi versum intercalarem seorsum ponere extra ordinem sententiarum, neque cum praecedentibus nexum, neque cum sequentibus, solent, ut et praecedat versum intercalarem interpunctio, et sequatur interpunctio in fine eius; vel etiam ita, ut per parenthesin insertus sermonem inceptum interrumpat: Theocrit. II. 105. et, si hic certus locus est, I. 84. Cato nunc habet non nexum, v. 14. 54. 71. 75. 97. nunc nexum, v. 7. 19. 62. nunc si non nexum, tamen propius ad praecedentia relatum, quam ad sequentia, 25. 47. Semel per parenthesin, v. 30.

Inscriptionem Cato haud dubie ipse carmini suo hanc fecerat, *Dirae.* Id libris maxime credimus vetustis manu scriptis. Nam ex Dirarum versu 3. et 62. certa coniectura fieri nequit, quum priori certe loco *diras* dicat non has, sed illas, quae fuere in Indignatione. VIRGILII MARONIS DIRAE in Petaviano. DIRAE MARONIS INCIPIUNT in Thuaneo, Burmanno et Is. Vossio testantibus. Quod addit Burmannus: *neque aliter in Vossiano*, ego ex eo codice, quem Vossianum I. appello, nullam inscriptionem annotatam habeo: ac nescio, an quid ibi turbatum sit a Burmanno. Etsi per se nihil hoc mirum, si ita fuerit in codice illo. Non aliud puto in Parisino II. esse. In Parisino III. initium Dirarum deest. *Dire Maronis Virgilii* Parisinus IV. *Dirae. Maronis. Virgilii incipiunt* Anglicanus. P. VIRGILII MARONIS DIRARUM LIBER INCIPIT in Mediceo ap. Burmann. (Catal. Bandin. T. II. c. 281.) *Eiusdem* (P. Virgilii Maronis) *Dirae* Mediceus Catal. Bandin. T. II. c. 125. *P. V. M. Liber Dirarum* Mediceus Catal. Bandin. T. III. c. 753. Si ubique accurate de inscriptione retulit Bandinius. In uno Mediceo Catal.

Band. T. II. c. 309. longior est inscriptio, referente Bandinio: *Virgilii Carmen in Bachirum, seu Dirae.* EIUSDEM MARONIS DIRAE INCIPIUNT — M. DIRAE FINIUNT. in Augustano. *Explicit Mecenas Incipit* DIRA MARONIS Monacensis I. *Dira Maronis incipit* Monacensis II. In Vratislaviensi I. nullae sunt inscriptiones. Eadem laudabilis brevitas inscriptionis in editis nonnullis cernitur. Romana I. carmini ipsi nullam praepositam inscriptionem, at in Tabula Librorum hanc habet: *P. Virgilii Maronis. Dirae.* In Veneta Achatis: *.P. V. M. Dire Incepit.* In Mutinensi, haud dubie ex Mediolanensi Maittairii: *P. Virgilii Maronis Dirae incipiunt.* At in Romana II. haec est: *P. Virgilii Maronis Dire id est carmen execratorium ad Battarum.* Quam ego industriae deberi Ioannis Andreae, Episcopi Aleriensis, existimo: cf. Diss. IV. quae narro de Romana II. Quod enim prorsus eadem inscriptio in libris scriptis nonnullis, Basileensi, Vossiano II. et Vratislaviensi II. legitur, ego eam hos in codices ex Romana II. venisse arbitror. Deinde ex Romana II. in multos libros editos venit eadem: ut in Venetam per Bartholomaeum Cremonens. 1472. quod colligo ex Burio, Bibliographie instructive, Belles Lettres T. I. N. 2663. pag. 285. et fortasse in Romanam 1473. Certe est in Venetis Rubei et Iensoni, atque inde in meis omnibus ante Ascensium, etiam in duabus Venetis apud Burmannum. Hoc tantum discrimine, quod in Venetis Rub. et Iens. vitiose AD BATTAREM legitur: quod vitium propagatum est in Vicentinam et Vossianum II. in Venetas 1482. 1486. 1499. 1500. et in Norimbergensem 1492. correctum est vitium in Brixiensi 1485. Veneta 1488. in Mediolanensi 1501. Argentinensi 1502. Virgilio Aldi, Taurinensi 1518. et correctum a manu glossatoris in nostro exemplo Venetae Iens. *In Battarum* primum Ascensianae, in quibus ita: *P. Virgilii Maronis Dirae. id est carmen execratorium in Battarum.* Tandem post Ascensium eiectum est ineptum additamentum *id est carmen execratorium.* Ut in Aldinis 1517. et 1534. est: P. V. MARONIS DIRAE AD BATTARUM. et sic in Basil. Bryling. 1543. Lugdun. Frellon. 1556. Lugdun. A. Gryph. 1592. P. V. M. DIRAE IN BATTARUM male Lugdunensis Cresp. 1529. Venetae Iunt. 1544. Scot. 1555. Bonell. 1558. Basileensis H. Pet. 1561. VALERII CATONIS DIRAE primus Scaliger. Tum Pithoeus, reliqui. Boxhornius cum hoc additamento: *Satyra.* Arnoldus sic; *Dirae Val. Catonis Grammatici.* Quod non probo, non quod parum honorificum sit nomen Grammatici: sed eo tempore, quo Diras scripsit, non erat Grammaticus Cato. Burmannus, nescio qua de caussa, rursus invexit ineptum ac falsum additamentum *in Battarum.*

Haec de inscriptione fortasse iusto longius: sed volebam iam hoc exemplo illud monstrare, quod dehinc experiemur saepius, quam sibi inter se similes sint multi libri editi, et quam serviliter ab uno quodam antiquissimo pendere soleant.

---

V. 1. BATTARE, CYCNEAS REPETAMUS CARMINE VOCES.

*Battare*] Videtur Battarus nomen fluvii, non, ut voluit Domitius, arboris. Satis enim differre inter se puto *Battarum*, et *βάκκαριν*, quae ne ipsa quoque arbor est, sed herba. Alloquitur autem eum tanquam numen. Nam fluvii Deorum appellatione invocabantur. Hoc, qui diligenter totum opus perlegerit, facile colligere poterit cum ex aliis, tum ex illo:

*Battare fluminibus tu nostros trade dolores.*

Cum enim, ne Neptuni vindice inundatione indignum quid protulerit, veretur, mandat Battaro fluvio, ut saltem vicem Neptuni ipse agros suos diluvio operiat.

*Cycneas*] Qui omnem prorsus salutis spem abiecerunt, dicuntur proverbialiter *τὸ κύκνειον ᾄδειν.* Iulianus *Παραβάτης. ἐνταῦθα τί πράττειν ἐχρῆν ἄνδρα τῶν Πλάτωνος, καὶ Ἀριστοτέλους ζηλωτὴν δογμάτων; ἆρα περιορᾷν ἀνθρώπους ἀθλίους τοῖς κλέπταις ἐκδιδομένους, ἢ κατὰ δύναμιν αὐτοῖς ἀμύνειν, οἶμαι, ὡς ἤδη τὸ κύκνειον ἐξᾴδουσι διὰ τὸ θεομισὲς ἐργαστήριον τῶν τοιούτων.* Est ergo desperantum, *τὸ κύκνειον ᾄδειν.* Sed in Iuliano plus est *ἐξᾴδειν*, ut *Decantare* apud Ciceronem, et *Depraeliari* apud Horatium. An, quum dicat Suetonius bello Sullano patrimonium amisisse, eius agri in Corsica insula fuerunt, quum in eam *Haleriam* Coloniam deduxerit Sulla, ibique agros veteranis suis assignaverit, propterea dicemus legendum esse *Cyrneas*, non *Cycneas?* Sane et ipse infra agros suos mari allui indicat illis:

*Undae, quae nostris pulsatis litora linfis.*

Et Haleriae nomen satis demonstrat, maritimum locum fuisse, cum id nominis non nisi maritimis civitatibus imponeretur, ut annotat Festus. Quid quod Guattarus adhuc fluviolus est in Corsica insula inter oppidulum Coassinum, et Haleriam? Ut sane Battarus esse videatur, qui hic appellatur a poeta. Quod si verum est, omnia conveniunt, cum et Haleria possit esse ea Colonia, de qua innuit poeta, et certum sit deductam a Sulla, ut et certissimum est agros huius poetae assignatos fuisse Sullanis militibus.

Haec SCALIGER. Addam N. Heinsii ad hunc versum animadversionem, quae illa est, in qua veritatem esse observatam Heinsio dicebam: Battarus *Siculum nomen videtur, Βάτταρος, idem designans, quod Graecis βατταριστής. de quo Hesychius. derivatum a Βάττος. hinc βατταρίζειν idem quod βαττολογεῖν. Battara in Epistolis Ciceronis.* (Lib. VII. ad Fam. Ep. 9.) Haec N. Heinsius ap. Burmann. Gloss. V. I. ad vocem *Battare* ita: *o silva quam nunc amputat Milienus.* et sic passim inculcat, silvam esse Battarum, ad v. 14. 27. 33. 54. 64.

*Cyrneas* Scaligeri coniectura nemini se approbavit, nisi quod Wernsdorfius *Cyrnaeas* legendum putabat, h. e. *Cyrenaeas, a Callimacho Cyrenaeo, cuius diras in Ibin imitatur Cato;* vel *Cyraeas*, sensu eodem, a Cyra monte, in quo condita Cyrene. *Sicanias* coniecerat Heinsius, referente Burmanno, *quia haec Catonis villa in Sicilia fuit.* vel *cyaneas*. Hodie nemo dubitaverit, quin verum sit *cycneas*: quod commode explicat Scaliger, et ante Scaligerum Pomponius Sabinus, Domitius Calderinus, quorum ille Ciceronem de Orat. III. II. de Crasso, *Illa tanquam cycnea fuit divini hominis vox et oratio;* hic Ovidium Fast. II. 109. laudat, *veluti canentia dura* (sic Domitius) *Transfixus penna tempora cantat olor.* I. Badius Ascensius Martialem XIII. LXXVII. *Dulcia defecta modulatur carmina lingua Cantator cygnus funeris ipse sui.* Igitur utrumque inest in voce *cycneas*: et moestitiae notio, et quod Indignationem, eiusque repetitionem, Diras, suprema vult sua carmina esse: non quod veram sibi instare mortem sentiat, ut accipit Gloss. V. I. ad Eclog. 22. sed quod agro amisso, ut Catullus interitu fratris, *tota de mente* fugaturus erat *haec studia atque omnis delicias animi.* *cycneas* scripsi, non *cygneas*, cum Aldo, cum Aldinis, et quae aliae recentiores sequuntur Aldinas, Lugd. 1529. Basil. 1543. Ven. 1555. Ven. 1558. Lugd. et Antverp. 1556. Basil. H. Pet. 1561. Scalig. al., non horum auctoritate librorum, sed vetustorum aliquot scriptorum: Thuanei, in quo *cicneas*, Lasseno teste, ut etiam in Parisino II., et Augustani, in quo *Batta recioneas* legitur. Quamquam etiam horum librorum non magnam esse tali in re auctoritatem fateor. *cigneas* Anglicanus, Vratisl. I. Monac. II. et Basil. *tigneas* Monac. I. Vulgo, hoc est, in Romana II. Venetis Achat. Rub. Iens. in Mutinensi et reliquis, et in Voss. II. Vratisl. II. *cygneas* et sic Paris. IV. Vicentina *cyneas* mendose.

Bactare *semper in cod. Mediceo scribitur*: verba sunt Burmanni ad h. l. Et sic in editione Mutinensi semper. Quae est minus accurata, sed satis vetusta, ut videtur, scriptura et pronunciatio: ut *blactis* pro *blattis* Virg. Georg. IV. 243. cum aliis apud Burmannum libris Veneta

Rubei, Mutinensis, Lovaniensis; *Acta*, *Nacta*, *Actius*, *Pectius*, *Vectius*, *Vectones*, *Coctius*, *Cocti*, quae passim annotaverunt viri docti; et quod propius abest, *Bactra* pro *Battara* in MS. Politiani Cic. Epist. Fam. VII. IX. Sunt in his nonnulla prorsus vitiosa, et quae nulli bono grammatico in mentem venisse credibile est, veluti quum in codicibus Catulli *actis* reperitur pro eo quod verius, *Attis;* sunt rursus alia, in quibus scripturam eam, quae est per *ct*, veriorem suspiceris esse, et magis latinam altera: ut *mactea.* Deinde latius patuit licentia sonique plenioris amor, ut infra v. 27. *virectis* est in multis libris; *dictio* alibi; *condictio* Eclog. v. 48. et 52. Parisinus IV. Quo fortasse etiam pertinet, quod mox v. 15 videbimus, *effectas.* Adspergam alia ex libris meis. *frutectis* in Carm. de Rosis v. 13. Augustanus, et ed. Lovaniensis. *Actollit* pro *Attollit* in Culice v. 168. Vossianus 81. *gucte* Cul. 179. et *guctas* in Carm. de Rosis vs. 9. idem Voss. 81. *Gucturis* Cul. 241. Voss. 81. et *Gugturis* Augustanus. *Lictora* Cul. 355. Voss. 81. at ibid. 307. *Litora* in eodem Vossian. 81. *Litora* utrobique Augustanus. *fructicum* Cul. 55. Voss. 81. *victulam* in Virg. Ecl. III. Veneta Maittairii. In Parisino IV. semper *Baccare* scribitur. In Mediceo Plut. XXXIX. Cod. XVIII. testante T. II. c. 309. Bandinio: *Bachire cycneas r. c. v.*

V. 2. DIVISAS ITERUM SEDES ET RURA CANAMUS.

*Divisas*] Subinde intercalatur τὸ *Repetamus*, ut innuat se olim in Indignatione haec iam dixisse. *Sedes divisas*, vel quod veteranis Sullae assignati fuerunt eius agri, vel *divisas* intelligit devotas. Sic Propertius:

*an me Deus obruit? an quae*
*Lecta Prometheis dividit herba iugis?*

*Dividere* ergo maledictis, et *differre* veteres dicebant, ut Graeci *ἐνδατεῖσθαι.* Sophocles Trachiniis: *καὶ πλεῖστα τὸν σὸν ἐνδατούμενος γάμον.* et Catullus similiter:

*Non si me infestis discerpant sidera dictis.* SCALIG.

Non probat Propertius hoc, quod vult Scaliger. Sed hoc erat viri magni ingenium, ut nonnunquam rara, insolita, nullisque certis exemplis probanda mallet, quam usitata, simplicia. Non magis ferri potest alterum, quod Badio in mentem venit, *sedes divisas* esse *a possessoribus seiunctas;* quem in sensum Gloss. V. I. *divisas sedes* simpliciter interpretatur: *agros ablatos.* Et Boxhornius: *a quibus Cato — erat exclusus, ad quas ipsi tutus aditus non patebat.* Laudat Boxhornius *penitus toto* divisos *orbe Britannos*, et *dividere* verbum esse peculiare Geographorum monet, qui regiones fluminibus, vel montibus *dividi* dicant.

Observatio per se non mala, ad quam etiam Catulli locum Epith. P. et Th. 179. referre licet, sed aliena ab hoc loco, ubi Cato, si hoc voluisset, se *divisum* ab sedibus, non a se *divisas* sedes dicturus fuisset. Igitur redeundum est ad explicationem Scaligeri priorem. Ac mihi, quantum e Cicerone maxime iudico, tam constans videtur verbi *dividere* usus fuisse illis temporibus, plane ut dubitari nequeat, quo illud Cato sensu dixerit, ac dicere debuerit. Observandum autem de illo usu loquendi, plene ita dici, ut commemorentur ii, quibus agri *dividantur*: ut quum Cicero contra Rullum I. vii, 20. *atque* his colonis *agrum Campanum et Stellatem campum* dividi *iubet.* Contra Rull. III. i, 3. *adimi Sullanos agros*, vobisque dividi. Suetonius Domit. ix. *subsiciva, quae* divisis per veteranos *agris carptim superfuerant.* Deinde saepe *dividere* simpliciter, quum plerumque e re appareat, qui illi sint, quibus ager dividendus: ut Cicero contra Rullum II. xxviii, 76. *At enim ager Campanus hac lege* dividetur, *orbis terrae pulcherrimus.* cf. ibid. xxxi, 84. et III. contra Rullum iv, 15. et Epist. Famil. XIII. v. *minimeque convenit, ex eo agro, qui Caesaris iussu* dividatur, *eum möveri*, etc. Ac ne quis *dividi* tantum de magno lateque patente agro, ex quo multae possunt portiones fieri, qualis Campanus, dici existimet, sciat etiam de unius cuiusdam hominis agro dici *dividi.* ibi igitur *dividere* non est in partes dividere, sed inter agros dividendos referre, comprehendere divisione: ut quum Cicero scribit ad M. Rutilium, Epist. Fam. XIII. viii. de praediis, ante Laberianis, C. Albini: *ea si dicam non esse e re publica* dividi, *docere te videar, non rogare.* et paullo post: *si ea praedia* dividentur, *quae ipse Caesar vendidit.* Itaque hoc sensu Cato: *divisas sedes.* Potuerat etiam poeta: *metatas*, eo modo, quo Horatius: *metato in agello.*

Illud expediendum restat, quo *iterum* referendum sit, utrum ad *divisas*, an ad *canamus*. Scaliger hoc modo, *iterum canamus.* Et sane non potuit aliter, quum unam tantum Catonis spoliationem, eam, quae per veteranos facta, nosset. Nos, qui bis spoliatum Catonem, primo ita, ut deturbaretur agro suo actione iudiciali, alterum ita, ut veteranis assignaretur idem ager, coniicimus: quam coniecturam in Vita Catonis, et infra ad Dir. v. 82. exornamus: nos nihil impedit, quominus ad *divisas* referamus *iterum.* Qui modus mihi quidem etiam per se magis placet. Etsi enim hoc fert lex sermonis poetici, ut *iterum* construatur cum verbo longius remoto *canamus*, nescio tamen, an magis sit simplicitati Catonis consentaneum, si construatur cum verbo eo, quod proximum. Et sic iungebat Boxhornius, sed sententia admodum inepta, et quae omnes temporum rationes evertit: qua de re breviter dicimus in Vita Catonis.

*sedes* in re simili Cicero dicit, contra Rull. II. xxi, 57. *se moveri possessionibus*, amicissimis sedibus, *ac diis penatibus*, *negant oportere.* Epist. Famil. XIII. iv. *Eorum ego domicilia,* sedes, *rem, fortunas*, etc. Lepidus in oratione apud Sallust. Hist. Fragm. lib. I. *plebis innoxiae* patrias sedes *occupavere pauci satellites*, *mercedem scelerum.*

*Divisa* Monac. II. *que* pro *et* Vratisl. I. *rhura* Veneta Achat.

V. 3. RURA QUIBUS DIRAS INDIXIMUS, IMPIA VOTA. *Dura* Petav. Thuan. Leid. apud Burmannum, meique tam scripti quam antiquitus editi omnes, praeter Parisinum IV. Anglicanum, et bonum illum librum Mutinae editum, in quibus recte *Rura.* Tum *Rura* restituit anno 1517. Aldina. *duas* pro *diras* Monac. II. *indissimus* Parisinus IV. *diximus* sine *in* Mutin. *induximus* cod. Basil. Veneta Achat. et sic fortasse legebat Pomponius Sabinus. Romana II. *indiximus* ut reliqui. Qui *inscripsimus* legat, quod esse in aliis dicit Heinsius, ego nullum habeo. *voto* Medic. et Parisinus IV. *voce* Augustanus. *en scribimus* aliquando in mentem venerat Heinsio. Apparet *diras* hic intelligi eas, quae fuere in priori carmine, Indignatione. alia res infra, ubi recurrit versus, 62.

V. 4. ANTE LUPOS RAPIENT HAEDI. *hedi* Thuan. Anglic. Monac. I. II. Vratisl. I. II. Romana II. Veneta Achat. Verum in his, Romana II. et Veneta Achatis, id non memorabile, quum semper ita soleant, *e* pro *ae*. *edi* Paris. IV. *aedi* cod. Basil. *capient* Paris. IV. *rapiunt* Monac. I. II. *rapiant* Vratisl. I. Augustanus confusis, ut solet, syllabis: *rapienthae divituli.*

In *ἀδυνάτοις* inde ab Archilocho multum sibi placuere poetae, maxime latini; et Cato ipse bis, hoc loco, et infra in extremo carmine, v. 98. sqq. qui locus nostro similis eo est, quod proposita duobus versibus exempla tertius versus comprehendit generali sententia: *Migrabunt casus aliena in corpora rerum.* ut nostro loco: *Et conversa retro rerum discordia gliscet.* Reputari autem velim, Catonis aetate nondum tam tritam fuisse hanc figuram, quam nobis videtur, qui multa Virgilii, Propertii, Ovidii, Claudiani, aliorum, exempla ante oculos habemus. Exquisitiora exempla sunt, ubi *ἀδύνατα* posita ea, quae cognatam cum sententia scriptoris sententiam habent, ut quod apud Ciceronem Philipp. XIII. xxi. ex poeta aliquo:

*prius undis flamma,*

ubi sequitur: *quam aut cum Antoniis res publica, aut cum re publica Antonii redeant in gratiam.* Recte Ernestus *miscebitur* supplet in sen-

tentia poetae. Virgilius Eclog. VIII. 27. ubi de inconcinno Mopsi et Nisae matrimonio:

*Iungentur iam gryphes equis*, etc.

Cum poetae apud Ciceronem dicto convenit quodammodo Senecae, Hippolyt. 568. *ignibus iunges aquas* etc. cf. Octaviae v. 223.

V. 5. DELPHINI F. P. A. ANTE COLUMBAS. *columbam* Monac. II. *aquilaeque columbas* coniecerat Francius.

V. 6. ET CONVERSA RETRO RERUM DISCORDIA GLISCET. Hic quoque Augustanus coniungit atque confundit syllabas, quae disiungendae erant, et quae coniungendae, disiungit. praeterea in eo *discet* legitur, vel potius *cliscet*, si recte video. Sententiam in universum recte perceperat Putschius, quum se ad pravam deduci distinctionem passus est. Quae simplex sententia: *et fient naturae ordinique rerum contraria*, eam Cato paullo operosius ita effert: et fiet, incipiet, per immutationem atque conversionem, rerum discordia. Sic hoc circumscribendum, quia vulgari sermone non licet prolepsin assequi, quam esse in v. *discordia* animadvertit Putschius. proprie ita dicendum erat: quae nunc est concordia, retro conversa, fiet discordia. Eadem sententia Ovidii, Trist. I. VIII, 5.

*Omnia naturae praepostera legibus ibunt.*

*versa retro* sententia: Virgil. Aen. X. 7. *gliscet*, incipiet, orietur· nihil amplius, et sic saepius apud veteres: etsi non nego metaphoram inesse verbo, fortasse ab igne ductam. In Taciti loco, quem Silligius laudat, Annal. IV. XVII. extr. iam conspicua est crescendi notio. Caeterum iam monui, nihil hunc versum esse, nisi versuum qui praecedunt duorum explicationem. nam haec est *rerum discordia*, si lupos rapiant haedi, vituli leones, etc.

Gloss. V. I. male de chao cogitat: *fiet confusio et chaos quale a principio fuit.*

V. 7. MULTA PRIUS, FUERIT QUAM NON MEA LIBERA AVENA. Difficilis locus, sed tamen non tam difficilis, quam visus est multis. Scilicet multis fraudi fuit prava distinctio, quae in Romana II. Venetis Achat. Rub. Iensoni, Vicentina, itemque Vossiano II. in Venetis Burmanni, Brixiensi, et omnino in omni libro edito ante Aldinas, nisi qui casu aliam habent, exceptisque iis, qui neque post *gliscet*, neque post *prius* interpungunt, ut Mutinensis et cod. Basileensis, talis est:

*Et conversa retro rerum discordia gliscet*
*Multa prius: fuerit q. n. m. l. a.*

In quo frustrà laborat Iod. Badius Ascens. Mansit tamen ea distinctio, etiam post Aldinas, in multis, ut in Lugd. 1529. in Scaligeranis, Pithoei, placuitque nuperrimis temporibus Wernsdorfio, Putschio. Casp. autem Barthius Adversar. XVII. xi. *Muta* legebat, eadem distinctione: *rerum discordia muta,* hoc est vilis, bruta. Quas casu aliam habere distinctionem dixi, Ascensianae sunt, in quibus *Multa prius*: *fuerit*: etc. contra ipsius mentem Badii; et Argent. 1502. in qua eodem modo; et Veneta Scot. 1555. in qua *Multa prius fuerit* etc.

Sed iam mittimus hanc distinctionem, et hoc ponimus tamquam certum, post *gliscet* interpungendum esse: nullam enim bonam sententiam facit additum ad versum praecedentem *multa prius.* Igitur fortasse cum Aldinis faciendum erit, quarum et per se probabilis scriptura est, et mirum in modum confirmatur veterum librorum scriptorum consensu. Non loquor tamen de scriptura totius loci, quae haec est in Aldinis:

*— discordia gliscet.*
*Multa prius fient: quam non mea libera avena*
*Montibus, et sylvis dicat tua facta Lycurge*
*Impia.*

Qua in scriptura *dicat* valde esse suspectum statim monebitur ad versum 8. At sic possis commode:

*Multa prius fient, quam non mea libera avena.*

una et absoluta sententia: ut est in Venetis Iunt. 1544. Bonell. 1558. Basil. H. P. 1561. Verbum ad *quam non mea libera avena* facile supplebitur ex praecedente *fient.* Ad sententiam aptus Ovidius, Trist. I. viii, 7.

*Omnia iam fient, fieri quae posse negabam.*

*fient* Petav. Thuan. Medic. et, si fides silentio Vossii, Vossianus I. cum Augustano, Parisino IV. Anglicano, in quo post *fient* colon est, Monacensibus I. II. et Helmstadiensi. *fuerit*, vulgatam scripturam, cod. Basil. Voss. II. Vratisl. II. et ex antiquioribus unus Vratisl. I. De Parisino II. dubito. Patet, libros si numeres, praeferendum esse *fient.* Ego tamen *fuerit,* vulgatam inde a Romana scripturam, praetuli tamquam exquisitiorem. Et librorum auctoritatem quod attinet, aliquid in eo momenti pono, quod *fuerit* etiam in Mutinensi legitur, quae est boni libri scripti instar. Exquisitiorem vero dico nervosa brevitate:

*Multa prius, fuerit quam non mea libera avena.*

id est, multa prius *erunt,* vel *fuerint.* Prorsus eodem modo Cicero loco paullo ante ad vers. 4. laudato, Philipp. XIII. xxi. verbum omittit: *Prius undis flamma, ut ait poeta nescio quis;* prius denique omnia, *quam aut cum Antoniis res publica* etc. Quo loco utitur etiam Putschius, sed non eam in rem, in quam est accommodatissimus. Etsi quod

nos dicentem facimus Catonem, eiusmodi est, ut si ex alio scriptore similiter dictum proferri possit gratum sit, si nihil simile, non dolendum. Si enim *est* supplendum est innumeris locis, et *fuit*, nulla excogitabitur caussa, cur non alibi futurum suppleri potuerit, et quodvis aliud tempus, aut modus. Hoc tantum curavere scriptores, ut appareret ex nexu sententiarum, quod esset supplendum tempus, aut qui modus. Ut in Elegia ad Messalam v. 11. 12. supplendum *esse*, quod tamen ibi paullo durius. In Catulli carm. II. ii. ad *Tam gratum* supplendum est *foret*, vel *esset*. ut monet ante Scaligerum elegantissimus Muretus, qui etiam reliqua eius carminis dudum expedivit omnia, si hoc exceperis, quod v. 11. *id* inseruit, quo non videtur opus esse, et quod v. 7. *Ut* edidit, quum deberet *Et*. Quod praecedit apud Ciceronem, *prius undis flamma*, magis aposiopesis dici debebit, quam ellipsis: ut illa, de quibus Wolfius in familiari interpretatione Ciceronis de N. D. p. 311. Similis Catoni, praeter Ciceronem, et praeter Ovidii Trist. I. viii, 7. locum, Theocritus est I. 134. ubi post aliquot *τῶ ἀδυνάτου* exempla addit:

*πάντα δ' ἔναλλα γένοιτο·*

quamquam *πάντα* et apud Ciceronem Ovidiumque *omnia*, fortius est, et magis placet, quam *multa* apud Catonem. Vera est observatio Putschii, in comparationibus *ἐκ τοῦ ἀδυνάτου* solere scriptores futurum simplex vel praesens coniunctivi ponere in secundo comparationis membro, non solere futurum exactum. Certe inter exempla, quae ante oculos habeo permulta, nullum reperitur, in quo sit futurum exactum eo quidem in loco. Itaque hoc apud Catonem tamquam singulare observandum erit, quod *fuerit* scripsit. At quod singulare dico, non dico quicquam in eo dicendi modo audaciae esse. Haec omnia enim et cogitari possunt, et dici: *vieles wird eher geschehen, als mein Lied aufhört frei zu sein*, ubi Latini praesens coniunctivi; *vieles wird eher geschehen, als mein Lied aufhören wird frei zu sein*, quod est Latinorum futurum simplex; *vieles wird eher geschehen, als mein Lied aufgehört haben wird frei zu sein*, quod est futurum exactum. Cf. ad Dir. 79. animadversa.

Superest ut de vitiis referam librorum, et de coniecturis virorum doctorum. *Nulta* Mutin. *pius* Thuanus, Lasseno testante. *libera fata* Monac. I. II. et Vratisl. I. *havena* Veneta Achat.

C. Barthii coniecturam vidimus. *Muta* in mentem venerat etiam I. F. Gronovio ad Stat. Theb. IV. 183. sed correcta distinctione, ita: *Muta prius fuerit, quam non mea libera avena*. cum hac explicatione: *Omnia prius fient quae fieri nequeunt*: *denique conticescet prius, quam desinat esse libera, Musa mea*. Eam coniecturam iam antea, si recte digero tempora, communicaverat cum Boxhornio Gronovius: Boxhorn.

Epist. p. 43. Quod vero Arnoldus ita legere Gronovium narrat: *Muta prius fuerit*, *quam non mea libera Musa*, id ego nunquam in mentem venisse Gronovio, sed errorem puto Arnoldi esse, fortasse ex male intellecta Gronovii ad Statium observatione natum. Boxhornio in editione sua placebat: *Multa prius fuerint, quam non mea libera avena.* quod ita explicat inepte: multa peribunt, atque subvertentur, ut *fuerint* sit perierint: quemadmodum *fuit* dicitur de mortuis. Heinsius: *Cuncta prius fient, quam non mea libera avena Montibus et silvis didat* (vel *iteret*) *tua facta, Lycurge.* Putschius, quum plura tentasset, constitit in hoc: *discordia gliscet Multa prius, fient quam non mea libera avena.* ut *avena* sit ablativus, et ad *mea* intelligatur *rura.*

Haec et meditatus eram dudum, meumque in usum conscripseram, et locum Catonis eo modo expediveram obiter in dissertatione de Battaro, quum inspicio G. G. Wernsdorfii editionem Orationum Philippicarum. Ibi a Garatonio ad locum eum, quem supra dixi, versum Catonis eodem modo restitutum, quo est a me restitutus, illustratamque Ciceronis loco ellipsin video. Igitur primae laus inventionis apud Garatonium esto; mea haec sit, quod primus accurate exposuerim, quatenus ea restitutio auctoritate confirmetur librorum. Senserat etiam Garatonius, melius fore si *omnia* scripsisset Cato. Quamquam, dum iterum rem perpendo, etiam *multa* placet. Est enim interdum vis quaedam, et magna ironiae acerbitas, in eo, si quis minus dicit, quam exspectes. E. g. quum dicimus: *du kannst lange warten*, id hoc sonat, futurum tamen esse post multum temporis illud, quod exspectat alter: at re vera idem est, quod: *du kannst ewig warten*, nunquam fiet, quod exspectas.

V. 8. MONTIBUS ET SILVIS DICAM TUA FACTA, LYCURGE.

*Montibus*] Imprecatur *καὶ δένδρων καὶ ἀμπέλων ἐκκοπήν* ab exemplo Lycurgi Thracis, qui furore correptus securi omnes arbores vitibus maritatas caedebat. Unde *securiger* dictus Senecae in Oedipode. Idque etiam persequitur, quum ait — *Trinacriae sterilescant gaudia vobis. vobis* enim, non *nobis* legendum est. Neque, inquit, *πυροφορείτω.* Ne ferat ager frumenta, qualia in Trinacria. SCALIG. Videtur autem vitibus suis alium Lycurgum imprecari, a quo succidantur. HEINS. Recte: sed nimis dubitanter Heinsius, quum veritatem iam monstrasset Scaliger. Igitur verbis tantum, non sententia, similis Catoni locus est Virgilii, Ecl. II. 4. 5. *ibi haec incondita solus* Montibus et silvis *studio iactabat inani.* *Lycurge*, apostrophe multum, ac paene nimium usitata Catoni. Ut hoc statim loco non multum placet. Neque mirum quod ea fefellerit Domitium, qui *Lycurgum* dici putabat Arium. Et Glossa V. I. ad voc. *Lycurge*: o Thoro Miliene. Cf. infra Diss. I.

*dicam*, indicam, imprecabor. De Lycurgo nonnulla Lindenbruchius et Burmannus; add. Plutarch. de aud. poet. p. 15. E. et qui Arabem facit Lycurgum, Nonnus XX. 236. XXI. 133. ss. Sed totum hoc de *Lycurgo* non feliciter inventum a Catone puto. Lycurgus enim ille Thrax non tam in *montes* et *silvas* grassatus est, quam in vites: at vites, certe Catonis, non in silvis erant, sed iuxta silvam: inf. v. 42. Deinde quum montibus et silvis suis novum aliquem Lycurgum postulat, quaeritur quis ille possit esse. Miles? Non puto. Non vult enim, ut miles corrumpat, evertat agrum: hoc vult, ut sterilescat, langueat, pereat ager, ne frui eo miles possit. Itaque melius in universum dixisset se etiam montibus ac silvis mala minari. Cur autem montes et silvas commemoret, id bene mihi videor declarare posse. Scilicet hac prima imprecatione, quae continetur versibus sex, inde a v. 8. usque ad v. 13. sua complectitur omnia. Erant autem in agro Catonis haec maxime tria: montes, silvae, rura. Et rura, ut par erat, accuratius commemorat v. 9. 10. montium, et collium, iterum mentionem facit v. 11. et 13. silvarum iterum v. 13. *facta* ex meis antiquioribus Paris. II. et Anglicanus; tum recentiores, Voss. II. et Vratisl. II. denique editi, Romana II. Mutinensis, Venetae Rub. et Iens. et quae aliae ab his pendent, Vicentina excepta; etiam Aldinae, reliquae. *fata* Medic. Petav. Thuan. et Leidensis Burmanni, Paris. IV. August. Monac. I. II. Vratisl. I. qui mirus consensus in scriptura vitiosa, sed fortasse inde explicandus, quod in antiquissimo quodam codice male distinctis syllabis *factali curge* fuerit, unde postea *fatali curge* factum. Certe sic, *fatali gurce,* liquide legitur in eo, quo ego nullum antiquiorem codicem habeo, Thuaneo, Burmanno ac Vossio testantibus; et sic in illo, quem Leidensem dicit Burmannus. In Augustano ita omnia inde a *dicam*, confusa sunt, ut non appareat quomodo dividi syllabas librarius voluerit: *dicamtuafataligur ce. fata* etiam cod. Basil. Veneta Achat. Vicentina, Ascensianae. *ligurce* etiam Paris. II. *ligurge* Anglic. Monac. II. *lygurge* Monac. I. et Vratisl. I. *Licurge* Rom. II. et *lycurge* Veneta Achatis, reliquae, cum cod. Basil. et Voss. II.

*dicat* solae Aldinae. Quod nego ferri posse. Versus septem priores, ut supra observatum, *exordium* sunt, sive *prooemium*: quod nexam cum carminis initio ipsius sententiam habere non decet. *dicat* correctionem puto viri docti esse, per se satis elegantem, fortasse ipsius Aldi, qui recepta scriptura illa: *Multa prius fient,* verbum desiderabat ad vocem *avena* pertinens. Nullam Aldina scriptura ab libris, quos novimus satis multos, commendationem habet. In uno Vossiano I. suspicio est scriptum *dicat* fuisse. Et Burmannus quidem diserte dicit ita fuisse eo in libro; nos cum cautione: *si fides silentio Vossii.* Cf. Diss. IV.

ubi de Vossiano I. Neque aliis, post Aldinas, *dicat* placuit. Et vix commemoratur. Unam memini Basileensem Bryling. 1543. in cuius margine: *Alias dicat.*

V. 9. IMPIA. TRINACRIAE STERILESCANT GAUDIA VOBIS.

Inepte olim nonnulli *Impia gaudia* iungebant, ut Veneta Achatis, quae plene interpungit post *lycurge*, post *Impia* non interpungit. At plerique tamen libri editi antiquissimi recte, ut Romana II. *tua facta Licurge Impia. Trinacriae* etc. Veneta Rub. *tua facta lycurge Impia: trinacriae* etc. et sic reliquae. Mutinensis in toto loco nullam interpunctionem habet. Inhaesit prava distinctio recentioribus non paucis, ut Scaligeranis, quum tamen Scaligeri verba ipsius, quae scripsit ad hunc locum, aliter sensisse Scaligerum evincant. et editioni Burmanni, fortasse invito Burmanno, qui *inproba* malebat, *quia* inpia vota *paullo ante praecesserunt.* Heinsius aliquando coniiciebat: *Irrita Trinacriae st. g. vobis.*

Mirum est *Trinacriae gaudia.* In quo non immerito haerebat Salmasius. Nam Salmasius est haud dubie, de quo Arnoldus refert: *Ille noster παμμέγας*, Trinacriae, *ait, valde mihi suspectum, sed quia non habeo, quod substituam, tolero.* Sane non sufficit explicatio, quam ad vs. praeced. vidimus, Scaligeri. At corruptionis tamen nulla suspicio. Verum suboluit Wernsdorfio: et Arnoldus quoque, qui homo si quid aliquando boni habet, id multa verborum futilitate obruere, bonamque explicationem alia falsa immixta explicatione corrumpere solet, prope ad verum, quum ad versum 63. scribit: *Ita quoque supra* Trinacriae gaudia *pro agris adhibuit.* Nulla hic est agrorum Catonis cum agris Siciliensibus comparatio. Poeta ut paullo ante non satis feliciter se doctum praebuit mentione *Lycurgi*, ita hoc loco, dum vult docte, paullo loquitur obscurius. *Trinacriae gaudia* sunt fruges et sata, non Siciliae, sed fruges et sata in universum, quia his omnium maxime gaudet beata illa Sicilia, cuius fertilitas cessit in proverbium. Apte Wernsdorfius *Acheloïa pocula* confert ex Virgilio. Sic nunc poeta vinum, non certum quoddam, sed vinum in universum, *gaudia Rheni*; adamantes posset *gaudia Brasiliae* dicere: etsi, quod iam monui, non valde probarem. Convertit autem sermonem ad sequentem proximo versu vocativum *felicia rura.* Ut rursus sit apostrophe: sterilescant vobis sata et fruges, o rura. *vobis* duo libri Gallicani apud Heinsium, qui sunt Petavianus et Thuaneus; et Augustanus, qui, ut solet, susque deque habet syllabas: *Impiatrina cry ae st.* tum Paris. II. Monac. I. II. Vratisl. I. *nobis* Paris. IV. Anglic. et editi inde a Romana II. omnes, etiam Aldinae, cum libris scriptis recentioribus Basil. Voss. II. Vra-

tisl. II. Et quum monstratum a Scaligero verum esset, nemo, quod sciam, *vobis* edidit ante Putschium, qui tamen *vobis* ad montes silvasque refert, et de mellificio cogitat. *sterilescent* Anglic. *steriles creant* Medic. et sic Paris. IV. aut *steriles coeant.*

Verum est Catonem aliquoties prius dicta repetere et variare. Sed tamen non sunt, quod Wernsdorfio p. L. videbatur, manifestae *ταυτολογίαι.* Veluti hoc loco qui sequitur versus decimus, explicatio est versus noni.

V. 10. 1. NEC FECUNDA SENIS NOSTRI, FELICIA etc.

*Nec foecunda senis*] Lego:

*Nec foecunda, sinus nostri.* —

Nam sinum, nisi fallor, dixit, quod, ut iam monuimus, maritimi fuerunt eius agri. Id quod ex multis aliis huius poematii locis constat. O sinus nostri felicia rura, ne segetes ferant semina foecunda. Ita enim distinguendum, ut *foecunda* referantur ad *semina*, non ad *rura.* Idque melius pateret, si ita legeretur:

*Nec foecunda, sinus nostri o felicia rura, Semina* etc. SCALIG. Sane verissimum est, quod monet Scaliger, propinquos mari fuisse agros Catonis: sed alienum ab hoc loco, in quo libri quotquot sunt omnes, *senis* praebent. Neque alia varietas cernitur, nisi quod *nostris* in Monac. I. II. et Vratisl. I. Placuit Scaligeri coniectura *sinus* Dilherro, Arnoldo, Wernsdorfio, neque displicet Boxhornio. Alii alio modo tentandum esse locum putavere. *sinu vestro* Heinsius. Is. Vossius in magr. edit. Scalig. 1595. sic: f. *senI.* Antiquissimorum interpretum, Pomponii, reliquorum, quibus ubique ante animum Virgilius versabatur, conamina infra videbimus Diss. I. Ubi quam verborum explicationem Pomponio fortasse placuisse, et Badio dicimus, eam etiam Boxhornius ferri posse existimabat, qui *senis nostri* interpretabatur *senectutis nostrae.* Verum Tollius vidit, de quo Burmannus: *Tollio non adridebat Scaligeri lectio, putabatque poetam forte agricolam seu villicum potius innuere, quia serendi cura senibus demandabatur.* Igitur sic tum Tollius iungebat ista: *semina senis nostri.* rectissime, ac vide quam perspicue. *Semina senis nostri* sunt semina, quae serere solet senex noster, vel seri iubet; quae demandata sunt seni nostro, villico. Villico commissa fuisse semina, tum res ipsa suadet, tum exempla docent, ut Cato R. R. cap. v. de officiis villici: *Satui semen, cibaria, far, vinum, oleum mutuum dederit nemini.* Quod *senem* villicum habuerit Cato poeta, contra Columellae I. VIII. praeceptum, nemo mirabitur, qui Columellam illud tantum spectare, quod optimum sit, et ambiguam esse *senis* appellationem meminerit. Mitto alteram Tollii interpretationem, qua ille *fecunda*

*rura senis nostri* interpretabatur: agros a patre relictos, et fecunditate ceteris praestantiores. Quae interpretatio non solum sensum nexumque loci, qua de re statim dicam, perturbat, sed etiam hoc incommodi habet, quod non satis perspicue *senex* dicitur pater. Praeterea de patre Catonis plane nihil constat, neque ulla est in toto carmine mentio eius. Contra villicum intelligendum esse satis declarat addita *seminum* commemoratio. Fuit quum hunc *senem* villicum nullum alium esse quam illum toties compellatum versu intercalari *Battarum* coniiciebam. Sed abieci coniecturam. Non bene convenit villico *avena*; neque Catonem puto, quum toties vocativo compellet Battarum, semel de eodem *senis nostri* dicturum fuisse.

Nexum distinctionemque loci praeclare adiuvit Scaliger, qui vocativum esse *felicia rura*, et *fecunda* referendum esse ad *semina*, non ad *rura*, intellexit. Praeiverant antiquae nonnullae: Veneta Achat. in qua *Nec fecunda* : *senis nostri* : *felicia r.* et si quis forte non multum tribuendum esse interpunctioni in tam antiquo libro dixerit: nam sane negligentes tum erant hac in re, ut haec ipsa Veneta Achatis paullo ante v. 6. inepte colon habet post *retro*: etiam Aldinae ita: *Nec foec. s. nostri, felicia rura, Sem.* et sic ante Aldinas Aldus cum Taurin. 1518. et post Aldinas aliae. Ut autem nos locum accipimus, etiam melius procedit oratio poetae, quam e Scaligeri ratione. Scilicet, ut Scaliger legit, *Nec foecunda*, *sinus nostri felicia rura*, *Semina parturiant segetes*, pausa sententiae, et distinctio, non satis eleganter post syllabam dactyli secundam incidit; ut nos, in caesuram pedis quarti, quae hephthemimeres dicitur, quod multo aptius atque usitatius. Quamquam ei rei non nimium tribuerim in hoc poeta. Deinde, quod gravius, ut Scaliger locum legit, obscuritate laborat, quum non satis pateat, vocativum esse *felicia rura*. Id sentiens Scaliger malebat *o* inserere, ita: *sinus nostri o felicia rura*, etc. At ex nostra lectione, *nostri*, quum speciem habeat alloquutionis: est enim *senis nostri* idem ac si dixisset *senis mei et vestri*: praeparat quasi transitum ad vocativum. Denique, quod non monerem, nisi ambigua ea de re Scaligeri verba essent, facile intelligitur, *fecunda semina* nominativum esse, *segetes* pendentem a verbo *parturiant* accusativum: sterilescant sata, neque erumpant semina senis nostri, quantumvis fecunda illa, sed putescant (Varro R. R. I. xxxiv.), vel diu iacendo (ut ap. Plinium H. N. XVIII. xxiv.) evanescant, antequam erumpere et parturire segetem possint. Vel potius de caussa, quare inde ab hoc tempore fecunditatem semina suam non comprobatura sint, non accurate cogitavit Cato: portentosa imprecatur agro suo, et quae excedant consuetudinem. Verum est, *segetem* plerumque esse ipsum agrum satum, vel in quo serendum, Broukhus. in

Tibull. IV. 1, 172. ad cuius disputationem quae addas, multa exstant ubique, ut Cic. Orat. XV, 48. Cic. ap. Nonium p. 401, 8. (Fragm. ed. Ernest. p. 1092.) Poeta mox laudandus ad v. 16. Sed tamen alibi *seges* dicuntur exstantes ex agro fruges: Poeta apud Charis. IV. 252. et 253. (Scriver. p. 180.) *segetis armatae manus*. et sic Cato iterum, v. 43. *Pascantur segetes*.

*fecunda* scripsi cum Augustano et Thuaneo. Etsi ne his quidem, qui sunt optimi, multum tribuo tali in re. Infra Ecl. 40. *phoebe* in utroque. Pro *ae* in Thuaneo, ut puto, semper *e*, ut paullo ante *hedi*, *aquile*, et mox *Ipse*, *silue*. Augustanus *ae*. *vel mitia ruri*, futilem Boxhornii coniecturam, edidere Dilherrus, Arnoldus.

V. 12. NON ARBUSTA NOVAS FRUGES, NON PAMPINUS UVAS.

*Non arbusta novas fruges*] Etiam Cicero in libro de senectute vitem in frugibus ponit. SCALIG. Immo *fruges* h. l. sunt mala, nuces. De vite statim sequitur: *non pampinus uvas*. *noves* August. Medic. et Paris. IV. *novalia* miro errore pro *novas*.

V. 13. IPSAE NON SILVAE FRONDES, NON FLUMINA MONTES.

*Non ipsae frondes silvae* transponebat Francius. Cf. Diss. III. ubi de collocatione *non* particulae.

*flamina* Medic. et Aldina II. a. 1534. quod amplectitur Heinsius. Caeteri libri *flumina*, etiam Vossianus I. quod iam recte acceperat Pomponius Sabinus: *solus Tygris in planitie in media Armenia nascitur, caeteri fluvii in montibus nascuntur*. Et inanis est Heinsii obiectio, non adeo spatiosos fuisse agellos Catonis, ut flumen non unum oreretur in his montibus. Erant, quod etiam ex v. 64. sqq. intelligitur, in vicinia agri Catoniani flumina: quam vicina, nemo dixerit; neque opus est ad explicandum Catonem, ut ea agrum Catonis ipsum alluisse statuas. Ea flumina ex quibus montibus venerint, nescimus: venerint ex longe remotissimis: semper, exstinctis illis, peritura erat amoenitas agri. *non flumina fontes* coni. Lindenbruchius, Boxhornius, Tollius, propter versum 18. idque probat Wernsdorfius, recepit Putschius. Et Wakefieldius ad Lucret. I. 291. aut hoc loco *fontes*, aut versu 18. *montibus* reponendum esse dicit. Ego vero non intelligo, cur exaequari inter se hi loci debeant. Siccitatem imprecatur, semel fluminibus alibi nascentibus, alterum fontibus, qui erant in agro ipso.

V. 14. RURSUS, ET HOC ITERUM REPETAMUS B. C. *ursus* Thuan. teste Lasseno: evanuit R littera. *et* deest Parisino II. *reperamus* vitiose Ven. Achat. *bactare* Mutin. Venetae Achat. Rub. Iens. Vicentina,

aliae, ita hunc locum distinguunt: *non flumina montes Rursus*: male. *non flumina montes. Rursus et hoc iterum* etc. Aldinae, et sic Anglican. Vratisl. I. At optimum hoc est, quod iam Romana II. deinde Argent. 1502. Taurin. 1518. praebent: *non flumina montes. Rursus: et hoc iter.* etc. vel comma post *Rursus*, ut Aldus, Lugd. 1529. aliae. Non ferendum enim, quod Badio in mentem venit, ita iungendum esse, repetamus *rursus et iterum*: quem pleonasmum ut tueretur, multa inepte cumulat Arnoldus. Neque apta sunt exempla apud Putschium: et quid constructioni fiet? Sententia hunc in modum procedit: Rursus, Battare, et repetamus hoc carmen iterum. Qua in exhortatione *rursus* eo spectat, ut denuo canat Battarus; et *iterum repetamus hoc carmen*, quia, ex verissima Wernsdorfii observatione, qui sequuntur versus quatuor, nihil sunt nisi versuum 10. 11. 12. 13. repetitio. Cf. de Battaro disputata p. 20. 21. Nempe aliquid sane interest inter hos locos. Sic *prata* commemorat v. 16. quorum in loco priore mentio nulla; et versus 18. sententia differt aliquantum, ut paullo ante monebam, a versu 13. At haec communis utrique loco generalis sententia, quod sterilitatem imprecatur rebus suis omnibus. *Rursus* illustro collato versu 75.

*Tristius hoc* rursum *dicat mea fistula carmen.*

ubi non licebat Catoni *iterum* scribere, quum multum differat inter paludes repente exsistentes, et agrorum inundationem incursu torrentium factam. At licebat *rursum*, denuo, h. e. de novo, (von vorn), *πάλιν* i. e. *ἐξ ὑποστροφῆς*, ut utar veteris interpretis graeci explicatione, qua Theocriteum *πάλιν* explicat in versu intercalari I. 84. *Τὸ πάλιν ἐξ ὑποστροφῆς ἀρχὴν ποιούμενός φησι.* Ergo quum *πάλιν* apud Theocritum, et *rursus* vel *rursum* apud Catonem, nihil sit nisi novae strophae indicium, strophae autem tam Theocriti illo carmine, quam Catonis pleraeque, etsi in uno argumento versantur, valde inter se differant singulae sententiis, nostro loco Cato, ubi etiam sententias strophae praecedenti similes, vel potius geminas atque easdem, prolaturus est, *iterum* adiecit. Video nunc *πάλιν* apud Theocritum dubiae esse explicationis. Licet enim sic: *πάλιν ἄρχετε*, *rursus incipite.* Licet sic, ut *πάλιν* acclamatio sit obiter inserta. Quod praefero, fitque eo modo Theocriteum *πάλιν* magis simile Catoniano *rursus.* Ut sic scribendum sit apud Theocritum locis illis, quos supra indicavi:

*ἄρχετε βωκολικᾶς, Μῶσαι, πάλιν, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.*

Prorsus ut *ἴτε* positum est in versu, qui mox sequitur:

*λήγετε βωκολικᾶς, Μῶσαι, ἴτε, λήγετ' ἀοιδᾶς.*

V. 15. EFFETAS CERERIS SULCI CONDATIS AVENAS. *effoetas avenas*, quae defrugant segetem, ut in Moreto *adesum sal*, quod ipse

scilicet efficiat, non patiatur. id est, quod efficiat adesa corpora, quibus inspersum est. SCAL. *sulci condatis* ut in Romana II. cod. Basil. Vratisl. II. Voss. II. Venetis Rub. et Iens. Mut. Vicent. et quae hanc sequuntur, fere omnibus, etiam Ascensianis, Aldinis, et recentioribus. et sic in Voss. I. si f. s. Contra *sulcis* in libris scriptis antiquis, Petav. Thuan. Leid. Paris. II. III. IV. Angl. August. Monac. I. II. Vratisl. I. et in Ven. Achat. Argent. 1502. Deinde *condamus* Voss. I. diserte testante Vossio, Leid. Paris. IV. Angl. et *fundamus* Medic. Quos ego libros cunctos sperno, ac posthabeo scripturae vulgatae. *sulcis*, et postea *condamus*, scripsere, quibus obscurum erat, quum usitatam Catoni apostrophen non perciperent, *sulci*. Et *condamus* ut scriberent, potest etiam errore factum esse oscitantis, et in proximum *repetamus* respicientis librarii. Respondet versus versui 10. et similem, si recte intelligatur, sententiam habet. Optat ut pro bonis fecundisque seminibus sulci recipiant mala, et quae effetas avenas praebeant. Id eleganti brevitate dicit: *effetas sulci condatis avenas*. Nam proprie erat: condatis, et habeatis vobiscum, semina, ex quibus fiant effetae avenae. *condatis* Gl. V. I. non satis accurate interpretatur *accipiatis*. Hoc vult poeta, ut semina, etiam bona ac speciosa, in hoc solo mala se praebeant, fallantque exspectationem. Aptus ad rem, Badio laudatus, Virgilius Ecl. V. 36. 7.

Grandia *saepe quibus mandavimus* hordea sulcis,
*Infelix lolium, et* steriles *nascuntur* avenae.

Badius *dominantur* exhibet: cf. Georg. 1. 154. et Intpp. utroque loco. Add. Calpurnius IV. 115. 6. *nec praefocata malignum Messis habet lolium*, *nec* inertibus *albet* avenis. Et Georg. I. 226. *Exspectata seges* vanis *elusit avenis*, quod cum aliis libris Veneta Achat. 1472. Mediol. 1474. ap. Maittairium, et apud me Veneta Rubei et Mutinensis habent, certe non deterius est scriptura altera, *aristis*. et fortasse *avenis* elegantius, quum *aristis* praecesserit v. 220. *Cereris* plerique omnes coniunxisse cum v. *sulci* videntur. Ut Gl. V. I. *Cereris sulci*: *in quibus est ceres seminata*. Vel ut Badius: *O sulci cereris. i. facti ad cererem hoc est frugem ferendam*. Praestat, ut iungas *Cereris effetas*. Ut Virgilius Aen. VII. 440.

— *victa situ* verique effeta *senectus*:

et 452. veri effeta *senectus*. Sensit, nisi fallor, Domitius Calderinus, qui sic: *Sulci*. *vos sulci agri abscondatis*. *Effoetas*. *vacuas*. *Cereris*. *frumenti*. Et eumdem in modum Tollius ap. Burm. *effetas Cereris avenas* explicat steriles, frumento carituras.

*Effetas* scripsi cum Mon. I. II. Vrat. I. II. Bas. Rom. II. Ven. Achat. Scaligg. Pith. *Effetis* Thuan. Lasseno testante. *Effectas* Pe-

tav. August. Paris. III. Angl. de quo vitio Cortius in Sallust. Cat. LIII, 5. Var. lect. in Virg. Aen. V. 396. Wakefield. in Lucret. II. 1149. *Effoetas* olim fere omnes, Aldinae quoque; et casu magis quam industria factum puto, quod *Effetas* est in Rom. II. Ven. Ach. *havenas* Ven. Achat. *prodatis* vel *nunc detis* coni. Heinsius.

V. 16. PALLIDA FLAVESCANT AESTU SITIENTIA PRATA. Nota ubertatem vel abundantiam dictionis. Idem est *pallida* et *flavescant*. *Pallida flavescant* usitata in omni poesi figura. Nempe *pallor* tum cadit in prata, quum languent atque arent. Quodsi reperiuntur loci, quibus *pallere* dicuntur, quae viridia sunt, color intelligendus est non laetus ille, qualis esse pratorum solet, sed obscurior et languidus: ut Culicis versu 142. *Pinguntque aureolos* viridi pallore *corymbos*, de foliis hederae, quae *pallent*, quum conferuntur cum *aureolis* corymbis. Rursus *aurum* ipsum, quod omnium minime exspectaveris, *pallet*, sed collatum cum sano atque candido faciei humanae colore: Catull. Epith. P. et Th. 100. LXXXI. 4. At in Culice tamen v. 46. tuear auctoritate codicum vulgatum:

Lurida *qua patulos velabant gramina colles.*

Sic versum etiam Augustanus scriptum habet, et Vossianus membr. 81. nisi quod in hoc *gramina flores*. *Luridas* Petavianus, idemque cum Thuaneo *velabunt*, testante Vossio in marg. edit. Scalig. 1573. Fortasse quam accuratissime loqui hic poeta voluit. Sane in *monte excelso*, et in *summis iugis*, quorum proxime praecedit mentio, non solent admodum laete virescere gramina.

His Catonis et sequentibus similia, quae Claudianus R. P. III. 238. ubi, Cerere narrante, Plutonis adventu

*luror permanat in herbas.*
*Deficiunt rivi. squalent rubigine prata,*
*Et nihil afflatum vivit. pallere ligustra*, etc.

Contraria his, et strophae Catonis praecedenti, poeta, quisquis est, elegantissimus, apud Ciceronem Tusc. I. xxviii. de Orat. III. xxxviii. Non. Marc. p. 122, 17.

*Caelum nitescere, arbores frondescere,*
*Vites laetificae pampinis pubescere,*
*Rami bacarum ubertate incurviscere,*
*Segetes largiri fruges, florere omnia,*
*Fontes scatere, herbis prata convestirier.*

Parum placet totum delitescens in thesi *scatere*. Fortasse scripserat:

*Fontes scatere*, *prata convestirier*
*Herbis.*

nos dicentem facimus Catonem, eiusmodi est, ut si ex alio scriptore similiter dictum proferri possit gratum sit, si nihil simile, non dolendum. Si enim *est* supplendum est innumeris locis, et *fuit*, nulla excogitabitur caussa, cur non alibi futurum suppleri potuerit, et quodvis aliud tempus, aut modus. Hoc tantum curavere scriptores, ut appareret ex nexu sententiarum, quod esset supplendum tempus, aut qui modus. Ut in Elegia ad Messalam v. 11. 12. supplendum *esse*, quod tamen ibi paullo durius. In Catulli carm. II. II. ad *Tam gratum* supplendum est *foret*, vel *esset*. ut monet ante Scaligerum elegantissimus Muretus, qui etiam reliqua eius carminis dudum expedivit omnia, si hoc exceperis, quod v. 11. *id* inseruit, quo non videtur opus esse, et quod v. 7. *Ut* edidit, quum deberet *Et*. Quod praecedit apud Ciceronem, *prius undis flamma*, magis aposiopesis dici debebit, quam ellipsis: ut illa, de quibus Wolfius in familiari interpretatione Ciceronis de N. D. p. 311. Similis Catoni, praeter Ciceronem, et praeter Ovidii Trist. I. VIII, 7. locum, Theocritus est I. 134. ubi post aliquot τῶ ἀδυνάτου exempla addit:

πάντα δ' ἔναλλα γένοιτο·

quamquam *πάντα* et apud Ciceronem Ovidiumque *omnia*, fortius est, et magis placet, quam *multa* apud Catonem. Vera est observatio Putschii, in comparationibus ἐκ τοῦ ἀδυνάτου solere scriptores futurum simplex vel praesens coniunctivi ponere in secundo comparationis membro, non solere futurum exactum. Certe inter exempla, quae ante oculos habeo permulta, nullum reperitur, in quo sit futurum exactum eo quidem in loco. Itaque hoc apud Catonem tamquam singulare observandum erit, quod *fuerit* scripsit. At quod singulare dico, non dico quicquam in eo dicendi modo audaciae esse. Haec omnia enim et cogitari possunt, et dici: *vieles wird eher geschehen, als mein Lied aufhört frei zu sein*, ubi Latini praesens coniunctivi; *vieles wird eher geschehen, als mein Lied aufhören wird frei zu sein*, quod est Latinorum futurum simplex; *vieles wird eher geschehen, als mein Lied aufgehört haben wird frei zu sein*, quod est futurum exactum. Cf. ad Dir. 79. animadversa.

Superest ut de vitiis referam librorum, et de coniecturis virorum doctorum. *Nulta* Mutin. *pius* Thuanus, Lasseno testante. *libera fata* Monac. I. II. et Vratisl. I. *havena* Veneta Achat.

C. Barthii coniecturam vidimus. *Muta* in mentem venerat etiam I. F. Gronovio ad Stat. Theb. IV. 183. sed correcta distinctione, ita: *Muta prius fuerit, quam non mea libera avena*. cum hac explicatione: *Omnia prius fient quae fieri nequeunt*: *denique conticescet prius, quam desinat esse libera, Musa mea*. Eam coniecturam iam antea, si recte digero tempora, communicaverat cum Boxhornio Gronovius: Boxhorn.

Epist. p. 43. Quod vero Arnoldus ita legere Gronovium narrat: *Muta prius fuerit, quam non mea libera Musa,* id ego nunquam in mentem venisse Gronovio, sed errorem puto Arnoldi esse, fortasse ex male intellecta Gronovii ad Statium observatione natum. Boxhornio in editione sua placebat: *Multa prius fuerint, quam non mea libera avena.* quod ita explicat inepte: multa peribunt, atque subvertentur, ut *fuerint* sit perierint: quemadmodum *fuit* dicitur de mortuis. Heinsius: *Cuncta prius fient, quam non mea libera avena Montibus et silvis didat* (vel *iteret*) *tua facta, Lycurge.* Putschius, quum plura tentasset, constitit in hoc: *discordia gliscet Multa prius, fient quam non mea libera avena.* ut *avena* sit ablativus, et ad *mea* intelligatur *rura.*

Haec et meditatus eram dudum, meumque in usum conscripseram, et locum Catonis eo modo expediveram obiter in dissertatione de Battaro, quum inspicio G. G. Wernsdorfii editionem Orationum Philippicarum. Ibi a Garatonio ad locum eum, quem supra dixi, versum Catonis eodem modo restitutum, quo est a me restitutus, illustratamque Ciceronis loco ellipsin video. Igitur primae laus inventionis apud Garatonium esto; mea haec sit, quod primus accurate exposuerim, quatenus ea restitutio auctoritate confirmetur librorum. Senserat etiam Garatonius, melius fore si *omnia* scripsisset Cato. Quamquam, dum iterum rem perpendo, etiam *multa* placet. Est enim interdum vis quaedam, et magna ironiae acerbitas, in eo, si quis minus dicit, quam exspectes. E. g. quum dicimus: *du kannst lange warten,* id hoc sonat, futurum tamen esse post multum temporis illud, quod exspectat alter: at re vera idem est, quod: *du kannst ewig warten,* nunquam fiet, quod exspectas.

V. 8. MONTIBUS ET SILVIS DICAM TUA FACTA, LYCURGE.

*Montibus*] Imprecatur *καὶ δένδρων καὶ ἀμπέλων ἐκκοπὴν* ab exemplo Lycurgi Thracis, qui furore correptus securi omnes arbores vitibus maritatas caedebat. Unde *securiger* dictus Senecae in Oedipode. Idque etiam persequitur, quum ait — *Trinacriae sterilescant gaudia vobis. vobis* enim, non *nobis* legendum est. Neque, inquit, *πυροφορείτω.* Ne ferat ager frumenta, qualia in Trinacria. SCALIG. Videtur autem vitibus suis alium Lycurgum imprecari, a quo succidantur. HEINS. Recte: sed nimis dubitanter Heinsius, quum veritatem iam monstrasset Scaliger. Igitur verbis tantum, non sententia, similis Catoni locus est Virgilii, Ecl. II. 4. 5. *ibi haec incondita solus* Montibus et silvis *studio iactabat inani.* *Lycurge*, apostrophe multum, ac paene nimium usitata Catoni. Ut hoc statim loco non multum placet. Neque mirum quod ea fefellerit Domitium, qui *Lycurgum* dici putabat Arium. Et Glossa V. I. ad voc. *Lycurge*: o Thoro Miliene. Cf. infra Diss. I.

*dicam*, indicam, imprecabor. De Lycurgo nonnulla Lindenbruchius et Burmannus; add. Plutarch. de aud. poet. p. 15. E. et qui Arabem facit Lycurgum, Nonnus XX. 236. XXI. 133. ss. Sed totum hoc de *Lycurgo* non feliciter inventum a Catone puto. Lycurgus enim ille Thrax non tam in *montes* et *silvas* grassatus est, quam in vites: at vites, certe Catonis, non in silvis erant, sed iuxta silvam: inf. v. 42. Deinde quum montibus et silvis suis novum aliquem Lycurgum postulat, quaeritur quis ille possit esse. Miles? Non puto. Non vult enim, ut miles corrumpat, evertat agrum: hoc vult, ut sterilescat, langueat, pereat ager, ne frui eo miles possit. Itaque melius in universum dixisset se etiam montibus ac silvis mala minari. Cur autem montes et silvas commemoret, id bene mihi videor declarare posse. Scilicet hac prima imprecatione, quae continetur versibus sex, inde a v. 8. usque ad v. 13. sua complectitur omnia. Erant autem in agro Catonis haec maxime tria: montes, silvae, rura. Et rura, ut par erat, accuratius commemorat v. 9. 10. montium, et collium, iterum mentionem facit v. 11. et 13. silvarum iterum v. 13. *facta* ex meis antiquioribus Paris. II. et Anglicanus; tum recentiores, Voss. II. et Vratisl. II. denique editi, Romana II. Mutinensis, Venetae Rub. et Iens. et quae aliae ab his pendent, Vicentina excepta; etiam Aldinae, reliquae. *fata* Medic. Petav. Thuan. et Leidensis Burmanni, Paris. IV. August. Monac. I. II. Vratisl. I. qui mirus consensus in scriptura vitiosa, sed fortasse inde explicandus, quod in antiquissimo quodam codice male distinctis syllabis *factali curge* fuerit, unde postea *fatali curge* factum. Certe sic, *fatali gurce,* liquide legitur in eo, quo ego nullum antiquiorem codicem habeo, Thuaneo, Burmanno ac Vossio testantibus; et sic in illo, quem Leidensem dicit Burmannus. In Augustano ita omnia inde a *dicam*, confusa sunt, ut non appareat quomodo dividi syllabas librarius voluerit: *dicamtuafataligur ce.* *fata* etiam cod. Basil. Veneta Achat. Vicentina, Ascensianae. *ligurce* etiam Paris. II. *ligurge* Anglic. Monac. II. *lygurge* Monac. I. et Vratisl. I. *Licurge* Rom. II. et *lycurge* Veneta Achatis, reliquae, cum cod. Basil. et Voss. II.

*dicat* solae Aldinae. Quod nego ferri posse. Versus septem priores, ut supra observatum, *exordium* sunt, sive *prooemium*: quod nexam cum carminis initio ipsius sententiam habere non decet. *dicat* correctionem puto viri docti esse, per se satis elegantem, fortasse ipsius Aldi, qui recepta scriptura illa: *Multa prius fient,* verbum desiderabat ad vocem *avena* pertinens. Nullam Aldina scriptura ab libris, quos novimus satis multos, commendationem habet. In uno Vossiano I. suspicio est scriptum *dicat* fuisse. Et Burmannus quidem diserte dicit ita fuisse eo in libro; nos cum cautione: *si fides silentio Vossii.* Cf. Diss. IV.

ubi de Vossiano I. Neque aliis, post Aldinas, *dicat* placuit. Et vix commemoratur. Unam memini Basileensem Bryling. 1543. in cuius margine: *Alias dicat.*

V. 9. IMPIA. TRINACRIAE STERILESCANT GAUDIA VOBIS.

Inepte olim nonnulli *Impia gaudia* iungebant, ut Veneta Achatis, quae plene interpungit post *lycurge*, post *Impia* non interpungit. At plerique tamen libri editi antiquissimi recte, ut Romana II. *tua facta Licurge Impia. Trinacriae* etc. Veneta Rub. *tua facta lycurge Impia*: *trinacriae* etc. et sic reliquae. Mutinensis in toto loco nullam interpunctionem habet. Inhaesit prava distinctio recentioribus non paucis, ut Scaligeranis, quum tamen Scaligeri verba ipsius, quae scripsit ad hunc locum, aliter sensisse Scaligerum evincant. et editioni Burmanni, fortasse invito Burmanno, qui *inproba* malebat, *quia* inpia vota *paullo ante praecesserunt.* Heinsius aliquando coniiciebat: *Irrita Trinacriae st. g. vobis.*

Mirum est *Trinacriae gaudia.* In quo non immerito haerebat Salmasius. Nam Salmasius est haud dubie, de quo Arnoldus refert: *Ille noster παμμέγας*, Trinacriae, *ait, valde mihi suspectum, sed quia non habeo, quod substituam, tolero.* Sane non sufficit explicatio, quam ad vs. praeced. vidimus, Scaligeri. At corruptionis tamen nulla suspicio. Verum suboluit Wernsdorfio: et Arnoldus quoque, qui homo si quid aliquando boni habet, id multa verborum futilitate obruere, bonamque explicationem alia falsa immixta explicatione corrumpere solet, prope ad verum, quum ad versum 63. scribit: *Ita quoque supra* Trinacriae gaudia *pro agris adhibuit.* Nulla hic est agrorum Catonis cum agris Siciliensibus comparatio. Poeta ut paullo ante non satis feliciter se doctum praebuit mentione *Lycurgi*, ita hoc loco, dum vult docte, paullo loquitur obscurius. *Trinacriae gaudia* sunt fruges et sata, non Siciliae, sed fruges et sata in universum, quia his omnium maxime gaudet beata illa Sicilia, cuius fertilitas cessit in proverbium. Apte Wernsdorfius *Acheloïa pocula* confert ex Virgilio. Sic nunc poeta vinum, non certum quoddam, sed vinum in universum, *gaudia Rheni*; adamantes posset *gaudia Brasiliae* dicere: etsi, quod iam monui, non valde probarem. Convertit autem sermonem ad sequentem proximo versu vocativum *felicia rura.* Ut rursus sit apostrophe: sterilescant vobis sata et fruges, o rura. *vobis* duo libri Gallicani apud Heinsium, qui sunt Petavianus et Thuaneus; et Augustanus, qui, ut solet, susque deque habet syllabas: *Impiatrina cry ae st.* tum Paris. II. Monac. I. II. Vratisl. I. *nobis* Paris. IV. Anglic. et editi inde a Romana II. omnes, etiam Aldinae, cum libris scriptis recentioribus Basil. Voss. II. Vra-

tisl. II. Et quum monstratum a Scaligero verum esset, nemo, quod sciam, *vobis* edidit ante Putschium, qui tamen *vobis* ad montes silvasque refert, et de mellificio cogitat. *sterilescent* Anglic. *steriles creant* Medic. et sic Paris. IV. aut *steriles coeant.*

Verum est Catonem aliquoties prius dicta repetere et variare. Sed tamen non sunt, quod Wernsdorfio p. L. videbatur, manifestae *ταυτολογίαι.* Veluti hoc loco qui sequitur versus decimus, explicatio est versus noni.

V. 10. 1. NEC FECUNDA SENIS NOSTRI, FELICIA etc.

*Nec foecunda senis*] Lego:

*Nec foecunda, sinus nostri.* —

Nam sinum, nisi fallor, dixit, quod, ut iam monuimus, maritimi fuerunt eius agri. Id quod ex multis aliis huius poematii locis constat. O sinus nostri felicia rura, ne segetes ferant semina foecunda. Ita enim distinguendum, ut *foecunda* referantur ad *semina*, non ad *rura*. Idque melius pateret, si ita legeretur:

*Nec foecunda, sinus nostri o felicia rura, Semina* etc. SCALIG. Sane verissimum est, quod monet Scaliger, propinquos mari fuisse agros Catonis: sed alienum ab hoc loco, in quo libri quotquot sunt omnes, *senis* praebent. Neque alia varietas cernitur, nisi quod *nostris* in Monac. I. II. et Vratisl. I. Placuit Scaligeri coniectura *sinus* Dilherro, Arnoldo, Wernsdorfio, neque displicet Boxhornio. Alii alio modo tentandum esse locum putavere. *sinu vestro* Heinsius. Is. Vossius in magr. edit. Scalig. 1595. sic: f. *senI.* Antiquissimorum interpretum, Pomponii, reliquorum, quibus ubique ante animum Virgilius versabatur, conamina infra videbimus Diss. I. Ubi quam verborum explicationem Pomponio fortasse placuisse, et Badio dicimus, eam etiam Boxhornius ferri posse existimabat, qui *senis nostri* interpretabatur *senectutis nostrae*. Verum Tollius vidit, de quo Burmannus: *Tollio non adridebat Scaligeri lectio, putabatque poetam forte agricolam seu villicum potius innuere, quia serendi cura senibus demandabatur.* Igitur sic tum Tollius iungebat ista: *semina senis nostri*. rectissime, ac vide quam perspicue. *Semina senis nostri* sunt semina, quae serere solet senex noster, vel seri iubet; quae demandata sunt seni nostro, villico. Villico commissa fuisse semina, tum res ipsa suadet, tum exempla docent, ut Cato R. R. cap. v. de officiis villici: *Satui semen, cibaria, far, vinum, oleum mutuum dederit nemini.* Quod *senem* villicum habuerit Cato poeta, contra Columellae I. VIII. praeceptum, nemo mirabitur, qui Columellam illud tantum spectare, quod optimum sit, et ambiguam esse *senis* appellationem meminerit. Mitto alteram Tollii interpretationem, qua ille *fecunda*

*rura senis nostri* interpretabatur: agros a patre relictos, et fecunditate ceteris praestantiores. Quae interpretatio non solum sensum nexumque loci, qua de re statim dicam, perturbat, sed etiam hoc incommodi habet, quod non satis perspicue *senex* dicitur pater. Praeterea de patre Catonis plane nihil constat, neque ulla est in toto carmine mentio eius. Contra villicum intelligendum esse satis declarat addita *seminum* commemoratio. Fuit quum hunc *senem* villicum nullum alium esse quam illum toties compellatum versu intercalari *Battarum* coniiciebam. Sed abieci coniecturam. Non bene convenit villico *avena*; neque Catonem puto, quum toties vocativo compellet Battarum, semel de eodem *senis nostri* dicturum fuisse.

Nexum distinctionemque loci praeclare adiuvit Scaliger, qui vocativum esse *felicia rura*, et *fecunda* referendum esse ad *semina*, non ad *rura*, intellexit. Praeiverant antiquae nonnullae: Veneta Achat. in qua *Nec fecunda* : *senis nostri* : *felicia r.* et si quis forte non multum tribuendnm esse interpunctioni in tam antiquo libro dixerit: nam sane negligentes tum erant hac in re, ut haec ipsa Veneta Achatis paullo ante v. 6. inepte colon habet post *retro*: etiam Aldinae ita: *Nec foec. s. nostri, felicia rura, Sem.* et sic ante Aldinas Aldus cum Taurin. 1518. et post Aldinas aliae. Ut autem nos locum accipimus, etiam melius procedit oratio poetae, quam e Scaligeri ratione. Scilicet, ut Scaliger legit, *Nec foecunda*, *sinus nostri felicia rura*, *Semina parturiant segetes*, pausa sententiae, et distinctio, non satis eleganter post syllabam dactyli secundam incidit; ut nos, in caesuram pedis quarti, quae hephthemimeres dicitur, quod multo aptius atque usitatius. Quamquam ei rei non nimium tribuerim in hoc poeta. Deinde, quod gravius, ut Scaliger locum legit, obscuritate laborat, quum non satis pateat, vocativum esse *felicia rura*. Id sentiens Scaliger malebat *o* inserere, ita: *sinus nostri o felicia rura*, etc. At ex nostra lectione, *nostri*, quum speciem habeat alloquutionis: est enim *senis nostri* idem ac si dixisset *senis mei et vestri*: praeparat quasi transitum ad vocativum. Denique, quod non monerem, nisi ambigua ea de re Scaligeri verba essent, facile intelligitur, *fecunda semina* nominativum esse, *segetes* pendentem a verbo *parturiant* accusativum: sterilescant sata, neque erumpant semina senis nostri, quantumvis fecunda illa, sed putescant (Varro R. R. I. xxxiv.), vel diu iacendo (ut ap. Plinium H. N. XVIII. xxiv.) evanescant, antequam erumpere et parturire segetem possint. Vel potius de caussa, quare inde ab hoc tempore fecunditatem semina suam non comprobatura sint, non accurate cogitavit Cato: portentosa imprecatur agro suo, et quae excedant consuetudinem. Verum est, *segetem* plerumque esse ipsum agrum satum, vel in quo serendum, Broukhus. in

Tibull. IV. 1, 172. ad cuius disputationem quae addas, multa exstant ubique, ut Cic. Orat. XV, 48. Cic. ap. Nonium p. 401, 8. (Fragm. ed. Ernest. p. 1092.) Poeta mox laudandus ad v. 16. Sed tamen alibi *seges* dicuntur exstantes ex agro fruges: Poeta apud Charis. IV. 252. et 253. (Scriver. p. 180.) *segetis armatae manus*. et sic Cato iterum, v. 43. *Pascantur segetes*.

*fecunda* scripsi cum Augustano et Thuaneo. Etsi ne his quidem, qui sunt optimi, multum tribuo tali in re. Infra Ecl. 40. *phoebe* in utroque. Pro *ae* in Thuaneo, ut puto, semper *e*, ut paullo ante *hedi, aquile*, et mox *Ipse, silue*. Augustanus *ae*. *vel mitia ruri*, futilem Boxhornii coniecturam, edidere Dilherrus, Arnoldus.

V. 12. NON ARBUSTA NOVAS FRUGES, NON PAMPINUS UVAS. *Non arbusta novas fruges*] Etiam Cicero in libro de senectute vitem in frugibus ponit. SCALIG. Immo *fruges* h. l. sunt mala, nuces. De vite statim sequitur: *non pampinus uvas*. *noves* August. Medic. et Paris. IV. *novalia* miro errore pro *novas*.

V. 13. IPSAE NON SILVAE FRONDES, NON FLUMINA MONTES. *Non ipsae frondes silvae* transponebat Francius. Cf. Diss. III. ubi de collocatione *non* particulae.

*flamina* Medic. et Aldina II. a. 1534. quod amplectitur Heinsius. Caeteri libri *flumina*, etiam Vossianus I. quod iam recte acceperat Pomponius Sabinus: *solus Tygris in planitie in media Armenia nascitur, caeteri fluvii in montibus nascuntur*. Et inanis est Heinsii obiectio, non adeo spatiosos fuisse agellos Catonis, ut flumen non unum oreretur in his montibus. Erant, quod etiam ex v. 64. sqq. intelligitur, in vicinia agri Catoniani flumina: quam vicina, nemo dixerit; neque opus est ad explicandum Catonem, ut ea agrum Catonis ipsum alluisse statuas. Ea flumina ex quibus montibus venerint, nescimus: venerint ex longe remotissimis: semper, exstinctis illis, peritura erat amoenitas agri. *non flumina fontes* coni. Lindenbruchius, Boxhornius, Tollius, propter versum 18. idque probat Wernsdorfius, recepit Putschius. Et Wakefieldius ad Lucret. I. 291. aut hoc loco *fontes*, aut versu 18. *montibus* reponendum esse dicit. Ego vero non intelligo, cur exaequari inter se hi loci debeant. Siccitatem imprecatur, semel fluminibus alibi nascentibus, alterum fontibus, qui erant in agro ipso.

V. 14. RURSUS, ET HOC ITERUM REPETAMUS B. C. *ursus* Thuan. teste Lasseno: evanuit R littera. *et* deest Parisino II. *reperamus* vitiose Ven. Achat. *bactare* Mutin. Venetae Achat. Rub. Iens. Vicentina,

aliae, ita hunc locum distinguunt: *non flumina montes Rursus*: male. *non flumina montes. Rursus et hoc iterum* etc. Aldinae, et sic Anglican. Vratisl. I. At optimum hoc est, quod iam Romana II. deinde Argent. 1502. Taurin. 1518. praebent: *non flumina montes. Rursus*: *et hoc iter.* etc. vel comma post *Rursus*, ut Aldus, Lugd. 1529. aliae. Non ferendum enim, quod Badio in mentem venit, ita iungendum esse, repetamus *rursus et iterum*: quem pleonasmum ut tueretur, multa inepte cumulat Arnoldus. Neque apta sunt exempla apud Putschium: et quid constructioni fiet? Sententia hunc in modum procedit: Rursus, Battare, et repetamus hoc carmen iterum. Qua in exhortatione *rursus* eo spectat, ut denuo canat Battarus; et *iterum repetamus hoc carmen*, quia, ex verissima Wernsdorfii observatione, qui sequuntur versus quatuor, nihil sunt nisi versuum 10. 11. 12. 13. repetitio. Cf. de Battaro disputata p. 20. 21. Nempe aliquid sane interest inter hos locos. Sic *prata* commemorat v. 16. quorum in loco priore mentio nulla; et versus 18. sententia differt aliquantum, ut paullo ante monebam, a versu 13. At haec communis utrique loco generalis sententia, quod sterilitatem imprecatur rebus suis omnibus. *Rursus* illustro collato versu 75.

*Tristius hoc* rursum *dicat mea fistula carmen.*

ubi non licebat Catoni *iterum* scribere, quum multum differat inter paludes repente exsistentes, et agrorum inundationem incursu torrentium factam. At licebat *rursum*, denuo, h. e. de novo, (von vorn), *πάλιν* i. e. *ἐξ ὑποστροφῆς*, ut utar veteris interpretis graeci explicatione, qua Theocriteum *πάλιν* explicat in versu intercalari I. 84. *Τὸ πάλιν ἐξ ὑποστροφῆς ἀρχὴν ποιούμενός φησι.* Ergo quum *πάλιν* apud Theocritum, et *rursus* vel *rursum* apud Catonem, nihil sit nisi novae strophae indicium, strophae autem tam Theocriti illo carmine, quam Catonis pleraeque, etsi in uno argumento versantur, valde inter se differant singulae sententiis, nostro loco Cato, ubi etiam sententias strophae praecedenti similes, vel potius geminas atque easdem, prolaturus est, *iterum* adiecit. Video nunc *πάλιν* apud Theocritum dubiae esse explicationis. Licet enim sic: *πάλιν ἄρχετε, rursus incipite.* Licet sic, ut *πάλιν* acclamatio sit obiter inserta. Quod praefero, fitque eo modo Theocriteum *πάλιν* magis simile Catoniano *rursus.* Ut sic scribendum sit apud Theocritum locis illis, quos supra indicavi:

*ἄρχετε βωκολικᾶς, Μῶσαι, πάλιν, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.*

Prorsus ut *ἴτε* positum est in versu, qui mox sequitur:

*λήγετε βωκολικᾶς, Μῶσαι, ἴτε, λήγετ' ἀοιδᾶς.*

V. 15. EFFETAS CERERIS SULCI CONDATIS AVENAS. *effoetas avenas*, quae defrugant segetem, ut in Moreto *adesum sal*, quod ipse

scilicet efficiat, non patiatur. id est, quod efficiat adesa corpora, quibus inspersum est. SCAL. *sulci condatis* ut in Romana II. cod. Basil. Vratisl. II. Voss. II. Venetis Rub. et Iens. Mut. Vicent. et quae hanc sequuntur, fere omnibus, etiam Ascensianis, Aldinis, et recentioribus. et sic in Voss. I. si f. s. Contra *sulcis* in libris scriptis antiquis, Petav. Thuan. Leid. Paris. II. III. IV. Angl. August. Monac. I. II. Vratisl. I. et in Ven. Achat. Argent. 1502. Deinde *condamus* Voss. I. diserte testante Vossio, Leid. Paris. IV. Angl. et *fundamus* Medic. Quos ego libros cunctos sperno, ac posthabeo scripturae vulgatae. *sulcis*, et postea *condamus*, scripsere, quibus obscurum erat, quum usitatam Catoni apostrophen non perciperent, *sulci*. Et *condamus* ut scriberent, potest etiam errore factum esse oscitantis, et in proximum *repetamus* respicientis librarii. Respondet versus versui 10. et similem, si recte intelligatur, sententiam habet. Optat ut pro bonis fecundisque seminibus sulci recipiant mala, et quae effetas avenas praebeant. Id eleganti brevitate dicit: *effetas sulci condatis avenas*. Nam proprie erat: condatis, et habeatis vobiscum, semina, ex quibus fiant effetae avenae. *condatis* Gl. V. I. non satis accurate interpretatur *accipiatis*. Hoc vult poeta, ut semina, etiam bona ac speciosa, in hoc solo mala se praebeant, fallantque exspectationem. Aptus ad rem, Badio laudatus, Virgilius Ecl. V. 36. 7.

Grandia *saepe quibus mandavimus* hordea sulcis,
*Infelix lolium, et* steriles *nascuntur* avenae.

Badius *dominantur* exhibet: cf. Georg. 1. 154. et Intpp. utroque loco. Add. Calpurnius IV. 115. 6. *nec praefocata malignum Messis habet lolium*, *nec* inertibus *albet* avenis. Et Georg. I. 226. *Exspectata seges* vanis *elusit avenis*, quod cum aliis libris Veneta Achat. 1472. Mediol. 1474. ap. Maittairium, et apud me Veneta Rubei et Mutinensis habent, certe non deterius est scriptura altera, *aristis*. et fortasse *avenis* elegantius, quum *aristis* praecesserit v. 220. *Cereris* plerique omnes coniunxisse cum v. *sulci* videntur. Ut Gl. V. I. *Cereris sulci*: *in quibus est ceres seminata*. Vel ut Badius: *O sulci cereris. i. facti ad cererem hoc est frugem ferendam.* Praestat, ut iungas *Cereris effetas*. Ut Virgilius Aen. VII. 440.

— *victa situ* verique effeta *senectus*:

et 452. veri effeta *senectus*. Sensit, nisi fallor, Domitius Calderinus, qui sic: *Sulci. vos sulci agri abscondatis. Effoetas. vacuas. Cereris. frumenti.* Et eumdem in modum Tollius ap. Burm. *effetas Cereris avenas* explicat steriles, frumento carituras.

*Effetas* scripsi cum Mon. I. II. Vrat. I. II. Bas. Rom. II. Ven. Achat. Scaligg. Pith. *Effetis* Thuan. Lasseno testante. *Effectas* Pe-

tav. August. Paris. III. Angl. de quo vitio Cortius in Sallust. Cat. LIII, 5. Var. lect. in Virg. Aen. V. 396. Wakefield. in Lucret. II. 1149. *Effoetas* olim fere omnes, Aldinae quoque; et casu magis quam industria factum puto, quod *Effetas* est in Rom. II. Ven. Ach. *havenas* Ven. Achat. *prodatis* vel *nunc detis* coni. Heinsius.

V. 16. PALLIDA FLAVESCANT AESTU SITIENTIA PRATA. Nota ubertatem vel abundantiam dictionis. Idem est *pallida* et *flavescant*. *Pallida flavescant* usitata in omni poesi figura. Nempe *pallor* tum cadit in prata, quum languent atque arent. Quodsi reperiuntur loci, quibus *pallere* dicuntur, quae viridia sunt, color intelligendus est non laetus ille, qualis esse pratorum solet, sed obscurior et languidus: ut Culicis versu 142. *Pinguntque aureolos* viridi pallore *corymbos*, de foliis hederae, quae *pallent*, quum conferuntur cum *aureolis* corymbis. Rursus *aurum* ipsum, quod omnium minime exspectaveris, *pallet*, sed collatum cum sano atque candido faciei humanae colore: Catull. Epith. P. et Th. 100. LXXXI. 4. At in Culice tamen v. 46. tuear auctoritate codicum vulgatum:

Lurida *qua patulos velabant gramina colles.*

Sic versum etiam Augustanus scriptum habet, et Vossianus membr. 81. nisi quod in hoc *gramina flores*. *Luridas* Petavianus, idemque cum Thuaneo *velabunt*, testante Vossio in marg. edit. Scalig. 1573. Fortasse quam accuratissime loqui hic poeta voluit. Sane in *monte excelso*, et in *summis iugis*, quorum proxime praecedit mentio, non solent admodum laete virescere gramina.

His Catonis et sequentibus similia, quae Claudianus R. P. III. 238. ubi, Cerere narrante, Plutonis adventu

*luror permanat in herbas.*
*Deficiunt rivi. squalent rubigine prata,*
*Et nihil afflatum vivit. pallere ligustra*, etc.

Contraria his, et strophae Catonis praecedenti, poeta, quisquis est, elegantissimus, apud Ciceronem Tusc. I. xxviii. de Orat. III. xxxviii. Non. Marc. p. 122, 17.

*Caelum nitescere, arbores frondescere,*
*Vites laetificae pampinis pubescere,*
*Rami bacarum ubertate incurviscere,*
*Segetes largiri fruges, florere omnia,*
*Fontes scatere, herbis prata convestirier.*

Parum placet totum delitescens in thesi *scatere*. Fortasse scripserat:

*Fontes scatere, prata convestirier*
*Herbis.*

Apud Catonem *aestas* Mon. I. *estas* Vrat. I. *estus* Mon. II. in quo etiam *Pallula* vitiose. *siciencia* idem, *sicientia* Rom. II. cum Vrat. I. II. *sitiencia* August. *planta* pro *prata* Paris. IV. *Squallido inarescant aestu* coniiciebat Heinsius. vel *flaccescant.*

*pendencia* Thuan. August. Rom. II. *Inmatura* ex uno Vrat. I. diserte annotatum habeo. Caeteri, quantum quidem constat, *Imm.* ut August.

V. 18. DESINT ET SILVIS FRONDES, ET FONTIBUS H. *Desinit* Paris. IV. *i* in *silva* hic et sup. 8. 13. et alibi constanter obtinet in Augustano, et editis iis, qui antiquissimi, Romanis, tribus Venetis, Mut. Vic. Post has hellenismum affectare, et *y* scribere coeperunt: et sic in Ascensianis, Virg. Aldi, Aldinis, et in nonnullis ante has, ut in Brix. 1485. *montibus* coniectura Wakefieldii, de qua dictum ad v. 13.

V. 19. NEC DESIT NOSTRIS DEVOTUM CARMEN AVENIS. Versus intercalaris. Quod perceperat Gloss. V. I. qui adscripsit in margine: *semper repetamus hoc carmen.* Recte: poterat poeta etiam hoc modo. Quamquam iucundum hoc apud nostrum est, quod variat versum intercalarem. Et huic quidem versui intercalari id proprium est, quod coniunctam cum versu praeced. sententiam habet. Hoc quoque non male declarat Gl. V. I. *Etiam si rebus aliis natura sua defuerit*: *tamen mihi dire nunquam deerunt in hostem meum*. male *deerunt*: omnia optantis sunt, ac voventis; neque *hostem* devovet, sed agrum, ne prosit hosti. Arnoldus alibi Catonem, v. 7. et 97. *avenam* dicere numero singulari observat: itaque hic esse enallagen numeri, *avenis.* Non puto. Explicui rem supra, ubi de Battaro, p. 21. In duobus Monacensib. non *carmen,* sed *gramen* et in Vratisl. I. *germen* est, mirum commentum. Ven. Achat. *hruenis.* Vic. *havenis.*

Laudat versum C. Barthius Adversar. XLVI. x. ubi de verbo *devovere, devotare* nonnulla; quod ad locum nostrum faciat, nihil. Nam *devoveri* aliquem, usitatum est, dixitque Cato infra v. 34. *nostris potius* devota *libellis*, et v. 82. *O male* devoti — *agelli. devotum carmen* nemo fortasse dixit praeter Catonem. Sensum bene reddit Badius: *devotivum et imprecativum seu execratorium.* Elegantius Gloss. V. I. *execrabile.* Si quidem hic *execrabile* recte, atque eo sensu acceperit, quo *exsecrabile* scripsit Livius XXXI. xvii, 9. *praeeuntibus exsecrabile carmen sacerdotibus.* Plane idem, *carmen devotum* apud Catonem, *carmen exsecrabile* apud Livium. Nempe *exsecrabile* in hac loquutione, et quum *odium* dicitur *exsecrabile,* neque dignum exsecratione, detestandum, significat, neque activa accipiendum est significatione, sed est,

ut melius alii, cum exsecratione coniunctum, in quo est aliquid exsecrationis. Possis etiam sic: carmen exsecrationum. Iam eumdem in sensum et *devotum carmen* dictum est, et alia dicta sunt ex genere participiorum. Veluti sic accipio, quod Cicero scribit Philipp. I. II, 5. *illius exsecratae columnae*, non ut sit columna, quam multi exsecrantur, sed simpliciter, in qua haeret aliquid exsecrationis: die Säule des Fluchs. Relaturus huc eram ista, *Scelerata porta*, *Sceleratus campus*, *Sceleratus vicus*: sed dum accurate circumspicio, retineri posse in his vim participii propriam intelligo, ut sit, scelere, vel sceleribus, contaminatus, et obrutus. Omnino cavendum hac in re, ne quis diversa misceat. Sic ad latam illam et generalem significationem, quam nos nunc volumus, accedunt tunica *palmata*, braccae *virgatae*: quid enim tunica *palmata*, braccae *virgatae* aliud, quam tunica, braccae, in quibus sunt palmae, virgae? ut nos, ein gestreiftes, ein gewürfeltes Kleid. At *undulata* quo sensu vestis dicatur Varroni, et *impluviata* alia Plauto Epid. II. II, 40. mihi quidem incertum est; an conformata in speciem *impluvii*? Ita crediderim: ut est iugatio vitium *compluviata* apud Varronem et Plinium. et *indusiata* vestis Epid. II. II, 47. haud dubie est, conformata in speciem indusii. ut *picati* appellabantur, Festo testante, *quorum pedes formati sunt in speciem sphingum.* Non magis huc pertinet Plautinum illud, sed iam ante Plautum, ut puto, usitatum, *nupta verba*: quae non sunt verba *nuptialia*, sed velut *devirginata*, ut bene Acidalius in Cas. p. 136. Igitur haec translatio est a puella ad verba eius: quem in modum etiam *verba* dicuntur *praetextata.* Eumdemne in sensum interpreteris, an alio modo, Plauti locum Trucul. II. II, 24. *centum* coenatas *noctes*, dubitare possis: poterit hoc modo, noctes cum coena coniunctas, quae continent coenam, ut par locus sit Catonis loco; poterit ita, ut haec quoque translatio sit, coenatas noctes, quas quis coenatus peragit. Quod praefero. *Solatos* Plinius dicit, qui laborant eo morbo, sed *solatus* etiam morbus dicebatur ipse, si fides Festo. Prorsus simile *devoto carmini* foret vulgatum in Trinummo I. II, 149. *maledictas famas*: quod, licet insolenter dictum, ferrem, nisi ibi tam facilis praesto esset emendatio *maledicas.* Sed certa, nulloque modo ambigua, participiorum suam naturam exuentium, et potestatem latiorem illam assumentium, exempla haec sunt, quae alio consilio Muretus et Scaliger in Catull. Epith. P. et Th. 83. Bern. Martinus Var. Lect. III. IX. afferunt, *insepultam sepulturam* Cic. Philipp. I. II, 5. *innuptis nuptiis* poetae ap. Cic. de Orat. III. LVIII. Scilicet, quod egregie perceperat Scaliger, Romani, quum sentirent, quam felix in his, γάμος ἄγαμος, eiusque generis innumeris aliis, acumen inesset, aemulati sunt Graecos, successu impari. Nam nonnulla quidem suppeditabat sermo la-

*dicam*, indicam, imprecabor. De Lycurgo nonnulla Lindenbruchius et Burmannus; add. Plutarch. de aud. poet. p. 15. E. et qui Arabem facit Lycurgum, Nonnus XX. 236. XXI. 133. ss. Sed totum hoc de *Lycurgo* non feliciter inventum a Catone puto. Lycurgus enim ille Thrax non tam in *montes* et *silvas* grassatus est, quam in vites: at vites, certe Catonis, non in silvis erant, sed iuxta silvam: inf. v. 42. Deinde quum montibus et silvis suis novum aliquem Lycurgum postulat, quaeritur quis ille possit esse. Miles? Non puto. Non vult enim, ut miles corrumpat, evertat agrum: hoc vult, ut sterilescat, langueat, pereat ager, ne frui eo miles possit. Itaque melius in universum dixisset se etiam montibus ac silvis mala minari. Cur autem montes et silvas commemoret, id bene mihi videor declarare posse. Scilicet hac prima imprecatione, quae continetur versibus sex, inde a v. 8. usque ad v. 13. sua complectitur omnia. Erant autem in agro Catonis haec maxime tria: montes, silvae, rura. Et rura, ut par erat, accuratius commemorat v. 9. 10. montium, et collium, iterum mentionem facit v. 11. et 13. silvarum iterum v. 13. *facta* ex meis antiquioribus Paris. II. et Anglicanus; tum recentiores, Voss. II. et Vratisl. II. denique editi, Romana II. Mutinensis, Venetae Rub. et Iens. et quae aliae ab his pendent, Vicentina excepta; etiam Aldinae, reliquae. *fata* Medic. Petav. Thuan. et Leidensis Burmanni, Paris. IV. August. Monac. I. II. Vratisl. I. qui mirus consensus in scriptura vitiosa, sed fortasse inde explicandus, quod in antiquissimo quodam codice male distinctis syllabis *factali curge* fuerit, unde postea *fatali curge* factum. Certe sic, *fatali gurce,* liquide legitur in eo, quo ego nullum antiquiorem codicem habeo, Thuaneo, Burmanno ac Vossio testantibus; et sic in illo, quem Leidensem dicit Burmannus. In Augustano ita omnia inde a *dicam*, confusa sunt, ut non appareat quomodo dividi syllabas librarius voluerit: *dicamtuafataligur ce. fata* etiam cod. Basil. Veneta Achat. Vicentina, Ascensianae. *ligurce* etiam Paris. II. *ligurge* Anglic. Monac. II. *lygurge* Monac. I. et Vratisl. I. *Licurge* Rom. II. et *lycurge* Veneta Achatis, reliquae, cum cod. Basil. et Voss. II.

*dicat* solae Aldinae. Quod nego ferri posse. Versus septem priores, ut supra observatum, *exordium* sunt, sive *prooemium*: quod nexam cum carminis initio ipsius sententiam habere non decet. *dicat* correctionem puto viri docti esse, per se satis elegantem, fortasse ipsius Aldi, qui recepta scriptura illa: *Multa prius fient*, verbum desiderabat ad vocem *avena* pertinens. Nullam Aldina scriptura ab libris, quos novimus satis multos, commendationem habet. In uno Vossiano I. suspicio est scriptum *dicat* fuisse. Et Burmannus quidem diserte dicit ita fuisse eo in libro; nos cum cautione: *si fides silentio Vossii.* Cf. Diss. IV.

ubi de Vossiano I. Neque aliis, post Aldinas, *dicat* placuit. Et vix commemoratur. Unam memini Basileensem Bryling. 1543. in cuius margine: *Alias dicat.*

V. 9. IMPIA. TRINACRIAE STERILESCANT GAUDIA VOBIS.

Inepte olim nonnulli *Impia gaudia* iungebant, ut Veneta Achatis, quae plene interpungit post *lycurge*, post *Impia* non interpungit. At plerique tamen libri editi antiquissimi recte, ut Romana II. *tua facta Licurge Impia. Trinacriae* etc. Veneta Rub. *tua facta lycurge Impia: trinacriae* etc. et sic reliquae. Mutinensis in toto loco nullam interpunctionem habet. Inhaesit prava distinctio recentioribus non paucis, ut Scaligeranis, quum tamen Scaligeri verba ipsius, quae scripsit ad hunc locum, aliter sensisse Scaligerum evincant. et editioni Burmanni, fortasse invito Burmanno, qui *inproba* malebat, *quia* inpia vota *paullo ante praecesserunt.* Heinsius aliquando coniiciebat: *Irrita Trinacriae st. g. vobis.*

Mirum est *Trinacriae gaudia.* In quo non immerito haerebat Salmasius. Nam Salmasius est haud dubie, de quo Arnoldus refert: *Ille noster παμμέγας*, Trinacriae, *ait, valde mihi suspectum, sed quia non habeo, quod substituam, tolero.* Sane non sufficit explicatio, quam ad vs. praeced. vidimus, Scaligeri. At corruptionis tamen nulla suspicio. Verum suboluit Wernsdorfio: et Arnoldus quoque, qui homo si quid aliquando boni habet, id multa verborum futilitate obruere, bonamque explicationem alia falsa immixta explicatione corrumpere solet, prope ad verum, quum ad versum 63. scribit: *Ita quoque supra* Trinacriae gaudia *pro agris adhibuit.* Nulla hic est agrorum Catonis cum agris Siciliensibus comparatio. Poeta ut paullo ante non satis feliciter se doctum praebuit mentione *Lycurgi*, ita hoc loco, dum vult docte, paullo loquitur obscurius. *Trinacriae gaudia* sunt fruges et sata, non Siciliae, sed fruges et sata in universum, quia his omnium maxime gaudet beata illa Sicilia, cuius fertilitas cessit in proverbium. Apte Wernsdorfius *Acheloïa pocula* confert ex Virgilio. Sic nunc poeta vinum, non certum quoddam, sed vinum in universum, *gaudia Rheni*; adamantes posset *gaudia Brasiliae* dicere: etsi, quod iam monui, non valde probarem. Convertit autem sermonem ad sequentem proximo versu vocativum *felicia rura.* Ut rursus sit apostrophe: sterilescant vobis sata et fruges, o rura. *vobis* duo libri Gallicani apud Heinsium, qui sunt Petavianus et Thuaneus; et Augustanus, qui, ut solet, susque deque habet syllabas: *Impiatrina cry ae st.* tum Paris. II. Monac. I. II. Vratisl. I. *nobis* Paris. IV. Anglic. et editi inde a Romana II. omnes, etiam Aldinae, cum libris scriptis recentioribus Basil. Voss. II. Vra-

tisl. II. Et quum monstratum a Scaligero verum esset, nemo, quod sciam, *vobis* edidit ante Putschium, qui tamen *vobis* ad montes silvasque refert, et de mellificio cogitat. *sterilescent* Anglic. *steriles creant* Medic. et sic Paris. IV. aut *steriles coeant.*

Verum est Catonem aliquoties prius dicta repetere et variare. Sed tamen non sunt, quod Wernsdorfio p. L. videbatur, manifestae *ταυτολογίαι.* Veluti hoc loco qui sequitur versus decimus, explicatio est versus noni.

V. 10. 1. NEC FECUNDA SENIS NOSTRI, FELICIA etc.

*Nec foecunda senis*] Lego:

*Nec foecunda, sinus nostri.* —

Nam sinum, nisi fallor, dixit, quod, ut iam monuimus, maritimi fuerunt eius agri. Id quod ex multis aliis huius poematii locis constat. O sinus nostri felicia rura, ne segetes ferant semina foecunda. Ita enim distinguendum, ut *foecunda* referantur ad *semina*, non ad *rura.* Idque melius pateret, si ita legeretur:

*Nec foecunda, sinus nostri o felicia rura, Semina* etc. SCALIG. Sane verissimum est, quod monet Scaliger, propinquos mari fuisse agros Catonis: sed alienum ab hoc loco, in quo libri quotquot sunt omnes, *senis* praebent. Neque alia varietas cernitur, nisi quod *nostris* in Monac. I. II. et Vratisl. I. Placuit Scaligeri coniectura *sinus* Dilherro, Arnoldo, Wernsdorfio, neque displicet Boxhornio. Alii alio modo tentandum esse locum putavere. *sinu vestro* Heinsius. Is. Vossius in magr. edit. Scalig. 1595. sic: f. *senI.* Antiquissimorum interpretum, Pomponii, reliquorum, quibus ubique ante animum Virgilius versabatur, conamina infra videbimus Diss. I. Ubi quam verborum explicationem Pomponio fortasse placuisse, et Badio dicimus, eam etiam Boxhornius ferri posse existimabat, qui *senis nostri* interpretabatur *senectutis nostrae.* Verum Tollius vidit, de quo Burmannus: *Tollio non adridebat Scaligeri lectio, putabatque poetam forte agricolam seu villicum potius innuere, quia serendi cura senibus demandabatur.* Igitur sic tum Tollius iungebat ista: *semina senis nostri.* rectissime, ac vide quam perspicue. *Semina senis nostri* sunt semina, quae serere solet senex noster, vel seri iubet; quae demandata sunt seni nostro, villico. Villico commissa fuisse semina, tum res ipsa suadet, tum exempla docent, ut Cato R. R. cap. v. de officiis villici: *Satui semen, cibaria, far, vinum, oleum mutuum dederit nemini.* Quod *senem* villicum habuerit Cato poeta, contra Columellae I. VIII. praeceptum, nemo mirabitur, qui Columellam illud tantum spectare, quod optimum sit, et ambiguam esse *senis* appellationem meminerit. Mitto alteram Tollii interpretationem, qua ille *fecunda*

*rura senis nostri* interpretabatur: agros a patre relictos, et fecunditate ceteris praestantiores. Quae interpretatio non solum sensum nexumque loci, qua de re statim dicam, perturbat, sed etiam hoc incommodi habet, quod non satis perspicue *senex* dicitur pater. Praeterea de patre Catonis plane nihil constat, neque ulla est in toto carmine mentio eius. Contra villicum intelligendum esse satis declarat addita *seminum* commemoratio. Fuit quum hunc *senem* villicum nullum alium esse quam illum toties compellatum versu intercalari *Battarum* coniiciebam. Sed abieci coniecturam. Non bene convenit villico *avena*; neque Catonem puto, quum toties vocativo compellet Battarum, semel de eodem *senis nostri* dicturum fuisse.

Nexum distinctionemque loci praeclare adiuvit Scaliger, qui vocativum esse *felicia rura*, et *fecunda* referendum esse ad *semina*, non ad *rura*, intellexit. Praeiverant antiquae nonnullae: Veneta Achat. in qua *Nec fecunda*: *senis nostri*: *felicia r.* et si quis forte non multum tribuendum esse interpunctioni in tam antiquo libro dixerit: nam sane negligentes tum erant hac in re, ut haec ipsa Veneta Achatis paullo ante v. 6. inepte colon habet post *retro*: etiam Aldinae ita: *Nec foec. s. nostri, felicia rura, Sem.* et sic ante Aldinas Aldus cum Taurin. 1518. et post Aldinas aliae. Ut autem nos locum accipimus, etiam melius procedit oratio poetae, quam e Scaligeri ratione. Scilicet, ut Scaliger legit, *Nec foecunda*, *sinus nostri felicia rura*, *Semina parturiant segetes*, pausa sententiae, et distinctio, non satis eleganter post syllabam dactyli secundam incidit; ut nos, in caesuram pedis quarti, quae hephthemimeres dicitur, quod multo aptius atque usitatius. Quamquam ei rei non nimium tribuerim in hoc poeta. Deinde, quod gravius, ut Scaliger locum legit, obscuritate laborat, quum non satis pateat, vocativum esse *felicia rura.* Id sentiens Scaliger malebat *o* inserere, ita: *sinus nostri o felicia rura*, etc. At ex nostra lectione, *nostri,* quum speciem habeat alloquutionis: est enim *senis nostri* idem ac si dixisset *senis mei et vestri*: praeparat quasi transitum ad vocativum. Denique, quod non monerem, nisi ambigua ea de re Scaligeri verba essent, facile intelligitur, *fecunda semina* nominativum esse, *segetes* pendentem a verbo *parturiant* accusativum: sterilescant sata, neque erumpant semina senis nostri, quantumvis fecunda illa, sed putescant (Varro R. R. I. xxxiv.), vel diu iacendo (ut ap. Plinium H. N. XVIII. xxiv.) evanescant, antequam erumpere et parturire segetem possint. Vel potius de caussa, quare inde ab hoc tempore fecunditatem semina suam non comprobatura sint, non accurate cogitavit Cato: portentosa imprecatur agro suo, et quae excedant consuetudinem. Verum est, *segetem* plerumque esse ipsum agrum satum, vel in quo serendum, Broukhus. in

Tibull. IV. 1, 172. ad cuius disputationem quae addas, multa exstant ubique, ut Cic. Orat. XV, 48. Cic. ap. Nonium p. 401, 8. (Fragm. ed. Ernest. p. 1092.) Poeta mox laudandus ad v. 16. Sed tamen alibi *seges* dicuntur exstantes ex agro fruges: Poeta apud Charis. IV. 252. et 253. (Scriver. p. 180.) *segetis armatae manus.* et sic Cato iterum, v. 43. *Pascantur segetes.*

*fecunda* scripsi cum Augustano et Thuaneo. Etsi ne his quidem, qui sunt optimi, multum tribuo tali in re. Infra Ecl. 40. *phoebe* in utroque. Pro *ae* in Thuaneo, ut puto, semper *e*, ut paullo ante *hedi, aquile*, et mox *Ipse, silue.* Augustanus *ae.* *vel mitia ruri*, futilem Boxhornii coniecturam, edidere Dilherrus, Arnoldus.

V. 12. NON ARBUSTA NOVAS FRUGES, NON PAMPINUS UVAS.

*Non arbusta novas fruges*] Etiam Cicero in libro de senectute vitem in frugibus ponit. SCALIG. Immo *fruges* h. l. sunt mala, nuces. De vite statim sequitur: *non pampinus uvas.* *noves* August. Medic. et Paris. IV. *novalia* miro errore pro *novas.*

V. 13. IPSAE NON SILVAE FRONDES, NON FLUMINA MONTES.

*Non ipsae frondes silvae* transponebat Francius. Cf. Diss. III. ubi de collocatione *non* particulae.

*flamina* Medic. et Aldina II. a. 1534. quod amplectitur Heinsius. Caeteri libri *flumina*, etiam Vossianus I. quod iam recte acceperat Pomponius Sabinus: *solus Tygris in planitie in media Armenia nascitur, caeteri fluvii in montibus nascuntur.* Et inanis est Heinsii obiectio, non adeo spatiosos fuisse agellos Catonis, ut flumen non unum oreretur in his montibus. Erant, quod etiam ex v. 64. sqq. intelligitur, in vicinia agri Catoniani flumina: quam vicina, nemo dixerit; neque opus est ad explicandum Catonem, ut ea agrum Catonis ipsum alluisse statuas. Ea flumina ex quibus montibus venerint, nescimus: venerint ex longe remotissimis: semper, exstinctis illis, peritura erat amoenitas agri. *non flumina fontes* coni. Lindenbruchius, Boxhornius, Tollius, propter versum 18. idque probat Wernsdorfius, recepit Putschius. Et Wakefieldius ad Lucret. I. 291. aut hoc loco *fontes*, aut versu 18. *montibus* reponendum esse dicit. Ego vero non intelligo, cur exaequari inter se hi loci debeant. Siccitatem imprecatur, semel fluminibus alibi nascentibus, alterum fontibus, qui erant in agro ipso.

V. 14. RURSUS, ET HOC ITERUM REPETAMUS B. C. *ursus* Thuan. teste Lasseno: evanuit R littera. *et* deest Parisino II. *reperamus* vitiose Ven. Achat. *bactare* Mutin. Venetae Achat. Rub. Iens. Vicentina,

aliae, ita hunc locum distinguunt: *non flumina montes Rursus*: male. *non flumina montes. Rursus et hoc iterum* etc. Aldinae, et sic Anglican. Vratisl. I. At optimum hoc est, quod iam Romana II. deinde Argent. 1502. Taurin. 1518. praebent: *non flumina montes. Rursus*: *et hoc iter.* etc. vel comma post *Rursus*, ut Aldus, Lugd. 1529. aliae. Non ferendum enim, quod Badio in mentem venit, ita iungendum esse, repetamus *rursus et iterum*: quem pleonasmum ut tueretur, multa inepte cumulat Arnoldus. Neque apta sunt exempla apud Putschium: et quid constructioni fiet? Sententia hunc in modum procedit: Rursus, Battare, et repetamus hoc carmen iterum. Qua in exhortatione *rursus* eo spectat, ut denuo canat Battarus; et *iterum repetamus hoc carmen*, quia, ex verissima Wernsdorfii observatione, qui sequuntur versus quatuor, nihil sunt nisi versuum 10. 11. 12. 13. repetitio. Cf. de Battaro disputata p. 20. 21. Nempe aliquid sane interest inter hos locos. Sic *prata* commemorat v. 16. quorum in loco priore mentio nulla; et versus 18. sententia differt aliquantum, ut paullo ante monebam, a versu 13. At haec communis utrique loco generalis sententia, quod sterilitatem imprecatur rebus suis omnibus. *Rursus* illustro collato versu 75.

*Tristius hoc* rursum *dicat mea fistula carmen.*

ubi non licebat Catoni *iterum* scribere, quum multum differat inter paludes repente exsistentes, et agrorum inundationem incursu torrentium factam. At licebat *rursum*, denuo, h. e. de novo, (von vorn), *πάλιν* i. e. *ἐξ ὑποστροφῆς*, ut utar veteris interpretis graeci explicatione, qua Theocriteum *πάλιν* explicat in versu intercalari I. 84. *Τὸ πάλιν ἐξ ὑποστροφῆς ἀρχὴν ποιούμενός φησι.* Ergo quum *πάλιν* apud Theocritum, et *rursus* vel *rursum* apud Catonem, nihil sit nisi novae strophae indicium, strophae autem tam Theocriti illo carmine, quam Catonis pleraeque, etsi in uno argumento versantur, valde inter se differant singulae sententiis, nostro loco Cato, ubi etiam sententias strophae praecedenti similes, vel potius geminas atque easdem, prolaturus est, *iterum* adiecit. Video nunc *πάλιν* apud Theocritum dubiae esse explicationis. Licet enim sic: *πάλιν ἄρχετε*, *rursus incipite.* Licet sic, ut *πάλιν* acclamatio sit obiter inserta. Quod praefero, fitque eo modo Theocriteum *πάλιν* magis simile Catoniano *rursus*. Ut sic scribendum sit apud Theocritum locis illis, quos supra indicavi:

*ἄρχετε βωκολικᾶς, Μῶσαι, πάλιν, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.*

Prorsus ut *ἴτε* positum est in versu, qui mox sequitur:

*λήγετε βωκολικᾶς, Μῶσαι, ἴτε, λήγετ' ἀοιδᾶς.*

V. 15. EFFETAS CERERIS SULCI CONDATIS AVENAS. *effoetas avenas*, quae defrugant segetem, ut in Moreto *adesum sal*, quod ipse

scilicet efficiat, non patiatur. id est, quod efficiat adesa corpora, quibus inspersum est. SCAL. *sulci condatis* ut in Romana II. cod. Basil. Vratisl. II. Voss. II. Venetis Rub. et Iens. Mut. Vicent. et quae hanc sequuntur, fere omnibus, etiam Ascensianis, Aldinis, et recentioribus. et sic in Voss. I. si f. s. Contra *sulcis* in libris scriptis antiquis, Petav. Thuan. Leid. Paris. II. III. IV. Angl. August. Monac. I. II. Vratisl. I. et in Ven. Achat. Argent. 1502. Deinde *condamus* Voss. I. diserte testante Vossio, Leid. Paris. IV. Angl. et *fundamus* Medic. Quos ego libros cunctos sperno, ac posthabeo scripturae vulgatae. *sulcis*, et postea *condamus*, scripsere, quibus obscurum erat, quum usitatam Catoni apostrophen non perciperent, *sulci*. Et *condamus* ut scriberent, potest etiam errore factum esse oscitantis, et in proximum *repetamus* respicientis librarii. Respondet versus versui 10. et similem, si recte intelligatur, sententiam habet. Optat ut pro bonis fecundisque seminibus sulci recipiant mala, et quae effetas avenas praebeant. Id eleganti brevitate dicit: *effetas sulci condatis avenas*. Nam proprie erat: condatis, et habeatis vobiscum, semina, ex quibus fiant effetae avenae. *condatis* Gl. V. I. non satis accurate interpretatur *accipiatis*. Hoc vult poeta, ut semina, etiam bona ac speciosa, in hoc solo mala se praebeant, fallantque exspectationem. Aptus ad rem, Badio laudatus, Virgilius Ecl. V. 36. 7.

Grandia *saepe quibus mandavimus* hordea sulcis,
*Infelix lolium, et* steriles *nascuntur* avenae.

Badius *dominantur* exhibet: cf. Georg. 1. 154. et Intpp. utroque loco. Add. Calpurnius IV. 115. 6. *nec praefocata malignum Messis habet lolium*, *nec* inertibus *albet* avenis. Et Georg. I. 226. *Exspectata seges* vanis *elusit avenis*, quod cum aliis libris Veneta Achat. 1472. Mediol. 1474. ap. Maittairium, et apud me Veneta Rubei et Mutinensis habent, certe non deterius est scriptura altera, *aristis*. et fortasse *avenis* elegantius, quum *aristis* praecesserit v. 220. *Cereris* plerique omnes coniunxisse cum v. *sulci* videntur. Ut Gl. V. I. *Cereris sulci*: *in quibus est ceres seminata*. Vel ut Badius: *O sulci cereris. i. facti ad cererem hoc est frugem ferendam.* Praestat, ut iungas *Cereris effetas*. Ut Virgilius Aen. VII. 440.

— *victa situ* verique effeta *senectus*:

et 452. veri effeta *senectus*. Sensit, nisi fallor, Domitius Calderinus, qui sic: *Sulci. vos sulci agri abscondatis. Effoetas. vacuas. Cereris. frumenti.* Et eumdem in modum Tollius ap. Burm. *effetas Cereris avenas* explicat steriles, frumento carituras.

*Effetas* scripsi cum Mon. I. II. Vrat. I. II. Bas. Rom. II. Ven. Achat. Scaligg. Pith. *Effetis* Thuan. Lasseno testante. *Effectas* Pe-

tav. August. Paris. III. Angl. de quo vitio Cortius in Sallust. Cat. LIII, 5. Var. lect. in Virg. Aen. V. 396. Wakefield. in Lucret. II. 1149. *Effoetas* olim fere omnes, Aldinae quoque; et casu magis quam industria factum puto, quod *Effetas* est in Rom. II. Ven. Ach. *havenas* Ven. Achat. *prodatis* vel *nunc detis* coni. Heinsius.

V. 16. PALLIDA FLAVESCANT AESTU SITIENTIA PRATA. Nota ubertatem vel abundantiam dictionis. Idem est *pallida* et *flavescant*. *Pallida flavescant* usitata in omni poesi figura. Nempe *pallor* tum cadit in prata, quum languent atque arent. Quodsi reperiuntur loci, quibus *pallere* dicuntur, quae viridia sunt, color intelligendus est non laetus ille, qualis esse pratorum solet, sed obscurior et languidus: ut Culicis versu 142. *Pinguntque aureolos* viridi pallore *corymbos*, de foliis hederae, quae *pallent*, quum conferuntur cum *aureolis* corymbis. Rursus *aurum* ipsum, quod omnium minime exspectaveris, *pallet*, sed collatum cum sano atque candido faciei humanae colore: Catull. Epith. P. et Th. 100. LXXXI. 4. At in Culice tamen v. 46. tuear auctoritate codicum vulgatum:

Lurida *qua patulos velabant gramina colles.*

Sic versum etiam Augustanus scriptum habet, et Vossianus membr. 81. nisi quod in hoc *gramina flores*. *Luridas* Petavianus, idemque cum Thuaneo *velabunt*, testante Vossio in marg. edit. Scalig. 1573. Fortasse quam accuratissime loqui hic poeta voluit. Sane in *monte excelso*, et in *summis iugis*, quorum proxime praecedit mentio, non solent admodum laete virescere gramina.

His Catonis et sequentibus similia, quae Claudianus R. P. III. 238. ubi, Cerere narrante, Plutonis adventu

*luror permanat in herbas.*
*Deficiunt rivi. squalent rubigine prata,*
*Et nihil afflatum vivit. pallere ligustra*, etc.

Contraria his, et strophae Catonis praecedenti, poeta, quisquis est, elegantissimus, apud Ciceronem Tusc. I. xxviii. de Orat. III. xxxviii. Non. Marc. p. 122, 17.

*Caelum nitescere, arbores frondescere,*
*Vites laetificae pampinis pubescere,*
*Rami bacarum ubertate incurviscere,*
*Segetes largiri fruges, florere omnia,*
*Fontes scatere, herbis prata convestirier.*

Parum placet totum delitescens in thesi *scatere*. Fortasse scripserat:

*Fontes scatere, prata convestirier*
*Herbis.*

Apud Catonem *aestas* Mon. I. *estas* Vrat. I. *estus* Mon. II. in quo etiam *Pallula* vitiose. *siciencia* idem, *sicientia* Rom. II. cum Vrat. I. II. *sitiencia* August. *planta* pro *prata* Paris. IV. *Squallido inarescant aestu* coniiciebat Heinsius. vel *flaccescant.*

*pendencia* Thuan. August. Rom. II. *Inmatura* ex uno Vrat. I. diserte annotatum habeo. Caeteri, quantum quidem constat, *Imm.* ut August.

V. 18. DESINT ET SILVIS FRONDES, ET FONTIBUS H. *Desinit* Paris. IV. *i* in *silva* hic et sup. 8. 13. et alibi constanter obtinet in Augustano, et editis iis, qui antiquissimi, Romanis, tribus Venetis, Mut. Vic. Post has hellenismum affectare, et *y* scribere coeperunt: et sic in Ascensianis, Virg. Aldi, Aldinis, et in nonnullis ante has, ut in Brix. 1485. *montibus* coniectura Wakefieldii, de qua dictum ad v. 13.

V. 19. NEC DESIT NOSTRIS DEVOTUM CARMEN AVENIS. Versus intercalaris. Quod perceperat Gloss. V. I. qui adscripsit in margine: *semper repetamus hoc carmen.* Recte: poterat poeta etiam hoc modo. Quamquam iucundum hoc apud nostrum est, quod variat versum intercalarem. Et huic quidem versui intercalari id proprium est, quod coniunctam cum versu praeced. sententiam habet. Hoc quoque non male declarat Gl. V. I. *Etiam si rebus aliis natura sua defuerit: tamen mihi dire nunquam deerunt in hostem meum.* male *deerunt*: omnia optantis sunt, ac voventis; neque *hostem* devovet, sed agrum, ne prosit hosti. Arnoldus alibi Catonem, v. 7. et 97. *avenam* dicere numero singulari observat: itaque hic esse enallagen numeri, *avenis.* Non puto. Explicui rem supra, ubi de Battaro, p. 21. In duobus Monacensib. non *carmen,* sed *gramen* et in Vratisl. I. *germen* est, mirum commentum. Ven. Achat. *hruenis.* Vic. *havenis.*

Laudat versum C. Barthius Adversar. XLVI. x. ubi de verbo *devovere, devotare* nonnulla; quod ad locum nostrum faciat, nihil. Nam *devoveri* aliquem, usitatum est, dixitque Cato infra v. 34. *nostris potius* devota *libellis*, et v. 82. *O male* devoti — *agelli. devotum carmen* nemo fortasse dixit praeter Catonem. Sensum bene reddit Badius: *devotivum et imprecativum seu execratorium.* Elegantius Gloss. V. I. *execrabile.* Si quidem hic *execrabile* recte, atque eo sensu acceperit, quo *exsecrabile* scripsit Livius XXXI. xvii, 9. *praeeuntibus exsecrabile carmen sacerdotibus.* Plane idem, *carmen devotum* apud Catonem, *carmen exsecrabile* apud Livium. Nempe *exsecrabile* in hac loquutione, et quum *odium* dicitur *exsecrabile,* neque dignum exsecratione, detestandum, significat, neque activa accipiendum est significatione, sed est,

ut melius alii, cum exsecratione coniunctum, in quo est aliquid exsecrationis. Possis etiam sic: carmen exsecrationum. Iam eumdem in sensum et *devotum carmen* dictum est, et alia dicta sunt ex genere participiorum. Veluti sic accipio, quod Cicero scribit Philipp. I. ii, 5. *illius exsecratae columnae*, non ut sit columna, quam multi exsecrantur, sed simpliciter, in qua haeret aliquid exsecrationis: die Säule des Fluchs. Relaturus huc eram ista, *Scelerata porta*, *Sceleratus campus*, *Sceleratus vicus*: sed dum accurate circumspicio, retineri posse in his vim participii propriam intelligo, ut sit, scelere, vel sceleribus, contaminatus, et obrutus. Omnino cavendum hac in re, ne quis diversa misceat. Sic ad latam illam et generalem significationem, quam nos nunc volumus, accedunt tunica *palmata*, braccae *virgatae*: quid enim tunica *palmata*, braccae *virgatae* aliud, quam tunica, braccae, in quibus sunt palmae, virgae? ut nos, ein gestreiftes, ein gewürfeltes Kleid. At *undulata* quo sensu vestis dicatur Varroni, et *impluviata* alia Plauto Epid. II. ii, 40. mihi quidem incertum est; an conformata in speciem *impluvii*? Ita crediderim: ut est iugatio vitium *compluviata* apud Varronem et Plinium. et *indusiata* vestis Epid. II. ii, 47. haud dubie est, conformata in speciem indusii. ut *picati* appellabantur, Festo testante, *quorum pedes formati sunt in speciem sphingum.* Non magis huc pertinet Plautinum illud, sed iam ante Plautum, ut puto, usitatum, *nupta verba*: quae non sunt verba *nuptialia*, sed velut *devirginata*, ut bene Acidalius in Cas. p. 136. Igitur haec translatio est a puella ad verba eius: quem in modum etiam *verba* dicuntur *praetextata*. Eumdemne in sensum interpreteris, an alio modo, Plauti locum Trucul. II. ii, 24. *centum* coenatas *noctes*, dubitare possis: poterit hoc modo, noctes cum coena coniunctas, quae continent coenam, ut par locus sit Catonis loco; poterit ita, ut haec quoque translatio sit, coenatas noctes, quas quis coenatus peragit. Quod praefero. *Solatos* Plinius dicit, qui laborant eo morbo, sed *solatus* etiam morbus dicebatur ipse, si fides Festo. Prorsus simile *devoto carmini* foret vulgatum in Trinummo I. ii, 149. *maledictas famas*: quod, licet insolenter dictum, ferrem, nisi ibi tam facilis praesto esset emendatio *maledicas*. Sed certa, nulloque modo ambigua, participiorum suam naturam exuentium, et potestatem latiorem illam assumentium, exempla haec sunt, quae alio consilio Muretus et Scaliger in Catull. Epith. P. et Th. 83. Bern. Martinus Var. Lect. III. ix. afferunt, *insepultam sepulturam* Cic. Philipp. I. ii, 5. *innuptis nuptiis* poetae ap. Cic. de Orat. III. lviii. Scilicet, quod egregie perceperat Scaliger, Romani, quum sentirent, quam felix in his, *γάμος ἄγαμος*, eiusque generis innumeris aliis, acumen inesset, aemulati sunt Graecos, successu impari. Nam nonnulla quidem suppeditabat sermo la-

tinus, graecis exemplis prorsus aequalia, ut *artem inertem* Ennio, vel potius Varroni, ap. Nonium p. 182. extr. *mentes dementes* Ennio ap. Cic. Cat. mai. VI. *iniustaque iusta peregit* Ovidio Metam. II. 627. ubi Heinsio laudatur *iniustum ius* ex Ovidio, aliis, et, quae vera scriptura non videtur esse, sed posset tamen vera esse, *secura cura*, Ovid. Metam. XIV. 490. Sic *innumero numero* apud Lucretium II. 1053. III. 780. pro quo alibi idem *numero innumerali* II. 1085. et *innumerabilem numerum* VI. 484. dixit. Et alio sensu, si non Plautus, tamen poeta bonus ac valde antiquus, in epitaphio Plauti apud Gellium I. XXIV. *Et* numeri innumeri *simul omnes collacrumarunt*. ῥυθμοὶ ἄῤῥυθμοι. felicissime. Ad eam normam, quod Graeci dicunt, *χάρις ἄχαρις*, latine *gratia ingrata*; *πόλεμος ἀπόλεμος*, latine *bellum imbelle*; quod graece dicas, *ψυχὴ ἄψυχος*, vel *θυμὸς ἄθυμος*, latine *anima inanima*, vel *animus inanimus*, *exanimus*, si non dictum est, dici tamen potuit; et quem Graeci *βίον ἀβίωτον*, Attius, si Martino l. l. credas, ausus est reddere *vitam invitam*, magno conamine, cui aliquid excusationis speciemque veri a simili Plauti Cas. III. VI, 21. lusu in verbo *invitare* pares, si de eo lusu certa res sit. Sed aliud in verbis Attii libri iubent Nonii p. 362, 6. Plerumque Romani, quum deficere sermonem suum, minusque flexibilem se praebere animadvertebant, alio quodam modo accedere ad istam Graecorum elegantiam voluerunt. Itaque aut alia figura, quam etiam ipsam Graeci norunt, cognata, sed fortiore, utuntur: quod ibi Catullus facit, *funera*, *nec funera*. Aut adiectiva in *lis* posuerunt cum negatione, ut *vitam non vitalem* ex Ennio Martinus laudat: etsi ex Ciceronis loco in Laelio cap. VI. non apparet, an addita apud Ennium negatio fuerit. Qua in re observandum est, multis adiectivis in *lis* liberiorem olim significationem fuisse, ab ea, quae vulgo his nominibus statuitur, deflectentem: quale est, quod paullo ante attigimus, *exsecrabile*; *incogitabilem* Plaut. Mil. II. VI, 63. *salvom, aut vitalem* Bacch. IV. IX, 75. *exanimalem* ibid. IV. VIII, 7. quamquam hoc comoediam sapit. cf. Rud. I. IV, 2. *voluptabilem nuncium* Epid. I. I, 19. *impetrabilem diem* ib. III. II, 6. *exitiabilem diem* ib. IV. II, 36. Aut denique eam in rem adsciverunt derivata a participio temporis praeteriti adiectiva: qualia sunt *insepulta* sepultura, *innuptae* nuptiae, quae penuria hunc in usum adhibuit, sed tamen satis feliciter, modo teneas, haec quoque liberiore esse significatione accipienda, et ita, ut ne in potestate temporis praeteriti propria eruenda elabores. Eiusdem generis sunt: *animo incogitato* Plaut. Bacch. IV. III, 1. *mente exsensa* Laevii ap. Gellium XIX. VII. ap. Nonium p. 361, 17.

Operae pretium est, quae sint *devota periuria* Catull. Epith. P. et Th. 135. quaerere, de quo non satis faciunt A. Parthenii, Guarini, Mu-

reti explicationes. Mihi ibi *devota* idem esse videtur quod rata, et perfecta. Scilicet *devovere* Catullo, aliis, proprie erat reddere et solvere illud, quod aliquis voverat: ut in Coma Berenices *Devotae flavi verticis exuviae.* Igitur Theseus cum rato et impleto periurio domum abierat. *devotum, devota, devota*, cumulat, sed usitata significatione, Virgilius in Culice v. 363. 367. 369. Plauti epitaphium apud Gellium I. xxiv. Anthol. Lat. lib. II. ccxiv. ita scribam, nisi quis ex libris iusserit aliud:

*Postquam est morte datus Plautus, Comoedia luget:*
*Scenae desertae: dein Risus, Ludus, Iocusque,*
*Et numeri innumeri simul omnes collacrumarunt.*

*morte*, h. e. morti, *datus*, imitatione usitatae in funeribus indictivis, ut testis est Varro, formulae, *ollus leto datus est*: cf. Scalig. in Varron. p. 123. HSt. Cicero de Legib. II. ix. *sos* (e correct. Goerenzii) *leto datos.* Deinde vulgo *Scena est deserta.* et pro *dein* alii *hinc* scribunt, et nonnulli *ludus, risusque, iocusque. Risus, Ludus, Iocusque*, et *numeri, innumeri* facti morte Plauti, qui tam bonos numeros fecerat, simul omnes collacrumarunt in morte Plauti. Ergo aliud huius poetae de numeris Plautinis iudicium fuit, quam Horatii. Similis sententia sententiae est Naevii, qui se mortuo Romanos oblitos esse Latine loqui gloriatur. Si *hinc*, possis ellipsin statuere, satis eleganter: *hinc Risus, Ludus, Iocusque.* scil. abiere. Ut in Milite Plauti II. v, 1. *Inde ignem in aram*, scil. afferte.

V. 20. 1. 2. 3. HAEC VENERIS VARIO FLORENTIA SERTA etc.

In his unum a nobis e coniectura repositum est, *quae pingunt verna c.* Vulgo *quae pingit avena c.* De quo postea. Maiori nobis laudi ducimus restitutum, sublata interpunctione maiore, quae post vocem *colore* erat, sententiarum nexum. Quem nexum quum nemo perspectum haberet, neque aliorum conamina emendandi eventum habere potuerunt, neque ipse Heinsius, qui primus editum a nobis *pingunt verna* coniecit, quanti esset haec emendatio, sensisse, aut totum locum intellexisse videtur. At persenserat tamen, falso interpungi post *colore*, nexumque loci perspexerat, Badius, cuius haec est interpretatio: *Haec serta Veneris. i. tam pulchra et odorifera ut Veneris dicas: florentia vario colore: aurae dulces. i. suaves: hinc id est procedentes ab his sertis: et spiritus agri id est flatus et odor diffusus per agrum: hinc id est ex his sertis: mutent id est per immutationem producant: aestus pestiferos et venena tetra id est diras infectiones et pestilentias.* Perbene assequutus est sensum Catonis, qui singulari brevitate *hinc aurae d. hinc suavis spiritus a.* scripsit, i. e. quae hinc prodeunt aurae, qui

hinc prodit spiritus. Laudo etiam Badium, quod priora sic iunxerit, *Haec Veneris serta,* non sic, *vario Veneris decore,* et quod *serta Veneris* non proprie dici viderit. *Serta Veneris* Cato flores tam pulchros dicit, et tam odoriferos, ut serta ex iis necti Veneri possint: vel, quod simplicius, qualibus Venus coronatur, coronari solet. Sic singuli flores, et singulae herbae plantaeque, coronae sive serta, *ϛέφη*, appellantur eorum deorum mortaliumve, qui illis coronabantur. myrtus, Iunonis Imbrasiae: Nicand. Alexiph. 540. (618.) *σαύρα,* Plutonis: Nicand. ap. Athen. XV. 684. E. violae, Ionis: id. ibid. 683. A. vitex, Carum: Nicaenet. Epigr. III. 5. narcissus, Cereris Proserpinaeque *ϛέφος*, sive *ϛεφάνωμα*: Soph. Oed. Col. 684. daphnoides, *ϛέφανος* Alexandri s. Paridis: Plin. H. N. XV. xxx. Sed Nicandri locum ex Alexipharmacis apponendum esse video, ut recte intelligatur. Nam male et olim acceperunt Natalis Comes in capite de Venere, Spanhemius ad Callim. h. Dian. 201. et postremo Schneiderus. Ita ibi legendum, praeeunte interprete graeco:

*Πρὸς δ' ἔτι τοι Δίκτυννα τέης ἐχθήρατο χλῶνας,*
*Ἥρης τ' Ἰμβρασίης μούνη ϛέφος οὐχ ὑπέδεκτο.*

*τέης*, non *τεῆς*: est enim pro *ἧς*, singularis atque insolens forma, conferenda cum *ἕης* Hom. Iliad. XVI. 208. cf. Alexiph. 2. ibique schol. Ad dictionem Catonis aliquatenus accedit poeta, inferioris ille ordinis, et aetatis, Anth. Lat. V. lv. *Vere Venus gaudet florentibus aurea sertis.* Versum 21. omisit interpretatione sua Badius: puto, quod non intelligeret. Et sane *avena* ista supra omnem intellectum est, nisi nescio quod novum nobisque ignotum *avenae* genus in mente habuerit poeta. Ut enim concedas, suave, praesertim domino ruris amanti, spirare tum alias fruges, tum hanc, quam nos *avenam* dicimus, frugum mentio per se ipsa aliena ab hoc loco est, postquam bis poeta omni omnino segeti interitum atque internecionem indixit. Ut taceam, *purpurei* in avena aut nihil esse, aut, si quid sit, ut invenire sibi visus est Arnoldus, non tantum, ut coloret campos. Praeterea paullo durior foret verborum constructio, et *avena* vocabulum loco iniquiore positum: Haec Veneris serta, et quae campos colore purpureo pingit, avena. Recepta emendatione illa, de floribus locum, ut decet, nulla frugum mentione immixta, habemus. Intelligit autem Cato rosas, et rosas quidem quam maxime, sed etiam alios colore purpureo flores. Ut indicat ipse: *Haec Veneris vario florentia serta decore.* Moneo hoc contra Burmannum patruum, qui ad Valer. Fl. VI. 492. p. 548. de hoc loco agens, quem sic legit: *Nec Veneris vario florentia s. decore Purpureo campos* distinguant verna *colore*: serta Veneris verna dicit *rosas* esse. Male quod excludit alios flores. Levis res est, sed de qua tamen aliquid dicam, ut magis perspicuus locus Catonis aliorum compa-

ratione scriptorum fiat. Pertinet autem haec disputatio etiam ad locum inferiorem, Ecl. 67. *Purpureos flores.* Igitur quae aliquis sustinendae Burmanni sententiae argumenta suppeditet, *vernas* aptissime dici rosas, tum in easdem quam maxime cadere colorem *purpureum*, denique *serta Veneris* propterea scriptum esse, quod sacra Veneri rosa sit: ea omnia, etsi singula aliquid veri habent, illud, quod Burmannus volebat, non probant. Nam primo, quum verissimum sit, *verno* tempori rosam assignari saepissime, eodem iure alii flores, et flores in universum omnes, per naturam rei, eidem tempori assignari potuerunt, et assignantur re vera, ut a Lucretio nobilissimo exordio libri primi, et lib. V. 736. sqq. Virgilius Culice v. 69. 70. *Florida quum tellus gemmantis picta per herbas Vere notat dulci distincta coloribus arva.* Cf. ib. 409. Catull. Epith. P. et Th. *Aurave distinctos educit verna colores.* Sed haec pauca de multis. Deinde color *purpureus*, etsi nulli flori saepius atque usitatius quam rosae, tribuitur, etiam ad alios flores refertur. Virgilius Georg. IV. 306. *Ante novis* rubeant *quam prata coloribus.* Cf. II. 319. Unde profecit Claudianus XXIX. 7. et R. P. II. 90. Pervig. Ven. 13. *Ipsa gemmans* (al. *gemmeis*) purpurantem *pingit annum floribus.* Et qui ibi viris doctis laudatur, Appuleius VI. p. 183. *Horae rosis et ceteris floribus* purpurabant *omnia.* lib. X. p. 253. *quod ver in ipso ortu iam gemmulis floridis cuncta* depingeret, *et iam* purpureo nitore *prata vestiret.* Ex antiquis ita Pindarus Pyth. IV. 114. ὥςε φοινικανθέμου ἦρος ἀκμᾷ. Incertum est his locis omnibus, utrum poetae *purpureos*, vel *rubentes* flores commemorare, quam alios, maluerint propter praestantiam coloris huius; an, quae aliorum, ut Gesneri ad Claudianum, sententia, purpureus color, sive rubor, splendorem indicet significatione latiore. Denique de eo, quando *rosa* sacra esse *Veneri* coeperit, lepidum scribendi argumentum foret. Mihi, quantum praesto habeo testimoniorum, doctrina illa, quae sane multum elegantiae habet, neque tam communis fuisse omnibus, quam fuit altera de sacra Veneri myrto, neque antiquissima, sed magis poetarum, eorumque recentiorum maximam partem, fabellis celebrata atque exornata, quam ex antiqua nata superstitione videtur. Videat aliquis, quorum auctorum locos hanc in rem A. Politianus Miscell. cap. xi. Gyraldus Hist. Deor. c. 388. Arnoldus in Caton. 116. (Ecl. 13.) proferunt. Recentiorum sunt omnes. Ut eius, qui Rosas fecit, quod tamen carmen Politianus, Gyraldus, et ante hos alii, dignum esse Virgilio censebant. Suppar aetate Philostratus Ἀφροδίτης κτήματα appellat rosas, Epist. xxxii. Cf. Epist. xxvii. et xxix. A quibus non ita magno intervallo temporis, ut ego sentio, distat Anacreon, qui rosam carm. liii. Ἀφροδίσιον ἄθυρμα appellat, eamdemque, quod non multum differt, vindicat Amoribus carm. v.

Quocum conferre licet Philostratum Epist. xxxiv. Addo Nonn. II. 88. 90. XII. 111. XXXII. 27. Remotioris antiquitatis speciem habet, quod narrat laudatus Natali Comiti in cap. de Venere, Pausanias VI. p. 514. extr. Sed sollertis poetarum industriae inprimis illae narrationes vestigia produnt, quibus origo rosarum, vel quo casu rubrae factae sint, narratur, ratioque, cur sint Veneri sacrae ac propriae, redditur. De quibus fabulis praeter Politianum conferantur Interpretes ad Pervig. Ven. 23. et rursus Philostratus Epist. xxxvii. Tzetzes in Lycophr. 831. cum Favorino v. *Ἄδωνις*. Prorsus diversa ratione atque imagine Sappho rosas ad Musas artemque refert. Verum ut pervetusta sit doctrina illa, nihil in ea fuit sancti, et quod omnes sequi poetae debuerint. Certum est enim, etiam alios flores, immo totum genus florum consecratum quodammodo Veneri esse. Venerem salutant, quum prodit verno tempore rerum omnium genitrix, prodeuntes flores, ut est in praeclara descriptione apud Lucretium: non hic, vel ille, sed genus florum. Eadem coronatur floribus, non hoc, vel illo, sed variis: ut est apud poetam antiquum, Athen. XV. 682. F. Ipse noster Ecl. v. 13.

*varios, Veneris stipendia, flores.*

Haec fortasse longius, quam opus erat, disputavi, ut demonstrarem, nihil inesse in verbis Catonis, quod ad rosas ita spectet, ut alii flores excludendi sint. *Pingere, gemmare,* verba hac in re cupide usurpata recentioribus, nec tamen ignota veteribus: Burmann. in Anth. Lat. T. I. p. 490. T. II. p. 344. *pingere* praeter Catonem Lucretius bis, II. 375. V. 1395. Virgilius Culice v. 69. 142. Neque alienus Varro ap. Nonium p. 451, 10. ap. Scalig. in Varron. p. 72. HSt. pictus *aër fervidis late ignibus.* *herbas gemmantes* bis Lucretius dixit, et ex Lucretio Virgilius Culice loco paullo ante laudato v. 69. 70. Qui locus ita scribendus:

*Florida quum tellus gemmantis picta per herbas*
*Vere notat* dubiis *distincta coloribus arva.*

ubi *gemmantis* August. Bas. Venetae Achat. et Rub. Mut. Vic. Voss. II. et sic haud dubie in Thuaneo. *gemmatis* quod idem est, in Petaviano, testantibus Burmanno Anth. Lat. T. II. p. 344. et apud me Vossio. *gemmantes* Voss. 81. et *nunc* pro *quum*. Deinde in eodem Voss. 81. ita scriptum: *Vere novo dubiis distinora coloribus a.* *dubiis* et dignissimum Virgilio iuvene, et a scriptura librorum reliquorum vix quicquam differt. Nam *dulcis* est, non *dulci*, in Petav. Thuan. August. Bas. et caeteris, quos paullo ante dixi. *dulci* nihil nisi coniecturam puto Bembi esse. *novo* erratum, pro *notat,* Venetae Achat. commune cum Voss. 81.

Versu 23. quum ad manum esset satis bene accommodata sententiae,

et a scriptura vulgata non multum discrepans emendatio, *Mittant*, retinui tamen, propter ipsam insolentiam suam, vulgatum *Mutent.* Id Badius interpretatur *per immutationem producant.* Gloss. V. I. *convertantur in auram pestiferam.* Bene ad sententiam loci; si verbi *mutare* vim potestatemque spectes, non bene. Verum est: per immutationem assumant, recipiant. At tamen multum mea interpretatio ab interpretatione differt Silligii, qui locum ita vult concipi: *Hinc aurae dulces, hinc suavis spiritus! Agri Mutent pestiferos aestus et tetra venena!* ut ellipsis sit ablativi: agri dulcibus auris et suavi spiritu mutent aestus pestiferos. De qua ellipsi laudat disputationem Bentleii in Horat. Carm. II. xvi, 18. Ut ego locum distinxi, diversus est ab illis, quibus Bentleius utitur, et quos alios eiusdem generis proferas, omnibus. Nam illis locis ubique de eo sermo est, qui unam rem mutat altera: quo in genere licebit supprimere ablativum eius rei, quam quis relinquit, ut amplectatur alteram; licebit autem non ubique, sed ubi in sententia plana ac perspicua nulla ab ellipsi illa obscuritas timenda est. Apud Catonem de re sermo est, quae se mutat ipsam. Legat aliquis versus Catonis, ut sunt a me constituti: Haec serta Veneris, et quae nascuntur ex floribus aurae dulces, et qui nascitur ex floribus suavis spiritus agri, mutent pestiferos aestus. Nulla hic ellipsis ablativi, quum ablativus, qui suppleatur, nullus cogitari possit. Foret ablativo locus, si aliter concepisset poeta, ut poterat, sententiam, ita: Haec serta V. mutent auris dulcibus et suavi spiritu aestus pestiferos et t. v. Ut nunc scripsit, nullus ablativo locus est. Ambiguitas in his nulla est: quicumque enim haec ita scripta a Catone legerit, illam, quam diximus, verbi *mutent* significationem inveniet, non aliam. Quo ego facilius in poeta audaciore, vel si quis ita malit, duriore, insolentiam fero. Nam insolenter dictum fateor. Nihil dum repperi, quod comparari cum Catone queat, si forte exempla graeca nonnulla exceperis. Ut Euripidis Bacch. 1325. H. ἐκθηριωθεῖσ', ὄφεος ἀλλάξει τύπον. Aristophanis Avib. 117. ὀρνίθων μεταλλάξει φύσιν. Etsi haec erunt qui ad genus alterum, quod diversum esse docui, referre, et per ellipsin explicare volent, hunc in modum: serpentis faciem mutabit facie humana. Simile quid Catoni sonat μεταβαλεῖν, eo modo dictum, de quo Heindorfius in Platonis Phaedrum p. 232. nunc p. 250. Lucretiana, VI. 1132. *coeli mutemus amictum*, IV. 460. *coelum*, *mare*, *flumina*, *monteis*, *mutare*, ne quis erret, quo dici *mutare sedem, solum*, *larem*, animadvertit Bentleius l. l. prorsus ut nos: das Kleid wechseln, den Herrn ändern. *pestiferos aestus* illustrat Lucret. VI. 1136. *mortifer aestus.* Cf. Claudian. R. P. III. 237. ex emend. Heins. Deinde *aestus* et *venenum*, ut sunt eiusdem notionis vocabula, non solum hic coniunguntur a Catone, sed etiam frequentantur a Lucretio in

descriptione Averni, VI. 818. sqq. *tetra* autem, epitheton *veneni* proprium ac sollemne: Broukhus. in Prop. II. XIII, 70. (XVII, 14.) qui laudat Lucretium, nostrum, Propertium, Tibullum.

Restat ut de libris referam, et coniecturis. Vers. 20. *Hinc* Voss. I. *Hae* (sic *Haeueneris*) August. *Haec* caeteri, vel, quod idem est, *Hec,* ut in Vratisl. I. II. Rom. II. Ven. Achat. Voss. II. Quod *Nec* est in Mutinensi, et in Ven. Achat. si maior Putschio, quam mihi, fides, non pro antiqua varietate habendum, sed casu illatum atque errore est, solita permutatione litterarum H. et N. Sic eadem Mutinensis Georg. III. 503. *Nec ante* pro *Haec ante*, et Aen. XI. 279. *Hec* pro *Nec.* Cf. inf. ad v. 30. et Ecl. 2. (105.) 49. (152.) Et hoc quidem loco id quoque opportunitatem facere errandi potuit, quod praecedit *Nec* versu 19. *florencia* Thuan. ap. Lassen. et August. *florentem* Monac. I. II. Vrat. I. *decorae* Paris. IV. *dedecore* Rom. II. V. 21. *pingit avena* vulgo, et *Purpureos* in omni libro ante Aldinas edito, et in cod. Bas. Vratisl. II. Voss. II. *Purpureos campos q. pingit avena c.* Ac defendi posse *Purpureos,* monstro Diss. III. Praetuli tamen *Purpureo*, ut magis proprie dictum, et suadentibus libris scriptis. Nam *Purpurea* in Petav. Medic. Paris. IV. Angl. August. *Purpureo* in Medic. a manu sec. in Thuaneo, Paris. III. Voss. I. si f. s. Monac. I. II. Vratisl. I. tum in Aldinis, et recentioribus post Aldinas, paucis exceptis, quae antiquum *Purpureos* obtinent, ut Lugd. 1529. *pinxit* Voss. I. *pingint* Vrat. II. *havena* Ven. Ach. In fine autem, post *colore,* ab eo inde tempore, quo cura aliqua haberi interpunctionis coepta, constanter ponunt distinctionem maximam. Sic Rom. II. Venetae tres, Mut. Vic. aliae, etiam Ascensianae, Aldinae, Scaligeranae, al. Ut casu factum esse videatur, si quae aut nullam distinctionem habet, ut Mediol. 1501. et Cronflit. aut colon, ut Ven. 1555. Et colon quidem etiam Gloss. V. I. fecit. V. 22. Augustanus *Hicnc* pro *Hinc*, et tum *hic suauisps a. suaues* Ven. Ach. *agris* Helmst. V. 23. *Mutent* Petav. Thuan. Voss. I. si f. s. ut est fides haud dubie hoc loco, Leid. Helmst. meique tam scripti, duobus exceptis, de quibus statim dicturus sum, quam editi ante Basil. H. P. omnes. Monac. I. ambigue, Thierschio monente, ut et *mutent* legi possit, et *mittent.* sed puto *mutent* esse, ut in Vrat. I. At in Monac. II. aperte *Mittent* legitur. *Mutant* cod. Bas. *Mittant* coniectura non inepta, et quam aliis exemplis, ut Lucretii VI. 818. munire atque commendare liceat, unde venerit in Antverpiensem 1556. ignoro. Ex hac autem *Mittant* venit in Basil. H. P. 1561. Antv. 1566. Scaligeranas, Pith. et recentiores omnes. Mox *terra* vitium est codicum nonnullorum ap. Burmannum, apud me Vrat. I. II. Rom. II. et caeterarum ante Ascensianas, excepta Mutinensi, omnium, etiam Vossiani II.

et *terra* legebat Pomponius Sabinus. *tetra* Thuan. Paris. IV. Angl. Aug. Mon. I. Bas. Mut. Ascensianae, Argent. 1502. Virg. Aldi, Aldinae, reliquae. et sic correctum a Gl. V. I. *cetera venena* Mon. II. *tetra uena* Paris. IV.

Boxhornii coniecturam: *Nec Veneris vario fl. s. decore, Purpureo c. nec pingat avena c.* Arnoldus edidit. Quod autem Arnoldus inter Varias Lect. recenset, *varie*, nihil est nisi erratum editionis Boxhorn. Heinsii unam emendationem, *quae pingunt verna*, recepimus. Ita correxisse Heinsium, testis est Burmannus patruus ad Valerium Flaccum p. 548. Atque ita Eichstadius. Alia Heinsius apud hunc Burmannum ad Catonem: *Haec* (vel etiam *Hinc*) *Veneris v. fl. s. decore* (vel *decorae*) *Purpureo campos ne* (vel *neu*) *pingant verna colore.* Sed etiam sic coniecerat aliquando Heinsius: *Nec Veneris v. fl. s. decore Purpureo c. praepingant verna c.* Cf. si placet, Burm. in Anth. L. T. I. p. 490. b. Caeterum his viris doctis omnibus necessarium *Mittant* visum est. Burmanni patrui in Val. Fl. unam coniecturam supra vidimus. Sed idem ibid. quia in MS. *hinc* pro *haec*, sic posse scribi dicit: *Hinc Veneris v. fl. s. decore P. c. ne pingant verna c.* Quem MS. dicit, haud dubie is est, qui nobis Vossianus I. Putschius partim cum Eichstadio, partim cum Silligio: *Hinc Veneris v. fl. s. decore, Purpureo c. quae pingunt verna colore, Hinc aurae dulces, hinc s. spiritus! Agri Mittant* etc. ut ad *hinc* suppleatur *abeant.* V. 23. Tollius, ut narrat Burmannus, *pestiferos halitus* olim lectum fuisse in libris incorruptis putabat.

V. 24. DULCIA NON OCULIS, NON AURIBUS ULLA FERANTUR. Dulcem rem oculis flores esse, patet; quomodo *auribus* dulces sint, non item. Unde *naribus* coniecerunt Heinsius et Tollius, pro *auribus.* Et sane potuerat etiam narium officium commemorare Cato. Sed non fecit. Scilicet *florum* mentione facta, versu 22. ad *auras* delabitur, quae motu suo circumferunt odorem florum. Ea autem res dulcem auribus gravidatae odore aurae susurrum in mentem vocat. Proprium hac in re vocabulum *susurrus* est. ut in Culice v. 153. 4. *Quae leniter adflans Aura susurrantis poscit confundere venti.* ubi *Quae* ad lucum, et partes luci, quas longa descriptione enumeravit poeta, singulas omnes refero. Absoluta descriptione addit, auram leniter perfundere ista omnia. *quae*, vel *que*, Petav. ap. Is. Voss. August. Voss. 81. Bas. Venetae Achat. et Rub. Mut. Vic. Voss. II. non *quos. poscit* autem, ἀξιοῖ, ex Thuan. et Petav. ap. Is. Voss. et August. Voss. 81. Ut *appetit contingere* Cul. 137. *certat consurgere* Cul. 349.

*Dulcis* Ven. Achat. et in extremo versu mirum quid turbant Petav.

Thuan. Paris. II. August. in quibus *forantur*, Paris. IV. et Angl. in quibus *fedantur*. Unde coniecturae Heinsii, *serantur*, vel *creentur*. Sed nulla in vulgato *ferantur* vitii suspicio. *illa* pro *ulla* Vrat. II.

V. 25. SIC PRECOR: ET NOSTRIS SUPERENT HAEC CARMINA VOTIS. Versus intercalaris, qui recurrit infra, 47. Et hoc quidem loco eo versu concludi atque confirmari praecedentem imprecationem, non fieri ad novam imprecationem transitum, manifestum est. Quae enim sequuntur, *Ludimus, et multum* etc. ut recte monet Putschius, querelae sunt, non imprecatio. Versu demum 34. poeta rursus ad imprecandum assurgit. Explicationes autem sententiae praeter explicationem Wernsdorfii, quam recte reiecit Putschius, video duas esse. Unam, ut diuturnitatem carminibus suis optet eam, quae ipsum, votaque ipsius superet. Quasi dicat: praestent efficaciam haec mea carmina tum quoque, quum mecum mea vota mortua erunt. Nota est verbi *superare* significatio, *manere, reliquum, superstitem esse.* Plautus Trucul. V. 49. *Quid id est — quod dem? dic dum*: *si* superet, *feres.* Virgil. Ecl. IX. 27. superet *modo Mantua nobis.* Georg. III. 63. superat *gregibus dum laeta iuventas.* Lepidus ap. Sallust. Fragm. Hist. lib. I. *Nam quid ultra? quaeve humana* superant, *aut divina impolluta sunt?* Et cum dativo eius rei, cui aliquis superstes: Virgil. Aen. II. 643. *captae* superavimus *urbi.* Cf. quos laudant Arnoldus ad hunc Catonis locum, Cortius in Sallust. Iugurth. LXX, 2. Verum talis sententia, quamvis bona per se, aliena a mente Catonis, qui ruinam agro non aliquando futuram, sed prope imminentem. statim has Diras insequuturam, indicit. Ergo amplectimur interpretationem alteram, quae iam obversabatur Badio, qui ita: *haec carmina superent. i. maiora sint — quam sint vota nostra.* vel, ut idem ad v. 47. *maiora sint nostris votis. i. desideriis aut deuotionibus.* et Gl. V. I. *in maiora quam nos deuoueamus mala.* Optat poeta ut plus praestet hoc carmen suum, quam ipse dicendo vovere possit. Apte Heinsius et Putschius Ovidium laudant in Ibide v. 89. sqq.

*Quaeque precor, fiant*:
*Quasque ego transiero poenas, patiatur et istas*:
*Plenius ingenio sit miser ille meo.*

Addo ex eodem carmine extr.

*Pauca quidem, fateor*: *sed di dent plura rogatis,*
*Multiplicentque suo vota favore mea.*

Commune Ovidio et Catoni est, quod quum mala uterque omnia exhaurire imprecando studuerint, tamen accessionem posse mali fieri statuunt, eamque expetunt. Quo declaratur vehementia odii atque irae. Itaque

hoc voluisse Catonem certissimum est. Dictionem quod attinet, multo clarius Cato, ac magis usitate, loquuturus fuisset, si ita: *superet* hoc carmen *vota nostra*. Nunc sic maluit: *superent* haec carmina *votis nostris*. Quod ego quo modo dici latine potuisse demonstrem, habeo; locos, ubi dictum sit, geminos Catoni non habeo. Scilicet *superare* nihil fuit primitus aliud, quam *superesse*, vel *super esse*; utque varia *superesse*, vel *super esse* significatione dicitur, de quo ante omnia Gellii multa illud doctrina refertum cap. XXII. libri I. legendum est, ita *superare* verbum non una significatione dictum est. Igitur primo huc pertinet illa significatio, de qua paullo ante, *superare*, reliquum esse: quam in rem Gellius Sallustium laudat Iugurth. LXX, 2. Quo sensu Ennius Annal. III. apud eundem Gellium, *superesse*, vel *super esse*; et *superescit* idem Ennius ap. Festum h. v. Deinde *super est* id, quod est nimium, vel esse nimium videtur. quod Gellius non inepte explicat *superfluere, et supervacare, atque esse supra necessarium modum*. Atque sic *superare* usurpant Sallustius, alii: cf. Cort. in Sall. Catil. XX, 11. Iug. LXIV, 1. qui id interpretatur *abundare*. Quam fere in sententiam *superet* volebat Scaliger in Culice v. 146. sed ex sua loci illius conformatione. Et huc revoces locum supra laudatum Virgilii Georg. III. 63. et hunc, Georg. II. 235. *scrobibus* superabit *terra repletis*. Sunt haec inter se prope cognata, reliquum esse, et nimium esse: quod enim reliquum, id saepe alicui videtur nimium. Denique, Gellio et Festo v. *Superescit* testantibus, *superest* illud, quod *supra est*, et *praestat*. Atque hoc illud est, quod Cato *superare* dixit, et quidem cum dativo eius rei, cui aliquid praestat: insolenter quidem, sed ita, ut caussam, cur non potuerit fieri, inveniam nullam. Re vera nihil inter hunc dativum, et illum, quem ferimus atque agnoscimus omnes, *captae superavimus urbi*, interest. Quid enim *superavimus urbi*, si proprie accipiatur, aliud est, quam *superfuimus urbi*, h. e. super urbem fuimus? ut apud Catonem *superent votis*, proprie est *sint super vota*. Contra invaluit usus, ut hac significatione *superare* activum fieret, assumeretque accusativum. Illud neminem fugere haec mea percurrentem potuit, quam sit latino *super* simile apud Graecos περί, apud nos *über*.

*Hic* Thuan. Leid. *superet* Vratisl. I. *nostris superentur carmina votis*, vel *Sit precor, ut n. superentur c. v.* vel *Sint precor, et nostri superent h. c. voti*: coniecturae Heinsii.

V. 26. LUDIMUS, ET M. NOSTRIS CANTATA LIBELLIS.

*Ludimus*] Prodigiosa lectio: quam ita expiandam puto:

*Tu nemus, et multum nostris cantata libellis*
*Optima silvarum* — SCALIG.

In libris nihil varietatis, praeter Paris. II. in quo *Lydim'*. et Paris. IV. in quo *Umus et nostris multum nostris c. l.* Scaligeri coniecturam approbant, vel etiam recepere, Boxhornius, Dilherrus, Arnoldus, Wernsdorfius, Eichstadius. Intellexerat Scaliger, toto loco inde ab hoc versu usque ad v. 41. de *silva* agi. Intempestive Heinsius, quamvis vehementer approbante Burmanno, *Lydiam* intulit: *Lydia, et o multum.* Et sic I. Fr. Gronovius in Boxhornii Epistolis pag. 43. nam errorem esse existimo, quod ibi legitur: *Lydia te o multum.* Heinsius etiam sic: *Lydia ïo multum.* Multo melius Handius ad Gronovii Diatriben Stat. p. 527. *Lusimus*: *et m. n.* etc. eleganti usu praeteriti perfecti, quemadmodum Virgilius: *Vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi.* Et *Lusimus* dudum adscriptum a me ipso habeo. Handius quomodo illud cum sequentibus conciliaverit, ubi *Tondemus* legit, non satis intelligo. *Lusibus et m. nostris c. libellis* coniectura Silligii et Putschii, in qua displicet collocatio verborum. Nempe nihil corruptum est. Observandus tantum usus *et* particulae, quae hic non cognata, sed contraria coniungit, vel potius inter se opponit. Quae mihi magna simplicitas, et in simplicitate gravitas esse videtur. Ludimus, h. e. versus facimus, et tu, o silva spoliaberis, ac peribis. Quasi dicat: Intempestivum est, quod ludo, quum silva illa mea peritura sit. Magnus cernitur in hoc loco animi affectus, magnus amor silvae. Qua nihil Catoni in suo praedio fuisse carius tum ex hoc versu intelligitur, tum ex v. 40. 41. ubi eam inprimis caram et tamquam propriam Lydiae fuisse discimus. Itaque dum silva in mentem venit, illa olim tam saepe celebrata carmine, ut eam necessario coniunctam cum sua poesi putaret, miratur ipse, quod aliquid ludat hoc tempore, quo excidium instat silvae a milite. Praeterea observanda sensuum prorsus ad naturae veritatem efficta mutabilitas, et scita temperatio ac progressio. Agris, silvis, pratis, in universum sterilitatem, pestem, imprecatus erat sine multa vehementia, breviter, ieiune. Silvae huic suae tantopere amatae non statim mala imprecatur: at ubi se totum desiderio eius implevit, et quam male silvam habiturus sit miles, penitus perspexit, tum vehementer commotus, ipse in suam silvam fulmen evocat Iovis, ut digno pereat modo. Heinsium non moror, qui *ludimus* dici de Diris hisce posse negat. Scribit ille ita: *an* ludum *vocat hasce Diras? non credo.* Quid enim? Num semper ludicra, iocosa, laeta, cogitanda sunt, quum quis *ludere* poeta dicitur? Non puto. *Ludunt* poetae, nunc omnes, quatenus occupationibus poesis severioribus opponitur; nunc ii, qui carmina non ita magna, ac tenui argumento, non epica, vel recondito gravique commendabilia argumento, faciunt: Cul. 1. 3. Cir. 19. Quod autem aliquis obiiciat, hoc certe carmen, Diras, non posse *lusum* dici, quum Cato vim in eo inesse in-

cantamentorum voluerit, an Catonem ita fuisse superstitionibus deditum putabimus, ut pro veris incantamentis haberi has Diras, vimque in iis inesse magicam voluerit?

Quaerit Boxhornius, qui sint *libelli*, in quibus de silvis se egisse dicat Cato, et carmen Catonis, *Dianam*, respici putat, eademque est opinio Wernsdorfii. Boxhornius: *cum enim Diana*, inquit, *venationum praeses sit, profecto illam celebravit Cato eo praecipue nomine, quod in sylvis suis atque viretis favente Diana venationi subinde indulgeret.* Ego vero iuraverim. Catonem, si venator fuisset, etiam leporibus capreisque vale dicturum fuisse hoc Dirarum libello: tantus est in hoc poeta suarum rerum omnium amor et grata recordatio. Deinde quum *silvam* dicit hoc loco, non intelligit, quicquid in agro silvarum fuit, sed certum quoddam nemus, inprimis amoenum, fortasse non magno illud circuitu. Prope adest, quod quaerebat Boxhornius. Quum constet Catonem, dum fortunatus erat, secum habuisse in suo agro Lydiam, quid veri similius, quam illis carminibus, quibus Lydiam celebravit, etiam arvorum, pratorum, silvae, quas ipse res aeque ac Lydiam amabat, sed ante omnia silvae, quam in deliciis fuisse Lydiae monuimus, fuisse laudes? Itaque *libelli* sunt carmina in Lydiam, quae postea uno comprehensa volumine edidit. *libelli*, carmina: Intpp. Horatii Sat. I. x. extr. Augustus in Suetonii Vita Horatii: *Pertulit ad me Dionysius libellum tuum*, et paullo post: *ne maiores libelli tui sint*, *quam ipse es.* Cf. si placet, Salvagnii Proleg. in Ibin Ovid. cap. II. Et sic accipiendus Ovidius Amor. II. xvii, 33. *Nec nisi tu* nostris cantabitur *ulla* libellis. non ut multos Corinnae libros promittat, sed carmina dicit singula.

*canta libellis* Mon. II. *contata* Ven. Achat.

V. 27. OPTIMA SILVARUM, FORMOSIS DENSA VIRETIS.

*Obtima* Paris. II. *uirectis* Thuan. Paris. II. Augustan. Monac. I. Vratisl. I. Basil. Rom. II. Ven. Achat. et sic a manu sec. Vratisl. II. in quo ante *virentis* fuit. Vocabulum *formosus* frequentat Cato, ut mox v. 32. Ecl. 1. qui sunt loci huic nostro simillimi, ac digni fortasse observatione. Non ubique enim haec inveniri puto, *formosa vireta*, *formosae umbrae*, *formosa silva*, *formosa prata.* Ut exemplo utar, *humus formosa* apud Propertium I. ii, 9. non tam simile est, quam videtur esse. Si quidem ibi *formosa humus* est, ut suspicor, dives formarum, *daedala* Lucret. I. 7. quem locum obversari Propertio iam Wakefieldius statuit. Verum ille alia de caussa: nobis similia videntur epitheta *daedala*, *formosa.* Eamdem in sententiam interpretor Propertium I. iv, 7. *quascumque tulit* formosi *temporis aetas.* aetas heroica dives formarum, in puellis. Aliter dictum, propiusque ad Catonem accedit,

*formosius*, de arbuto, eodem illo Propertii loco, I. II, 11. Si ibi ferendum *formosius*, ut erit ferendum, quum nulla se satis commendet emendatio.

*Optima villarum*, coniectura Heinsii, qua longe aberrat a sensu loci.

V. 28. 9. TONDEBIS VIRIDES UMBRAS, NEC LAETA etc.

*Tondemus*] Lego,

*Non demum virides umbras, nec laeta comantes*
*Iactabis molles ramos inflantibus auris.*

Illud autem *molles* Graeci per ῥαδινὸν explicant. ut Virgilius: *Belgica vel molli melius feret esseda collo.* *molli*, ῥαδινῷ: ut ῥαδινῆς ἐπεμάξατο χειρὸς Homero. SCALIGER. Libri *Tondemus* unanimi consensu, nisi quod *Tundemus* in Thuan. ap. Lassen. Paris. II. Angl. August. *Tonderis* in Virgilio Aldi, et vetustis editionibus nescio quibus apud Wernsdorfium. *Non fundes* coniectura Boxhornii, quam receperunt Dilherrus, Arnoldus, Wernsdorfius, Eichstadius. Silligius prius: *Tu demas virides u.* nuper: *Tun' fundes v. u.* etc. cum interrogatione. Ad verum proxime accedit, quod ego ex Virgilio Aldi monstravi, *Tonderis*, ut nuper edidit Putschius. Etsi hoc ipsum non potest verum esse. Nam futurum poscit ordo, quem statim indicabo, sententiarum. Praeclare Gronovius apud Arnoldum, in variis lectionibus, *Tondebis* emendat. Incidit in eamdem emendationem Heinsius, sed obscurat bonum inventum, dum cumulat alia, *Tondenda eu*, *Conde nemus*, *Condet humus*; et ipsum illud *Tondebis* depravat, disperditque, ita scribendo: *Optima villarum*, — *Tondebis virides herbas.* Denique Wernsdorfio in mentem venit *Tondebis*, ut de me taceam. *Tondebis*, h. e. tondeberis: ut *Candidior postquam* tondenti *barba cadebat*, Virg. Ecl. I. 29. *Tondere* pro *tonderi*, potestate verbi Graecorum medii, satis usitate dicitur, neque ego I. H. Vossii ad Virg. Georg. III. 312. admonitioni, nuper Huschkio ad Tibull. III. I, 10. repetitae, multum tribuo, sed recte Vossium ad hunc Tibulli locum, et ad Carmen in Messal. 173. aliquid remisisse de severitate sua censeo. Ut enim de hominibus illud magis usitatum fuerit, num sequitur, non potuisse idem de animalibus, vel de re inanimata, dici? Quis tali in re modum praescribat poetae? Sed tamen apud Virgilium Georg. III. 312. praefero Vossii aliorumque explicationem, tamquam simpliciorem, etsi alteram agnoscit Priscianus VIII. 796. et in Tibulli loco elegantem quidem, sed non certam esse statuo emendationem Heinsii, *Pumice quae canas tondeat ante comas.* Caeterum *tonderi*, κείρεσθαι, de arboribus sollemne est. Illud velim observetur, facilem esse emendationem, *Tondemus*, *Tondebis.* Est quaedam affinitas soni in *b* et *m* litteris: unde permutari potuerunt. In Moreto v. 103.

ubi vulgo, et in libris meis: *color est e* (Voss. 81. et Mut. *ex*) *pluribus unus*, cod. Guelf. N. 342. Gud. corrupte *c. ē ī plurim⁹ u.* Vulgatum apud Catonem *Tondemus* retinet Handius loco supra laud. non satis video quo sensu: nam Cato tamen non tondebat silvam suam, neque tonsurus erat, sed miles.

*umbras* in libris tantum non omnibus, praeter Aldinas, in quibus *herbas* manifesta interpolatione. Est tamen eadem in Voss. I. si f. s. et in Anglicano. Ex Aldinis *herbas* devenit in Venetas 1544. 1558. et in Basil. H. P. 1561. In marg. Antverp. Scalig. Pith. ita legitur: *frondeis*, *alias herbas.* ubi *frondeis* non scripturae varietatem, sed explicationem vocis *umbrae* esse arbitror. Et est bona explicatio: quam si tenuissent omnes, fortasse non natum foret *herbas*. *Umbras* Cato h. l. et v. 32. ipsas dicit frondes. Quo differt nonnihil ab aliorum locis poetarum, qui quum *umbram, viridem umbram*, dicunt, ut dicunt saepissime, ita dicere solent, ut ad notionem vocis *umbra* accedant propius. Ut in Ciri: *Florentis* viridi *Sophiae complectitur* umbra. Catull. Epith. P. et Th. 41. *Non falx attenuat frondatorum arboris* umbram. Valerius Flaccus III. 708. *Quae neque iam frondes*, virides *nec proferet* umbras. Cf. Virg. Ecl. IX. 20. Stat. Theb. VI. 91. Noster diserte *umbras* dixit pro ea re, quae facit umbras. *herbas* unice placebat Heinsio, sed festinanti, et ubique corruptelam odoranti. Si pedem sistere voluisset, sententiamque poetae circumspicere, vidisset, *herbas* prorsus alienas esse ab hoc loco, qui totus de silva est. Verum Heinsio etiam displicebat tam brevi intervallo v. 28. et 32. iteratum vocabulum *umbrae.*

Sic idem sequentia tentat ac vexat, quae libri satis constanter eo scripta modo exhibent, quo sunt a me edita. Sed *comantis* scripsi ex Augustano, pro vulgato *comantes*. et *comantis* in membranis apud Heinsium, h. e. in Petaviano et Thuaneo: quod facile credo Heinsio, etsi id apud me non annotatum est. Praeterea *lecta* in iisdem membranis, Heinsio teste. *laeta comantes ramos* bono Heinsius exemplo illustrat, Virgiliano, Georg. IV. 122. *nec sera comantem Narcissum. mollis* omnes, exceptis Paris. IV. et Anglicano, in quibus *molles.* Ut taceam ista Aldi aetate invecta *comanteis, molleis*. Accusativum esse certum est. De geminatis epithetis dissero Diss. III. Ea qui ferri posse negabat, Heinsius, sic constituendum esse locum coniicit: *nec laeta comantes Iactabis* collis *ramos i. a.* vel etiam *nec* lacte *comantes* etc. Nam *collem* fuisse Battarum opinabatur, tum quidem, Heinsius. *molles ramos* perbene Scaliger explicat ῥαδινούς. Sed locus, quem affert, Apollonii est III. 106. non Homeri; et ἐπεμάσσατο legitur ibi, non ἐπεμάξατο. Ex Latinis nihil ad Catonem accommodatius eo, quod Arnoldus affert, quum *mollia* dicuntur *brachia.*

*ne* pro *nec* Mon. II. *loeta* Angl. *leta* Paris. IV. Mon. I. Vrat. I. II. Rom. II. Ven. Ach. *conantes* Voss. II. Ven. 1482. *Iactibus* pro *Iactabis*, et *auras* in August. *ramis* Vrat. II.

V. 30. NEC MIHI SAEPE MEUM RESONABIT BATTARE CARMEN. Nihil variant libri. *Haec* Thuan. *resonabat* Brix. Ven. 1488. Mediol. 1501. Quod est vitium, ut *Battere* in Ven. Ach. Coniecturam tentavere viri docti, Tollius ap. Burm. et nuper Handius, quorum ille *resonabis* legebat, quod nunc est in exemplo Lips. Venetae Iens. a manu Gloss. Handius l. l. contraria ratione, sed eumdem in sensum, nostro versu retinet vulgatum *resonabit*, in praecedente emendat *Iactabit*: ut utrumque verbum ad silvam referatur. Ita similis oratio erit Virgilianae, *Formosam resonare doces Amaryllida silvas.* Poeta rudis quidem, sed tamen non prorsus ineptus, Anth. Lat. IV. CLXXII, 22. *Et tristis mecum resonabit carmen et Echo.* Ego neutrum probo, neque mutatione opus ulla est. Sententia ita procedit: Tondebis umbras, o silva, neque iactabis ramos, quum manus impia militis succedet ferro, et quum primo frondes ramosque amputatos habebis, deinde ipsa deleberis. Sed suspensa atque interrupta est sententia inserto versu intercalari, *Nec mihi saepe meum resonabit B. c.* Male omnes post *carmen* interpunctionem faciunt maximam, ut nova inde sententia inferatur talis: Quum manus militis ferro succedet, et quum umbrae cadent, ipsa cades. Quod falsum est. Quum enim umbrae, hoc est frondes, cadunt, atque exciduntur, non sequitur inde, silvam cadere. Silva tum demum cadit, quum exciduntur arbores ipsae, trunci. De versu intercalari cf. supra observata p. 25. Hoc loco in media sententia insertus est, per parenthesin: quo modo Moschus III. 41. et Theocritus I. 84. II. 105. Sed apud Theocritum narratio Simaethae, quod accuratius inspicienti patebit, tota ad eum modum composita est, ut versus intercalaris, *Φράζεό μευ τὸν ἔρωϑ' ὅϑεν ἵκετο, πότνα Σελάνα*, semper per parenthesin accipi debeat.

Ergo *resonabit* h. l. non est ea vi dictum, qua est apud Virgilium *Formosam resonare doces A. s.* sed est verbum neutrum: non amplius mihi resonabit, scilicet e silva mea, carmen meum. Sed *Battare* quomodo accipiendum sit hoc loco, nova atque ingeniosa interpretatione docet Tollius, ita: tu silvarum optima non resonabis (nam sic legit, ut iam monui) amplius meum carmen, cuius initium *Battare.* Itaque *Battare* h. l. non esse usitata et communi vocativi significatione, sed materialiter, ut aiunt, positum putabat. Ut, si ante oculos ponere mentem poetae velis, conservata scriptura vulgata, ut est conservanda haud dubie, ita accipienda sint verba: Nec mihi saepe resonabit carmen meum, quod ita sonabat: *Battare.* Similiter Propertius I. XVIII, 31.

*Sed qualiscumque es, resonent mihi* Cynthia *silvae.*

hoc est, resonent mihi silvae: *Cynthia. resonent* neutraliter, ut apud Catonem. Eodem modo Virgilius:

*ut littus* Hyla, Hyla, *omne sonaret.*

Ex eodem genere est, quod apud Propertium illo ipso carmine:

*Ah quoties teneras resonant mea verba sub umbras,*
*Scribitur et vestris* Cynthia *corticibus.*

quod est: et in corticibus vestris scribitur: *Cynthia.* id est nomen Cynthiae. Etsi ibi *Cynthia* non est vocativus, ut in caeteris exemplis, sed nominativus. Callimachus h. Apoll. 21.

ὁππότ' ἰὴ παιῆον, ἰὴ παιῆον, ἀκούσῃ.

et 97. ἰὴ ἰὴ παιῆον ἀκούομεν. Fuit quum eadem ratione explicabam, quod ibi v. 20. legitur: οὐδὲ Θέτις Ἀχιλῆα κινύρεται αἴλινα μήτηρ, neque super Achille Thetis mater lamentatur: αἴλινα. Nunc mihi, ut aliis, αἴλινα apud hunc poetam, et apud Moschum III. I, 14. accusativus videtur simpliciter esse, adiectivum pro adverbio, *flebile* lamentari. Scio multa huc posse praeter ea, quae apposui, referri alia: ut quae Bentleius indicat ad Horatianum *Io Bacche.* Nobis nunc unum addidisse sufficiet, Catonem inf. v. 88. ex nostra restitutione. Solent, quum explicant talia, Grammatici adhibere τὸ articulum: ut Scaliger ad Propert. I. XVIII, 31. Verum id nonnullis locis, ubi verbum est activum, ut ἀκούσῃ, ἀκούομεν, et *scribitur* loco Propertii altero, licet; non licet in reliquis, ubi verbum neutrum est cum vocativo.

Diffido tamen quantumvis ingeniosae explicationi Tollii, quum de *carmine*, quod sibi non amplius esse resonaturum Cato dicit, quaero ac reputo. Quodnam enim hoc *carmen* esse putabimus? *Diras*? Non potest. *Dirae* triste et exsecrabile carmen: hoc vero, *Nec mihi saepe meum resonabit B. carmen*, manifesto cum desiderio rei gratae iucundaeque ad memoriam dictum est. Igitur de aliis cogitat carminibus, rusticis, laetis, quae olim in silva, vel apud silvam, tranquillus praedii sui possessor, solebat canere. Hinc est, quod *saepe* dicit: quo plura significantur carmina, non unum saepe repetitum. Iam haec carmina quis credat omnia *Battare* sonuisse? *Diris* hoc proprium, quod ubique recurrit *Battarus.* In prioribus carminibus illis ut aliquam hic illic mentionem fuisse *Battari* minime nego, non tam crebra fuit, ut ab eo nomen trahere carmina potuerint. Quare *Battare* h. l. accipimus significatione vocativi communi illa, quae obtinet v. 1. 14. 54. alibi. Alloquitur autem Cato Battarum hoc loco propterea, quia carminum recordanti olim cantatorum, recurrit memoria eius, ad cuius fistulam canere illa solebat. Igitur hoc dicit, si licet, quod poetica brevitate poeta dixit, declarare ac dilatare verborum ambagibus: neque amplius mihi, quod

In libris nihil varietatis, praeter Paris. II. in quo *Lydim'.* et Paris. IV. in quo *Umus et nostris multum nostris c. l.* Scaligeri coniecturam approbant, vel etiam recepere, Boxhornius, Dilherrus, Arnoldus, Wernsdorfius, Eichstadius. Intellexerat Scaliger, toto loco inde ab hoc versu usque ad v. 41. de *silva* agi. Intempestive Heinsius, quamvis vehementer approbante Burmanno, *Lydiam* intulit: *Lydia, et o multum.* Et sic I. Fr. Gronovius in Boxhornii Epistolis pag. 43. nam errorem esse existimo, quod ibi legitur: *Lydia te o multum.* Heinsius etiam sic: *Lydia ïo multum.* Multo melius Handius ad Gronovii Diatriben Stat. p. 527. *Lusimus*: *et m. n.* etc. eleganti usu praeteriti perfecti, quemadmodum Virgilius: *Vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi.* Et *Lusimus* dudum adscriptum a me ipso habeo. Handius quomodo illud cum sequentibus conciliaverit, ubi *Tondemus* legit, non satis intelligo. *Lusibus et m. nostris c. libellis* coniectura Silligii et Putschii, in qua displicet collocatio verborum. Nempe nihil corruptum est. Observandus tantum usus *et* particulae, quae hic non cognata, sed contraria coniungit, vel potius inter se opponit. Quae mihi magna simplicitas, et in simplicitate gravitas esse videtur. Ludimus, h. e. versus facimus, et tu, o silva spoliaberis, ac peribis. Quasi dicat: Intempestivum est, quod ludo, quum silva illa mea peritura sit. Magnus cernitur in hoc loco animi affectus, magnus amor silvae. Qua nihil Catoni in suo praedio fuisse carius tum ex hoc versu intelligitur, tum ex v. 40. 41. ubi eam inprimis caram et tamquam propriam Lydiae fuisse discimus. Itaque dum silva in mentem venit, illa olim tam saepe celebrata carmine, ut eam necessario coniunctam cum sua poesi putaret, miratur ipse, quod aliquid ludat hoc tempore, quo excidium instat silvae a milite. Praeterea observanda sensuum prorsus ad naturae veritatem efficta mutabilitas, et scita temperatio ac progressio. Agris, silvis, pratis, in universum sterilitatem, pestem, imprecatus erat sine multa vehementia, breviter, ieiune. Silvae huic suae tantopere amatae non statim mala imprecatur: at ubi se totum desiderio eius implevit, et quam male silvam habiturus sit miles, penitus perspexit, tum vehementer commotus, ipse in suam silvam fulmen evocat Iovis, ut digno pereat modo. Heinsium non moror, qui *ludimus* dici de Diris hisce posse negat. Scribit ille ita: *an* ludum *vocat hasce Diras? non credo.* Quid enim? Num semper ludicra, iocosa, laeta, cogitanda sunt, quum quis *ludere* poeta dicitur? Non puto. *Ludunt* poetae, nunc omnes, quatenus occupationibus poesis severioribus opponitur; nunc ii, qui carmina non ita magna, ac tenui argumento, non epica, vel recondito gravique commendabilia argumento, faciunt: Cul. 1. 3. Cir. 19. Quod autem aliquis obiiciat, hoc certe carmen, Diras, non posse *lusum* dici, quum Cato vim in eo inesse in-

cantamentorum voluerit, an Catonem ita fuisse superstitionibus deditum putabimus, ut pro veris incantamentis haberi has Diras, vimque in iis inesse magicam voluerit?

Quaerit Boxhornius, qui sint *libelli*, in quibus de silvis se egisse dicat Cato, et carmen Catonis, *Dianam*, respici putat, eademque est opinio Wernsdorfii. Boxhornius: *cum enim Diana*, inquit, *venationum praeses sit, profecto illam celebravit Cato eo praecipue nomine, quod in sylvis suis atque viretis favente Diana venationi subinde indulgeret.* Ego vero iuraverim, Catonem, si venator fuisset, etiam leporibus capreisque vale dicturum fuisse hoc Dirarum libello: tantus est in hoc poeta suarum rerum omnium amor et grata recordatio. Deinde quum *silvam* dicit hoc loco, non intelligit, quicquid in agro silvarum fuit, sed certum quoddam nemus, inprimis amoenum, fortasse non magno illud circuitu. Prope adest, quod quaerebat Boxhornius. Quum constet Catonem, dum fortunatus erat, secum habuisse in suo agro Lydiam, quid veri similius, quam illis carminibus, quibus Lydiam celebravit, etiam arvorum, pratorum, silvae, quas ipse res aeque ac Lydiam amabat, sed ante omnia silvae, quam in deliciis fuisse Lydiae monuimus, fuisse laudes? Itaque *libelli* sunt carmina in Lydiam, quae postea uno comprehensa volumine edidit. *libelli*, carmina: Intpp. Horatii Sat. I. x. extr. Augustus in Suetonii Vita Horatii: *Pertulit ad me Dionysius libellum tuum*, et paullo post: *ne maiores libelli tui sint*, *quam ipse es.* Cf. si placet, Salvagnii Proleg. in Ibin Ovid. cap. II. Et sic accipiendus Ovidius Amor. II. xvii, 33. *Nec nisi tu* nostris cantabitur *ulla* libellis. non ut multos Corinnae libros promittat, sed carmina dicit singula.

*canta libellis* Mon. II. *contata* Ven. Achat.

V. 27. OPTIMA SILVARUM, FORMOSIS DENSA VIRETIS.

*Obtima* Paris. II. *uirectis* Thuan. Paris. II. Augustan. Monac. I. Vratisl. I. Basil. Rom. II. Ven. Achat. et sic a manu sec. Vratisl. II. in quo ante *virentis* fuit. Vocabulum *formosus* frequentat Cato, ut mox v. 32. Ecl. 1. qui sunt loci huic nostro simillimi, ac digni fortasse observatione. Non ubique enim haec inveniri puto, *formosa vireta*, *formosae umbrae*, *formosa silva*, *formosa prata.* Ut exemplo utar, *humus formosa* apud Propertium I. ii, 9. non tam simile est, quam videtur esse. Si quidem ibi *formosa humus* est, ut suspicor, dives formarum, *daedala* Lucret. I. 7. quem locum obversari Propertio iam Wakefieldius statuit. Verum ille alia de caussa: nobis similia videntur epitheta *daedala*, *formosa.* Eamdem in sententiam interpretor Propertium I. iv, 7. *quascumque tulit* formosi *temporis aetas.* aetas heroica dives formarum, in puellis. Aliter dictum, propiusque ad Catonem accedit,

*formosius*, de arbuto, eodem illo Propertii loco, I. ii, 11. Si ibi ferendum *formosius*, ut erit ferendum, quum nulla se satis commendet emendatio.

*Optima villarum*, coniectura Heinsii, qua longe aberrat a sensu loci.

V. 28. 9. TONDEBIS VIRIDES UMBRAS, NEC LAETA etc.

*Tondemus*] Lego,

*Non demum virides umbras, nec laeta comantes*
*Iactabis molles ramos inflantibus auris.*

Illud autem *molles* Graeci per ῥαδινὸν explicant. ut Virgilius: *Belgica vel molli melius feret esseda collo.* *molli*, ῥαδινῷ: ut ῥαδινῆς ἐπεμάξατο χειρὸς Homero. SCALIGER. Libri *Tondemus* unanimi consensu, nisi quod *Tundemus* in Thuan. ap. Lassen. Paris. II. Angl. August. *Tonderis* in Virgilio Aldi, et vetustis editionibus nescio quibus apud Wernsdorfium. *Non fundes* coniectura Boxhornii, quam receperunt Dilherrus, Arnoldus, Wernsdorfius, Eichstadius. Silligius prius: *Tu demas virides u.* nuper: *Tun' fundes v. u.* etc. cum interrogatione. Ad verum proxime accedit, quod ego ex Virgilio Aldi monstravi, *Tonderis*, ut nuper edidit Putschius. Etsi hoc ipsum non potest verum esse. Nam futurum poscit ordo, quem statim indicabo, sententiarum. Praeclare Gronovius apud Arnoldum, in variis lectionibus, *Tondebis* emendat. Incidit in eamdem emendationem Heinsius, sed obscurat bonum inventum, dum cumulat alia, *Tondenda eu*, *Conde nemus*, *Condet humus*; et ipsum illud *Tondebis* depravat, disperditque, ita scribendo: *Optima villarum*, — *Tondebis virides herbas.* Denique Wernsdorfio in mentem venit *Tondebis*, ut de me taceam. *Tondebis*, h. e. tondeberis: ut *Candidior postquam* tondenti *barba cadebat,* Virg. Ecl. I. 29. *Tondere* pro *tonderi*, potestate verbi Graecorum medii, satis usitate dicitur, neque ego I. H. Vossii ad Virg. Georg. III. 312. admonitioni, nuper Huschkio ad Tibull. III. i, 10. repetitae, multum tribuo, sed recte Vossium ad hunc Tibulli locum, et ad Carmen in Messal. 173. aliquid remisisse de severitate sua censeo. Ut enim de hominibus illud magis usitatum fuerit, num sequitur, non potuisse idem de animalibus, vel de re inanimata, dici? Quis tali in re modum praescribat poetae? Sed tamen apud Virgilium Georg. III. 312. praefero Vossii aliorumque explicationem, tamquam simpliciorem, etsi alteram agnoscit Priscianus VIII. 796. et in Tibulli loco elegantem quidem, sed non certam esse statuo emendationem Heinsii, *Pumice quae canas tondeat ante comas.* Caeterum *tonderi*, κείρεσθαι, de arboribus sollemne est. Illud velim observetur, facilem esse emendationem, *Tondemus*, *Tondebis.* Est quaedam affinitas soni in *b* et *m* litteris: unde permutari potuerunt. In Moreto v. 103.

ubi vulgo, et in libris meis: *color est e* (Voss. 81. et Mut. *ex*) *pluribus unus*, cod. Guelf. N. 342. Gud. corrupte *c. ē ī plurim⁹ u.* Vulgatum apud Catonem *Tondemus* retinet Handius loco supra laud. non satis video quo sensu: nam Cato tamen non tondebat silvam suam, neque tonsurus erat, sed miles.

*umbras* in libris tantum non omnibus, praeter Aldinas, in quibus *herbas* manifesta interpolatione. Est tamen eadem in Voss. I. si f. s. et in Anglicano. Ex Aldinis *herbas* devenit in Venetas 1544. 1558. et in Basil. H. P. 1561. In marg. Antverp. Scalig. Pith. ita legitur: *frondeis*, *alias herbas*. ubi *frondeis* non scripturae varietatem, sed explicationem vocis *umbrae* esse arbitror. Et est bona explicatio: quam si tenuissent omnes, fortasse non natum foret *herbas*. *Umbras* Cato h. l. et v. 32. ipsas dicit frondes. Quo differt nonnihil ab aliorum locis poetarum, qui quum *umbram*, *viridem umbram*, dicunt, ut dicunt saepissime, ita dicere solent, ut ad notionem vocis *umbra* accedant propius. Ut in Ciri: *Florentis* viridi *Sophiae complectitur* umbra. Catull. Epith. P. et Th. 41. *Non falx attenuat frondatorum arboris* umbram. Valerius Flaccus III. 708. *Quae neque iam frondes*, virides *nec proferet* umbras. Cf. Virg. Ecl. IX. 20. Stat. Theb. VI. 91. Noster diserte *umbras* dixit pro ea re, quae facit umbras. *herbas* unice placebat Heinsio, sed festinanti, et ubique corruptelam odoranti. Si pedem sistere voluisset, sententiamque poetae circumspicere, vidisset, *herbas* prorsus alienas esse ab hoc loco, qui totus de silva est. Verum Heinsio etiam displicebat tam brevi intervallo v. 28. et 32. iteratum vocabulum *umbrae*.

Sic idem sequentia tentat ac vexat, quae libri satis constanter eo scripta modo exhibent, quo sunt a me edita. Sed *comantis* scripsi ex Augustano, pro vulgato *comantes*. et *comantis* in membranis apud Heinsium, h. e. in Petaviano et Thuaneo: quod facile credo Heinsio, etsi id apud me non annotatum est. Praeterea *lecta* in iisdem membranis, Heinsio teste. *laeta comantes ramos* bono Heinsius exemplo illustrat, Virgiliano, Georg. IV. 122. *nec sera comantem Narcissum*. *mollis* omnes, exceptis Paris. IV. et Anglicano, in quibus *molles*. Ut taceam ista Aldi aetate invecta *comanteis*, *molleis*. Accusativum esse certum est. De geminatis epithetis dissero Diss. III. Ea qui ferri posse negabat, Heinsius, sic constituendum esse locum coniicit: *nec laeta comantes Iactabis* collis *ramos i. a.* vel etiam *nec* laete *comantes* etc. Nam *collem* fuisse Battarum opinabatur, tum quidem, Heinsius. *molles ramos* perbene Scaliger explicat ῥαδινούς. Sed locus, quem affert, Apollonii est III. 106. non Homeri; et ἐπεμάσσατο legitur ibi, non ἐπεμάξατο. Ex Latinis nihil ad Catonem accommodatius eo, quod Arnoldus affert, quum *mollia* dicuntur *brachia*.

*ne* pro *nec* Mon. II. *loeta* Angl. *leta* Paris. IV. Mon. I. Vrat. I. II. Rom. II. Ven. Ach. *conantes* Voss. II. Ven. 1482. *Iactibus* pro *Iactabis*, et *auras* in August. *ramis* Vrat. II.

V. 30. NEC MIHI SAEPE MEUM RESONABIT BATTARE CARMEN. Nihil variant libri. *Haec* Thuan. *resonabat* Brix. Ven. 1488. Mediol. 1501. Quod est vitium, ut *Battere* in Ven. Ach. Coniecturam tentavere viri docti, Tollius ap. Burm. et nuper Handius, quorum ille *resonabis* legebat, quod nunc est in exemplo Lips. Venetae Iens. a manu Gloss. Handius l. l. contraria ratione, sed eumdem in sensum, nostro versu retinet vulgatum *resonabit*, in praecedente emendat *Iactabit*: ut utrumque verbum ad silvam referatur. Ita similis oratio erit Virgilianae, *Formosam resonare doces Amaryllida silvas.* Poeta rudis quidem, sed tamen non prorsus ineptus, Anth. Lat. IV. CLXXII, 22. *Et tristis mecum resonabit carmen et Echo.* Ego neutrum probo, neque mutatione opus ulla est. Sententia ita procedit: Tondebis umbras, o silva, neque iactabis ramos, quum manus impia militis succedet ferro, et quum primo frondes ramosque amputatos habebis, deinde ipsa deleberis. Sed suspensa atque interrupta est sententia inserto versu intercalari, *Nec mihi saepe meum resonabit B. c.* Male omnes post *carmen* interpunctionem faciunt maximam, ut nova inde sententia inferatur talis: Quum manus militis ferro succedet, et quum umbrae cadent, ipsa cades. Quod falsum est. Quum enim umbrae, hoc est frondes, cadunt, atque exciduntur, non sequitur inde, silvam cadere. Silva tum demum cadit, quum exciduntur arbores ipsae, trunci. De versu intercalari cf. supra observata p. 25. Hoc loco in media sententia insertus est, per parenthesin: quo modo Moschus III. 41. et Theocritus I. 84. II. 105. Sed apud Theocritum narratio Simaethae, quod accuratius inspicienti patebit, tota ad eum modum composita est, ut versus intercalaris, *Φράζεό μευ τὸν ἔρωθ' ὅθεν ἵκετο, πότνα Σελάνα*, semper per parenthesin accipi debeat.

Ergo *resonabit* h. l. non est ea vi dictum, qua est apud Virgilium *Formosam resonare doces A. s.* sed est verbum neutrum: non amplius mihi resonabit, scilicet e silva mea, carmen meum. Sed *Battare* quomodo accipiendum sit hoc loco, nova atque ingeniosa interpretatione docet Tollius, ita: tu silvarum optima non resonabis (nam sic legit, ut iam monui) amplius meum carmen, cuius initium *Battare*. Itaque *Battare* h. l. non esse usitata et communi vocativi significatione, sed materialiter, ut aiunt, positum putabat. Ut, si ante oculos ponere mentem poetae velis, conservata scriptura vulgata, ut est conservanda haud dubie, ita accipienda sint verba: Nec mihi saepe resonabit carmen meum, quod ita sonabat: *Battare.* Similiter Propertius I. XVIII, 31.

*Sed qualiscumque es, resonent mihi* Cynthia *silvae*.

hoc est, resonent mihi silvae: *Cynthia*. *resonent* neutraliter, ut apud Catonem. Eodem modo Virgilius:

*ut littus* Hyla, Hyla, *omne sonaret*.

Ex eodem genere est, quod apud Propertium illo ipso carmine:

*Ah quoties teneras resonant mea verba sub umbras,*
*Scribitur et vestris* Cynthia *corticibus*.

quod est: et in corticibus vestris scribitur: *Cynthia*. id est nomen Cynthiae. Etsi ibi *Cynthia* non est vocativus, ut in caeteris exemplis, sed nominativus. Callimachus h. Apoll. 21.

ὁππότ' ἰὴ παιῆον, ἰὴ παιῆον, ἀκούσῃ.

et 97. ἰὴ ἰὴ παιῆον ἀκούομεν. Fuit quum eadem ratione explicabam, quod ibi v. 20. legitur: οὐδὲ Θέτις Ἀχιλῆα κινύρεται αἴλινα μήτηρ, neque super Achille Thetis mater lamentatur: *αἴλινα*. Nunc mihi, ut aliis, *αἴλινα* apud hunc poetam, et apud Moschum III. I, 14. accusativus videtur simpliciter esse, adiectivum pro adverbio, *flebile* lamentari. Scio multa huc posse praeter ea, quae apposui, referri alia: ut quae Bentleius indicat ad Horatianum *Io Bacche*. Nobis nunc unum addidisse sufficiet, Catonem inf. v. 88. ex nostra restitutione. Solent, quum explicant talia, Grammatici adhibere τὸ articulum: ut Scaliger ad Propert. I. XVIII, 31. Verum id nonnullis locis, ubi verbum est activum, ut ἀκούσῃ, ἀκούομεν, et *scribitur* loco Propertii altero, licet; non licet in reliquis, ubi verbum neutrum est cum vocativo.

Diffido tamen quantumvis ingeniosae explicationi Tollii, quum de *carmine*, quod sibi non amplius esse resonaturum Cato dicit, quaero ac reputo. Quodnam enim hoc *carmen* esse putabimus? *Diras*? Non potest. *Dirae* triste et exsecrabile carmen: hoc vero, *Nec mihi saepe meum resonabit B. carmen*, manifesto cum desiderio rei gratae iucundaeque ad memoriam dictum est. Igitur de aliis cogitat carminibus, rusticis, laetis, quae olim in silva, vel apud silvam, tranquillus praedii sui possessor, solebat canere. Hinc est, quod *saepe* dicit: quo plura significantur carmina, non unum saepe repetitum. Iam haec carmina quis credat omnia *Battare* sonuisse? *Diris* hoc proprium, quod ubique recurrit *Battarus*. In prioribus carminibus illis ut aliquam hic illic mentionem fuisse *Battari* minime nego, non tam crebra fuit, ut ab eo nomen trahere carmina potuerint. Quare *Battare* h. l. accipimus significatione vocativi communi illa, quae obtinet v. 1. 14. 54. alibi. Alloquitur autem Cato Battarum hoc loco propterea, quia carminum recordanti olim cantatorum, recurrit memoria eius, ad cuius fistulam canere illa solebat. Igitur hoc dicit, si licet, quod poetica brevitate poeta dixit, declarare ac dilatare verborum ambagibus: neque amplius mihi, quod

olim fiebat saepe, resonabit carmen meum, quod tu, o Battare, sequi avena solebas. Possis eamdem in sententiam, recepta Tollii et Gloss. V. I. coniectura, quae sane admodum per se facilis, ita legere:

*Nec mihi saepe meum resonabis Battare carmen.*

ut *resonabis* referatur ad Battarum, vimque habeat activam: nec saepe, ut antea, sequeris ac repetes avena carmen meum.

*Nec tibi saeve* coni. Heinsii. *sepe* Aug.

V. 31. MILITIS IMPIA QUOM SUCCEDET DEXTERA FERRO.

*Succedet*] *Succedere ferro*, ut *succedere oneri*. Malim tamen *succidet*. SCALIG. Non bene mutavit sententiam Scaliger, neque recentioribus criticis quae tanta visa sit virtus ac praestantia in *succidet* esse, intelligo. *succedet* Thuan. Paris. II. Angl. August. Monacensis uterque, Vratisl. I. Romana II. cum cod. Bas. et Vrat. II. Veneta Achat. Mutinensis, Ascensiana III. Aldina I. et reliquae pleraeque, ut Florent. Iunt. Lugd. 1529. Basil. 1543. *succedat* Paris. IV. *succedit* nihil nisi peccatum Venetarum Iensoni et Rubei est, quod post Rubei editionem obsedit multas, Vicentinam cum Voss. II. Venetam 1482. Venetam Burmanni, Brixiensem, et quae Rubeum sequuntur aliae, etiam Virg. Aldi, Ascens. I. et II. et Taur. 1518. Id Gloss. V. I. accipiebat tamquam *succaedit*: explicat enim *amputat*, et supplet *te*. *succidet* in paucis his: Medic. Voss. I. si f. s. MS. qui dicitur Pierii apud Burmannum, Aldina II. Ven. 1558. et hinc in marg. Antv. Scal. Pith. vetustum codicem, in quo *succidet* esse Heinsius dicit, eumdem suspicor esse, qui Burmanno MS. Pierii audit, hoc est, ut suo loco a me docebitur, codicem nullum. Qui *succidet* legunt, iis ex versu 29. supplendum est *te*: et sane facile supplebitur, praesertim ut nos locum constituimus, sublata post versum 30. interpunctione maxima: sed supplebitur cum damno sententiae. Non statim enim de silva excidenda ipsa cogitat: incipit ab excidio frondium; de silva sequitur demum versu 33. Itaque, ut nos legimus, *succedet*, rite omnia, ac suo ordine, procedunt: arripit miles ferrum, cadunt umbrae, h. e. rami cum frondibus; denique v. 33. arbores cadunt ipsae. Eleganter factum, quod haec duo, militem se armare ferro, et cadere umbras, statim inter se coniuncta sunt. Supplendum est cogitando, quod inter haec duo medium est: ire militem, et iniicere ferrum. Latuit viros doctos vis verbi *succedere*, quam iam assequutus est Badius: *succedet ferro. i. ad ferrum applicabitur.* Sic in editione III. In prima et secunda: *succedit — applicatur.* Quod confert Scaliger, *succedere oneri*, ex Virgilio est, Aen. II. 723. Addo Lucilium lib. XXX. fragm. VII. ap. Nonium p. 401, 17.

*Tune iugo iungas me ante, et* succedere aratro
*Invitum, et glebas subigas proscindere ferro*?

Id tantum requiritur, ut ea res, cui aliquis *succedat*, pondus habeat non contemnendum, utque ponatur in collo, sive humeris. Ut in versu Lucilii de iugo cogitandum, quod collo imponitur tauri. Manilius IV. 142. *submittit aratris Colla*: nisi ibi vera sit coniectura Bentleii *in astris*. Non bene aliquis *cultro succedere*, non bene fortasse frondator, vel dextra frondatoris, *falci*, aut, quo vocabulo Varro utitur in re simili, *forcipibus*, diceretur *succedere*. At apud Catonem *ferrum* haud dubie securis est: ac videor mihi videre militem, qui profecturus in silvam attollit securim, ponitque in humero. Varro Parmenone ap. Nonium p. 79, 19. in simili, ut videtur, descriptione:

*ferens ferream humero bipennem securim.*

vel, ut Scaliger Coni. in Varron. p. 120. HSt. ista probabiliter coniunxit cum alio apud Nonium fragmento:

— *alius*
*caballum arboris ramo in humili alligatum*
*relinquit, ferens ferream humero bipennem*
*securim.*

Quae alia ibi Scaliger ex aliis Nonii locis agglutinat, ex eadem descriptione esse facile largior, ac video numerum partim inesse, partim coniectura restitui posse eum, quo illa distincta exhibui, bacchiacum: quomodo inter se singula nectantur, non video. Probabile autem est, haec omnia alio, quam apud Scaligerum, scripta fuisse ordine: initio descriptionis illa, quae apposui, ea vero, quae Scaliger initio ponit, *Caeditur lucus* etc. postrema fuisse. Prius describebantur involantium in silvam impetus, habitus, instrumenta, tum cadere arbores singulas.

Alias excisarum silvarum arborumque descriptiones apud Ennium habes: *Incedunt arbusta per alta, securibus caedunt*, etc. et apud poetas, quos ibi Columna laudat p. 67. seq. ed. Hessel. Et similis fortasse fuit Ennii locus, ex quo Nonius p. 194, 23. hoc servavit: *buxus icta, taxus tonsa.* si vera est Merceri emendatio. Vulgo: *b. victa taxis t.* Denique huc referre Virgilium Ecl. IX. 9. licebit, si certum sit, *fracta cacumina fagos* esse vi hostili excisas, quod aliquando placebat Heynio. Idem ibi sentiebat Pomponius Sabinus. *manus impia* eodem modo dictum, de grassantibus tempore Virgilii militibus, a Foca Grammatico Anth. Lat. lib. II. CLXXXVI, 78. Si tamen eodem modo dictum. Certe ibid. v. 76. *violenta manus* ipsos significat milites.

*quom* cod. Bas. non ex antiquo fonte, puto, sed arbitrio librarii. *con* in Petaviano, teste Heinsio; et sic August. *consuccedet.*

Incredibile est, quas turbas dederit insolentior caesura *Militis impia cum.* Ea quum displiceret, iam librariis, quod valde memorabile est, interpolandi caussa fuit. *Impia cum militis succidet* Medic. *Militis in platanis succedet* Monac. I. II. Vratisl. I. Deinde viri docti non uno tentaverunt modo. *M. in quercum succedet* Boxhornius. *in pinum* Is. Vossius in marg. ed. Scalig. 1595. Multo violentius Heinsius: *Dextera succidet quam militis impia f.* ut locum scriptum laudat Burmannus in Anth. Lat. T. I. p. 369. et sic Francius, qui tamen *cum* servabat. Pro *quam* etiam *nunc* in mentem Heinsio venerat. et *te caedet* alio tempore. *Militis i. nunc succidet* Burmannus laudat infra ad v. 73. De caesura illa nos Diss. III. Habet nonnulla Arnoldus, sed valde confusa, ac praeterea ridiculus est, quum Catonem consulto, et singulari artificio, ita composuisse versum demonstrat.

De Thorone Milieno, Ario, quos hic sibi invenire videbantur Gloss. V. I. Domitius, Badius, satis dicimus Diss. I.

V. 32. FORMOSAEQUE CADENT UMBRAE, FORMOSIOR ILLIS. *cadunt* libri mei vetustiores fere omnes: Thuan. Paris. II. Angl. Aug. Mon. I. II. Vrat. I. et Veneta Iens. *cadent* ut sensus postulat, et futurum, quod praecedit: Romana II. cum cod. Bas. et Vrat. II. Mutinensis, Vicent. cum Voss. II. caeterae, etiam Aldinae, recentiores. *cadant* Ven. Achat. *cadunt* unus nuper tueri voluit Silligius, qui haec omnia usque ad *ligna* cum interrogatione pronunciari statuit. Graviore corruptela affectus Augustanus est, in quo sic conceptus versus:

*Formoseque cadunt umbrae cades illis*

*ipsis* pro *illis* Voss. I. *iliis* Mut. Non dissimilis conformatio est versus Virgiliani Ecl. V. 44.

*Formosi pecoris custos, formosior ipse.*

Cf. si placet, Burmannus in Ovid. Epist. XVI. 86. Non quaero autem, quo miles consilio primo ramos, tum arbores excidat ipsas: immane quiddam grassans in silvam miles describitur. Ac poteris, si videtur, ita rem proponere animo, ut aliarum arborum ramos tantum, alias excidat ipsas. *formosior ilex Ipsa cadet* coniectura Boxhornii. recordandum est, praecedentia ita emendare eumdem: *Militis in quercum succedet d. f.* Et hoc quidem, *formosior ilex Ipsa cades*, edidit Arnoldus.

V. 33. 4. IPSA CADES, VETERIS DOMINI FELICIA etc.
*Ipsa cades*] Lego:

*Ipsa cades: iterum domini felicis alumna*
*Necquicquam, nostris potius devota libellis*
*Ignibus aethereis flagrabit.* —

Nam ex veteribus editionibus *iterum*, et *potius*, in quorum vacuum venerant *veteris*, et *toties*, reposuimus. iterum alumnam suam silvam vocat, quod, ut verisimile est, iterum sata sit ab illo, et instituta. Sed id frustra, et nequicquam, inquit, cum ea potius devota nostris libellis ardeat oportet. Ego non dubito, quin propius a veritate absit haec coniectura nostra. SCALIGER. Non procul a vero abfuit. Sed dum non satis librorum ante oculos habet, respuit id, quod probum, ac bona comprobatum auctoritate, *veteris*, locumque ea parte tentavit, qua sanus est. Ac primo certissimum est *Ipsa cades*. *Ipsa* silva, quae opponitur *umbris*, h. e. frondibus. Ea in oppositione quod alicui videatur obscurum esse, id satis declarat explanatque poeta, quum addit, per appositionem, *v. d. f. ligna*. *Ipse* Petav. Thuan. Leid. Paris. III. IV. Angl. et editi inde a Romana II. cum cod. Bas. Vrat. II. Voss. II. ante Badium omnes. At *Ipsa* in Medic. August. Monac. I. II. Vratisl. I. Ascensianis, Scaligeranis, Pith. et recentioribus. Badii, qui de *Battaro* cogitabat *arbore*, observatio est: *alii tamen ipse legunt sed arboris nomen rectius foemininum ponitur sicut prius*: *optima sylvarum*. Et *Ipsa* nunc comparet in exemplo Lips. V. I. a manu Gl. cum glossa *tu battare*. In Mutinensi *Ipsae* editum, quod in utramque partem accipere licet. Deinde, quod ad intellectum loci praecipuum est, *Nequicquam* iungendum esse cum praecedentibus, praeter Scaligerum viderunt Badius, Glossator V. I. qui punctum post *cades*, colon post *Nequicquam* posuit; Wernsdorfius. Viderunt illud etiam Putschius, et nuper Silligius, sed vim faciunt loco: ille, dum *Nequicquam* vult idem esse quod *nequaquam*; hic, dum, artificiosa quadam explicatione, *succidet* verbum suppleri ad *Nequicquam* iubet. Mihi primum locus totus patuit more Lucretii observato, qui sic saepissime sententia cum praecedentibus iunctum *Nequicquam* in fronte ponit versus heroici. Qui mos non fugit I. Fr. Gronovium, ubi eumdem vocis eiusdem, et similium, *frustra*, *falso*, usum in Livio aliisque monstrat, ad Liv. XLII. LXIV. Annotavi locos Lucretii si non omnes, multos tamen: II. 1147. IV. 466. 1103. 1126. V. 844. 1230. 1270. 1312. 1331. ed. Wakef. Ad Lucretii igitur normam verba distinxi Catonis:

*Ipsa cades, veteris domini felicia ligna,*
*Nequicquam.*

h. e. olim me domino felicia, sed nequicquam felicia, quia olim fuere felicia, nunc non sunt. Simile ex parte illud Tibulli, I. I, 19.

*Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri*
*Custodes.*

Magis simile Virgilianum Ecl. I. 75.

*Ite meae felix quondam pecus, ite capellae.*

Cf. Cato sup. 10. *felicia rura. veteris domini*, ut apud Virgilium Ecl. XI. 4. *veteres migrate coloni.* Differt autem Cato nonnihil a Lucretio, partim eo, quod apud Catonem *Nequicquam* ad partem tantum sententiae, quae praecedit, scilicet ad *felicia*, refertur; apud Lucretium ad universam sententiam praecedentem, ut IV. 1102. 3.

*inspirant pressantes dentibus ora,*
*Nequicquam: quoniam nihil inde abradere possunt.*

V. 843. 4.

*Caetera de genere hoc monstra ac portenta creabat:*
*Nequicquam: quoniam Natura absterruit auctum.*

Partim eo, quod nullus inter *Nequicquam*, et verba quae sequuntur, *nostris potius d. libellis* etc. nexus caussalis est. Apud Lucretium quae voci *Nequicquam* subiicitur sententia, semper caussam reddit, per quam illud, quod esse aut fieri dixerat, *nequicquam*, frustra, sit. Unde est, quod apud Lucretium vocem *nequicquam* ubique excipit *quoniam*, apud alios *nam* particula. Non quod opus sit particula caussali: docuit enim Gronovius l. l. non opus esse, et omitti eam a Valerio Flacco VI. 250. et a Livio: at sententia ubique caussalis est. Apud nostrum non est. Nam ita procedunt sententiae: Spoliaberis, o silva, quum ferro succedet dextra militis impia, quumque primo frondes cadent, deinde ipsa tu cades, frustra quondam felix. Tum repente abominans tam foedam silvae succumbentis ferro militis imaginem, addit: antequam hoc fiat, h. e. antequam ferro militis succumbat silva, meis devota carminibus peribit, ac peribit ignibus eius, qui aluit ipsam, Iovis.

Quod Scaliger odio, ut puto, scripturae Aldinae *veteris* damnat, id praeter Aldinas, et quae has sequuntur, et praeter MS. qui dicitur Pierii, habent libri non contemnendi: Paris. III. Angl. Vrat. I. Mut. A quo non multum differt *iteris*, quod in Petav. et Thuaneo, Heinsio et Vossio Lassenoque testantibus, et in Paris. II. August. Monac. I. II. *ueris* Paris. IV. si recte lego compendium. Ex *iteris* factum *iterum*, quod in editis inde a Romana II. excepta Mutinensi, et in scriptis tribus illis, qui scripturam repraesentant vulgatam, legitur. In extremo versu *lignat* Paris. II. *regna* August. et Vrat. I. gratum Heinsio, si viveret, ἕρμαιον: nam hoc ipsum *regna* ille coniectura restituendum putabat. Qua in re observandum est, quum hoc coniiceret, non de arboribus cogitasse Heinsium; sed de colle agi, vel de villa, opinabatur. Quamquam etiam sic dubitare, an non debuerit ita coniici, poterit is, qui aliquid tempora atque ingenia inter se differre, et non debere Catoni omnes venustates Virgilianas obtrudi censuerit. Non nego tamen pervetustum esse illum vocis *regna* usum improprium. Namque ita Cicero ad Att. XIV. xvi. ut taceam de Orat. I. x, 41. et sim. Ut nos ac-

cipiendum esse Catonem docuimus, de arboribus, plane non potuit *regna* dici. At observandum est, *ligna* dici arbores. Horatius: *te triste* lignum, *te caducum* etc. Lucilius lib. XXVII. fragm. XII. ap. Nonium p. 74, 20. *Ardum, miserrimum, atque infelix* lignum *sambucum vocant.* nisi ibi sit *lignum* usitata significatione, in quo elaborat faber, vel ipsum quod e ligno factum opus: ut apud Petronium cap. CXIX. v. 30. *male nobile lignum*, de mensa citrea.

V. 34. *Nequiquam* Thuan. ap. Lassen. August. Monac. I. II. Quo modo hoc verbum saepe scribi in libris vetustis testis est Gifanius in Collect. Lucret. *Nec quicquam* cod. Basil. et hunc modum, vel *Nec quidquam*, in Lucretio probat Wakefieldius ad II. 1147. Sane sic proxime acceditur ad originem verbi: cf. Gronov. ad Liv. l. l. Deinde *potius* Scaliger revocavit rectissime, ut est in omni libro scripto, et in editis antiquioribus omnibus, inde a Romanis: nisi quod *potis* in Thuan. *pocius* in August. et Vrat. II. *toties* in paucis, et recentioribus, et quarum auctoritas nulla, ut Virg. Aldi, Taur. 1518. Bas. II. P. 1561. atque inde in Scaligeranis, Pithoei, al. Praeterea *toties* sensu caret. Quaeret fortasse aliquis, cur *libellis*, quum hoc primum *libello* devoveat silvam. Neque enim probabile est, camdem rem iam dictam in Indignatione fuisse. Scilicet hoc explicandum e versu gemino 26. Vides quam accurate haec sibi respondeant:

*multum nostris cantata libellis*
*nostris potius devota libellis.*

Quot olim carminibus celebraverat silvam, totidem se nunc exsecraturum esse eamdem minatur.

*deuote* Mon. I. II. Vrat. I. *deuota* Ven. Rub. *Ipse cades* tenebat Heinsius, de suo Battaro colle cogitans. Vel sic, e coniectura: *Villa cades.* deinde, ut dixi, *regna* coniecit, ex Virg. Ecl. I. 70. et v. 34. *toties* probat. *Ipsa cadas* laudat Burmannus in Ovid. Epist. XVI. 86.

V. 35. 6. IGNIBUS AETHEREIS FLAGRABIT. IUPPITER etc.

*Iuppiter hanc aluit*] Lege, *Iuppiter hanc alito.* Insultans in desperatione hoc dicit. Eadem figura: *Insere nunc Meliboee piros.* SCALIG. Graviter olim versus 35. laborabat distinctione. Veluti in Romanis, et Venetis antiquissimis tribus, punctum post *libellis*, rursus punctum post *ipse*. post *flagrabit* interpunctio nulla. Atque ad hunc modum interpretatur Badius. Correcta distinctio in Aldinis, et a Gloss. V. I. qui post *libellis* colon, post *flagrabis*, nam ita emendat ille, punctum; post *ipse* colon fecit.

Recte omnino Scaliger quem ad v. 33. audivimus, *flagrabit* revo-

*formosius*, de arbuto, eodem illo Propertii loco, I. ii, 11. Si ibi ferendum *formosius*, ut erit ferendum, quum nulla se satis commendet emendatio.

*Optima villarum*, coniectura Heinsii, qua longe aberrat a sensu loci.

V. 28. 9. TONDEBIS VIRIDES UMBRAS, NEC LAETA etc.

*Tondemus*] Lego,

*Non demum virides umbras, nec laeta comantes*
*Iactabis molles ramos inflantibus auris.*

Illud autem *molles* Graeci per ῥαδινὸν explicant. ut Virgilius: *Belgica vel molli melius feret esseda collo. molli*, ῥαδινῷ: ut ῥαδινῆς ἐπεμάξατο χειρὸς Homero. SCALIGER. Libri *Tondemus* unanimi consensu, nisi quod *Tundemus* in Thuan. ap. Lassen. Paris. II. Angl. August. *Tonderis* in Virgilio Aldi, et vetustis editionibus nescio quibus apud Wernsdorfium. *Non fundes* coniectura Boxhornii, quam receperunt Dilherrus, Arnoldus, Wernsdorfius, Eichstadius. Silligius prius: *Tu demas virides u.* nuper: *Tun' fundes v. u.* etc. cum interrogatione. Ad verum proxime accedit, quod ego ex Virgilio Aldi monstravi, *Tonderis*, ut nuper edidit Putschius. Etsi hoc ipsum non potest verum esse. Nam futurum poscit ordo, quem statim indicabo, sententiarum. Praeclare Gronovius apud Arnoldum, in variis lectionibus, *Tondebis* emendat. Incidit in eamdem emendationem Heinsius, sed obscurat bonum inventum, dum cumulat alia, *Tondenda eu*, *Conde nemus*, *Condet humus*; et ipsum illud *Tondebis* depravat, disperditque, ita scribendo: *Optima villarum*, — *Tondebis virides herbas.* Denique Wernsdorfio in mentem venit *Tondebis*, ut de me taceam. *Tondebis*, h. e. tondeberis: ut *Candidior postquam* tondenti *barba cadebat*, Virg. Ecl. I. 29. *Tondere* pro *tonderi*, potestate verbi Graecorum medii, satis usitate dicitur, neque ego I. H. Vossii ad Virg. Georg. III. 312. admonitioni, nuper Huschkio ad Tibull. III. i, 10. repetitae, multum tribuo, sed recte Vossium ad hunc Tibulli locum, et ad Carmen in Messal. 173. aliquid remisisse de severitate sua censeo. Ut enim de hominibus illud magis usitatum fuerit, num sequitur, non potuisse idem de animalibus, vel de re inanimata, dici? Quis tali in re modum praescribat poetae? Sed tamen apud Virgilium Georg. III. 312. praefero Vossii aliorumque explicationem, tamquam simpliciorem, etsi alteram agnoscit Priscianus VIII. 796. et in Tibulli loco elegantem quidem, sed non certam esse statuo emendationem Heinsii, *Pumice quae canas tondeat ante comas.* Caeterum *tonderi*, κείρεσθαι, de arboribus sollemne est. Illud velim observetur, facilem esse emendationem, *Tondemus*, *Tondebis.* Est quaedam affinitas soni in *b* et *m* litteris: unde permutari potuerunt. In Moreto v. 103.

ubi vulgo, et in libris meis: *color est e* (Voss. 81. et Mut. *ex*) *pluribus unus*, cod. Guelf. N. 342. Gud. corrupte *c. ē ī plurim*ꝰ *u.* Vulgatum apud Catonem *Tondemus* retinet Handius loco supra laud. non satis video quo sensu: nam Cato tamen non tondebat silvam suam, neque tonsurus erat, sed miles.

*umbras* in libris tantum non omnibus, praeter Aldinas, in quibus *herbas* manifesta interpolatione. Est tamen eadem in Voss. I. si f. s. et in Anglicano. Ex Aldinis *herbas* devenit in Venetas 1544. 1558. et in Basil. H. P. 1561. In marg. Antverp. Scalig. Pith. ita legitur: *frondeis*, *alias herbas.* ubi *frondeis* non scripturae varietatem, sed explicationem vocis *umbrae* esse arbitror. Et est bona explicatio: quam si tenuissent omnes, fortasse non natum foret *herbas*. *Umbras* Cato h. l. et v. 32. ipsas dicit frondes. Quo differt nonnihil ab aliorum locis poetarum, qui quum *umbram, viridem umbram,* dicunt, ut dicunt saepissime, ita dicere solent, ut ad notionem vocis *umbra* accedant propius. Ut in Ciri: *Florentis* viridi *Sophiae complectitur* umbra. Catull. Epith. P. et Th. 41. *Non falx attenuat frondatorum arboris* umbram. Valerius Flaccus III. 708. *Quae neque iam frondes*, virides *nec proferet* umbras. Cf. Virg. Ecl. IX. 20. Stat. Theb. VI. 91. Noster diserte *umbras* dixit pro ea re, quae facit umbras. *herbas* unice placebat Heinsio, sed festinanti, et ubique corruptelam odoranti. Si pedem sistere voluisset, sententiamque poetae circumspicere, vidisset, *herbas* prorsus alienas esse ab hoc loco, qui totus de silva est. Verum Heinsio etiam displicebat tam brevi intervallo v. 28. et 32. iteratum vocabulum *umbrae*.

Sic idem sequentia tentat ac vexat, quae libri satis constanter eo scripta modo exhibent, quo sunt a me edita. Sed *comantis* scripsi ex Augustano, pro vulgato *comantes*. et *comantis* in membranis apud Heinsium, h. e. in Petaviano et Thuaneo: quod facile credo Heinsio, etsi id apud me non annotatum est. Praeterea *lecta* in iisdem membranis, Heinsio teste. *laeta comantes ramos* bono Heinsius exemplo illustrat, Virgiliano, Georg. IV. 122. *nec sera comantem Narcissum. mollis* omnes, exceptis Paris. IV. et Anglicano, in quibus *molles*. Ut taceam ista Aldi aetate invecta *comanteis, molleis*. Accusativum esse certum est. De geminatis epithetis dissero Diss. III. Ea qui ferri posse negabat, Heinsius, sic constituendum esse locum coniicit: *nec laeta comantes Iactabis* collis *ramos i. a.* vel etiam *nec* lacte *comantes* etc. Nam *collem* fuisse Battarum opinabatur, tum quidem, Heinsius. *molles ramos* perbene Scaliger explicat ῥαδινούς. Sed locus, quem affert, Apollonii est III. 106. non Homeri; et ἐπεμάσσατο legitur ibi, non ἐπεμάξατο. Ex Latinis nihil ad Catonem accommodatius eo, quod Arnoldus affert, quum *mollia* dicuntur *brachia*.

*ne* pro *nec* Mon. II. *loeta* Angl. *leta* Paris. IV. Mon. I. Vrat. I. II. Rom. II. Ven. Ach. *conantes* Voss. II. Ven. 1482. *Iactibus* pro *Iactabis*, et *auras* in August. *ramis* Vrat. II.

V. 30. NEC MIHI SAEPE MEUM RESONABIT BATTARE CARMEN. Nihil variant libri. *Haec* Thuan. *resonabat* Brix. Ven. 1488. Mediol. 1501. Quod est vitium, ut *Battere* in Ven. Ach. Coniecturam tentavere viri docti, Tollius ap. Burm. et nuper Handius, quorum ille *resonabis* legebat, quod nunc est in exemplo Lips. Venetae Iens. a manu Gloss. Handius l. l. contraria ratione, sed eumdem in sensum, nostro versu retinet vulgatum *resonabit*, in praecedente emendat *Iactabit*: ut utrumque verbum ad silvam referatur. Ita similis oratio erit Virgilianae, *Formosam resonare doces Amaryllida silvas.* Poeta rudis quidem, sed tamen non prorsus ineptus, Anth. Lat. IV. CLXXII, 22. *Et tristis mecum resonabit carmen et Echo.* Ego neutrum probo, neque mutatione opus ulla est. Sententia ita procedit: Tondebis umbras, o silva, neque iactabis ramos, quum manus impia militis succedet ferro, et quum primo frondes ramosque amputatos habebis, deinde ipsa deleberis. Sed suspensa atque interrupta est sententia inserto versu intercalari, *Nec mihi saepe meum resonabit B. c.* Male omnes post *carmen* interpunctionem faciunt maximam, ut nova inde sententia inferatur talis: Quum manus militis ferro succedet, et quum umbrae cadent, ipsa cades. Quod falsum est. Quum enim umbrae, hoc est frondes, cadunt, atque exciduntur, non sequitur inde, silvam cadere. Silva tum demum cadit, quum exciduntur arbores ipsae, trunci. De versu intercalari cf. supra observata p. 25. Hoc loco in media sententia insertus est, per parenthesin: quo modo Moschus III. 41. et Theocritus I. 84. II. 105. Sed apud Theocritum narratio Simaethae, quod accuratius inspicienti patebit, tota ad eum modum composita est, ut versus intercalaris, *Φράζεό μευ τὸν ἔρωϑ' ὅϑεν ἵκετο, πότνα Σελάνα,* semper per parenthesin accipi debeat.

Ergo *resonabit* h. l. non est ea vi dictum, qua est apud Virgilium *Formosam resonare doces A. s.* sed est verbum neutrum: non amplius mihi resonabit, scilicet e silva mea, carmen meum. Sed *Battare* quomodo accipiendum sit hoc loco, nova atque ingeniosa interpretatione docet Tollius, ita: tu silvarum optima non resonabis (nam sic legit, ut iam monui) amplius meum carmen, cuius initium *Battare.* Itaque *Battare* h. l. non esse usitata et communi vocativi significatione, sed materialiter, ut aiunt, positum putabat. Ut, si ante oculos ponere mentem poetae velis, conservata scriptura vulgata, ut est conservanda haud dubie, ita accipienda sint verba: Nec mihi saepe resonabit carmen meum, quod ita sonabat: *Battare.* Similiter Propertius I. XVIII, 31.

*Sed qualiscumque es, resonent mihi* Cynthia *silvae.*

hoc est, resonent mihi silvae: *Cynthia. resonent* neutraliter, ut apud Catonem. Eodem modo Virgilius:

*ut littus* Hyla, Hyla, *omne sonaret.*

Ex eodem genere est, quod apud Propertium illo ipso carmine:

*Ah quoties teneras resonant mea verba sub umbras,*
*Scribitur et vestris* Cynthia *corticibus.*

quod est: et in corticibus vestris scribitur: *Cynthia.* id est nomen Cynthiae. Etsi ibi *Cynthia* non est vocativus, ut in caeteris exemplis, sed nominativus. Callimachus h. Apoll. 21.

ὁππότ' ἰὴ παιῆον, ἰὴ παιῆον, ἀκούσῃ.

et 97. *ἰὴ ἰὴ παιῆον ἀκούομεν.* Fuit quum eadem ratione explicabam, quod ibi v. 20. legitur: *οὐδὲ Θέτις Ἀχιλῆα κινύρεται αἴλινα μήτηρ,* neque super Achille Thetis mater lamentatur: *αἴλινα.* Nunc mihi, ut aliis, *αἴλινα* apud hunc poetam, et apud Moschum III. I, 14. accusativus videtur simpliciter esse, adiectivum pro adverbio, *flebile* lamentari. Scio multa huc posse praeter ea, quae apposui, referri alia: ut quae Bentleius indicat ad Horatianum *Io Bacche.* Nobis nunc unum addidisse sufficiet, Catonem inf. v. 88. ex nostra restitutione. Solent, quum explicant talia, Grammatici adhibere τὸ articulum: ut Scaliger ad Propert. I. XVIII, 31. Verum id nonnullis locis, ubi verbum est activum, ut *ἀκούσῃ, ἀκούομεν,* et *scribitur* loco Propertii altero, licet; non licet in reliquis, ubi verbum neutrum est cum vocativo.

Diffido tamen quantumvis ingeniosae explicationi Tollii, quum de *carmine,* quod sibi non amplius esse resonaturum Cato dicit, quaero ac reputo. Quodnam enim hoc *carmen* esse putabimus? *Diras*? Non potest. *Dirae* triste et exsecrabile carmen: hoc vero, *Nec mihi saepe meum resonabit B. carmen,* manifesto cum desiderio rei gratae iucundaeque ad memoriam dictum est. Igitur de aliis cogitat carminibus, rusticis, laetis, quae olim in silva, vel apud silvam, tranquillus praedii sui possessor, solebat canere. Hinc est, quod *saepe* dicit: quo plura significantur carmina, non unum saepe repetitum. Iam haec carmina quis credat omnia *Battare* sonuisse? *Diris* hoc proprium, quod ubique recurrit *Battarus.* In prioribus carminibus illis ut aliquam hic illic mentionem fuisse *Battari* minime nego, non tam crebra fuit, ut ab eo nomen trahere carmina potuerint. Quare *Battare* h. l. accipimus significatione vocativi communi illa, quae obtinet v. 1. 14. 54. alibi. Alloquitur autem Cato Battarum hoc loco propterea, quia carminum recordanti olim cantatorum, recurrit memoria eius, ad cuius fistulam canere illa solebat. Igitur hoc dicit, si licet, quod poetica brevitate poeta dixit, declarare ac dilatare verborum ambagibus: neque amplius mihi, quod

olim fiebat saepe, resonabit carmen meum, quod tu, o Battare, sequi avena solebas. Possis eamdem in sententiam, recepta Tollii et Gloss. V. I. coniectura, quae sane admodum per se facilis, ita legere:

*Nec mihi saepe meum resonabis Battare carmen.*

ut *resonabis* referatur ad Battarum, vimque habeat activam: nec saepe, ut antea, sequeris ac repetes avena carmen meum.

*Nec tibi saeve* coni. Heinsii. *sepe* Aug.

V. 31. MILITIS IMPIA QUOM SUCCEDET DEXTERA FERRO.

*Succedet*] *Succedere ferro*, ut *succedere oneri*. Malim tamen *succidet*. SCALIG. Non bene mutavit sententiam Scaliger, neque recentioribus criticis quae tanta visa sit virtus ac praestantia in *succidet* esse, intelligo. *succedet* Thuan. Paris. II. Angl. August. Monacensis uterque, Vratisl. I. Romana II. cum cod. Bas. et Vrat. II. Veneta Achat. Mutinensis, Ascensiana III. Aldina I. et reliquae pleraeque, ut Florent. Iunt. Lugd. 1529. Basil. 1543. *succedat* Paris. IV. *succedit* nihil nisi peccatum Venetarum Iensoni et Rubei est, quod post Rubei editionem obsedit multas, Vicentinam cum Voss. II. Venetam 1482. Venetam Burmanni, Brixiensem, et quae Rubeum sequuntur aliae, etiam Virg. Aldi, Ascens. I. et II. et Taur. 1518. Id Gloss. V. I. accipiebat tamquam *succaedit*: explicat enim *amputat*, et supplet *te. succidet* in paucis his: Medic. Voss. I. si f. s. MS. qui dicitur Pierii apud Burmannum, Aldina II. Ven. 1558. et hinc in marg. Antv. Scal. Pith. vetustum codicem, in quo *succidet* esse Heinsius dicit, eumdem suspicor esse, qui Burmanno MS. Pierii audit, hoc est, ut suo loco a me docebitur, codicem nullum. Qui *succidet* legunt, iis ex versu 29. supplendum est *te*: et sane facile supplebitur, praesertim ut nos locum constituimus, sublata post versum 30. interpunctione maxima: sed supplebitur cum damno sententiae. Non statim enim de silva excidenda ipsa cogitat: incipit ab excidio frondium; de silva sequitur demum versu 33. Itaque, ut nos legimus, *succedet*, rite omnia, ac suo ordine, procedunt: arripit miles ferrum, cadunt umbrae, h. e. rami cum frondibus; denique v. 33. arbores cadunt ipsae. Eleganter factum, quod haec duo, militem se armare ferro, et cadere umbras, statim inter se coniuncta sunt. Supplendum est cogitando, quod inter haec duo medium est: ire militem, et iniicere ferrum. Latuit viros doctos vis verbi *succedere*, quam iam assequutus est Badius: *succedet ferro. i. ad ferrum applicabitur.* Sic in editione III. In prima et secunda: *succedit — applicatur.* Quod confert Scaliger, *succedere oneri*, ex Virgilio est, Aen. II. 723. Addo Lucilium lib. XXX. fragm. VII. ap. Nonium p. 401, 17.

*Tune iugo iungas me ante, et* succedere aratro
*Invitum, et glebas subigas proscindere ferro*?

Id tantum requiritur, ut ea res, cui aliquis *succedat*, pondus habeat non contemnendum, utque ponatur in collo, sive humeris. Ut in versu Lucilii de iugo cogitandum, quod collo imponitur tauri. Manilius IV. 142. *submittit aratris Colla*: nisi ibi vera sit coniectura Bentleii *in astris*. Non bene aliquis *cultro succedere*, non bene fortasse frondator, vel dextra frondatoris, *falci*, aut, quo vocabulo Varro utitur in re simili, *forcipibus*, diceretur *succedere*. At apud Catonem *ferrum* haud dubie securis est: ac videor mihi videre militem, qui profecturus in silvam attollit securim, ponitque in humero. Varro Parmenone ap. Nonium p. 79, 19. in simili, ut videtur, descriptione:

*ferens ferream humero bipennem securim.*

vel, ut Scaliger Coni. in Varron. p. 120. HSt. ista probabiliter coniunxit cum alio apud Nonium fragmento:

— *alius*
*caballum arboris ramo in humili alligatum*
*relinquit, ferens ferream humero bipennem*
*securim.*

Quae alia ibi Scaliger ex aliis Nonii locis agglutinat, ex eadem descriptione esse facile largior, ac video numerum partim inesse, partim coniectura restitui posse eum, quo illa distincta exhibui, bacchiacum: quomodo inter se singula nectantur, non video. Probabile autem est, haec omnia alio, quam apud Scaligerum, scripta fuisse ordine: initio descriptionis illa, quae apposui, ea vero, quae Scaliger initio ponit, *Caeditur lucus* etc. postrema fuisse. Prius describebantur involantium in silvam impetus, habitus, instrumenta, tum cadere arbores singulas.

Alias excisarum silvarum arborumque descriptiones apud Ennium habes: *Incedunt arbusta per alta, securibus caedunt*, etc. et apud poetas, quos ibi Columna laudat p. 67. seq. ed. Hessel. Et similis fortasse fuit Ennii locus, ex quo Nonius p. 194, 23. hoc servavit: *buxus icta, taxus tonsa.* si vera est Merceri emendatio. Vulgo: *b. victa taxis t.* Denique huc referre Virgilium Ecl. IX. 9. licebit, si certum sit, *fracta cacumina fagos* esse vi hostili excisas, quod aliquando placebat Heynio. Idem ibi sentiebat Pomponius Sabinus. *manus impia* eodem modo dictum, de grassantibus tempore Virgilii militibus, a Foca Grammatico Anth. Lat. lib. II. CLXXXVI, 78. Si tamen eodem modo dictum. Certe ibid. v. 76. *violenta manus* ipsos significat milites.

*quom* cod. Bas. non ex antiquo fonte, puto, sed arbitrio librarii. *con* in Petaviano, teste Heinsio; et sic August. *consuccedet*.

Incredibile est, quas turbas dederit insolentior caesura *Militis impia cum.* Ea quum displiceret, iam librariis, quod valde memorabile est, interpolandi caussa fuit. *Impia cum militis succidet* Medic. *Militis in platanis succedet* Monac. I. II. Vratisl. I. Deinde viri docti non uno tentaverunt modo. *M. in quercum succedet* Boxhornius. *in pinum* Is. Vossius in marg. ed. Scalig. 1595. Multo violentius Heinsius: *Dextera succidet quam militis impia f.* ut locum scriptum laudat Burmannus in Anth. Lat. T. I. p. 369. et sic Francius, qui tamen *cum* servabat. Pro *quam* etiam *nunc* in mentem Heinsio venerat. et *te caedet* alio tempore. *Militis i. nunc succidet* Burmannus laudat infra ad v. 73. De caesura illa nos Diss. III. Habet nonnulla Arnoldus, sed valde confusa, ac praeterea ridiculus est, quum Catonem consulto, et singulari artificio, ita composuisse versum demonstrat.

De Thorone Milieno, Ario, quos hic sibi invenire videbantur Gloss. V. I. Domitius, Badius, satis dicimus Diss. I.

V. 32. FORMOSAEQUE CADENT UMBRAE, FORMOSIOR ILLIS. *cadunt* libri mei vetustiores fere omnes: Thuan. Paris. II. Angl. Aug. Mon. I. II. Vrat. I. et Veneta Iens. *cadent* ut sensus postulat, et futurum, quod praecedit: Romana II. cum cod. Bas. et Vrat. II. Mutinensis, Vicent. cum Voss. II. caeterae, etiam Aldinae, recentiores. *cadant* Ven. Achat. *cadunt* unus nuper tueri voluit Silligius, qui haec omnia usque ad *ligna* cum interrogatione pronunciari statuit. Graviore corruptela affectus Augustanus est, in quo sic conceptus versus:

*Formoseque cadunt umbrae cades illis*

*ipsis* pro *illis* Voss. I. *iliis* Mut. Non dissimilis conformatio est versus Virgiliani Ecl. V. 44.

*Formosi pecoris custos, formosior ipse.*

Cf. si placet, Burmannus in Ovid. Epist. XVI. 86. Non quaero autem, quo miles consilio primo ramos, tum arbores excidat ipsas: immane quiddam grassans in silvam miles describitur. Ac poteris, si videtur, ita rem proponere animo, ut aliarum arborum ramos tantum, alias excidat ipsas. *formosior ilex Ipsa cadet* coniectura Boxhornii. recordandum est, praecedentia ita emendare eumdem: *Militis in quercum succedet d. f.* Et hoc quidem, *formosior ilex Ipsa cades*, edidit Arnoldus.

V. 33. 4. IPSA CADES, VETERIS DOMINI FELICIA etc.

*Ipsa cades*] Lego:

*Ipsa cades: iterum domini felicis alumna*
*Necquicquam, nostris potius devota libellis*
*Ignibus aethereis flagrabit.* —

Nam ex veteribus editionibus *iterum*, et *potius*, in quorum vacuum venerant *veteris*, et *toties*, reposuimus. iterum alumnam suam silvam vocat, quod, ut verisimile est, iterum sata sit ab illo, et instituta. Sed id frustra, et nequicquam, inquit, cum ea potius devota nostris libellis ardeat oportet. Ego non dubito, quin propius a veritate absit haec coniectura nostra. SCALIGER. Non procul a vero abfuit. Sed dum non satis librorum ante oculos habet, respuit id, quod probum, ac bona comprobatum auctoritate, *veteris*, locumque ea parte tentavit, qua sanus est. Ac primo certissimum est *Ipsa cades*. *Ipsa* silva, quae opponitur *umbris*, h. e. frondibus. Ea in oppositione quod alicui videatur obscurum esse, id satis declarat explanatque poeta, quum addit, per appositionem, *v. d. f. ligna*. *Ipse* Petav. Thuan. Leid. Paris. III. IV. Angl. et editi inde a Romana II. cum cod. Bas. Vrat. II. Voss. II. ante Badium omnes. At *Ipsa* in Medic. August. Monac. I. II. Vratisl. I. Ascensianis, Scaligeranis, Pith. et recentioribus. Badii, qui de *Battaro* cogitabat *arbore*, observatio est: *alii tamen ipse legunt sed arboris nomen rectius foemininum ponitur sicut prius*: *optima sylvarum*. Et *Ipsa* nunc comparet in exemplo Lips. V. I. a manu Gl. cum glossa *tu battare*. In Mutinensi *Ipsae* editum, quod in utramque partem accipere licet. Deinde, quod ad intellectum loci praecipuum est, *Nequicquam* iungendum esse cum praecedentibus, praeter Scaligerum viderunt Badius, Glossator V. I. qui punctum post *cades*, colon post *Nequicquam* posuit; Wernsdorfius. Viderunt illud etiam Putschius, et nuper Silligius, sed vim faciunt loco: ille, dum *Nequicquam* vult idem esse quod *nequaquam*; hic, dum, artificiosa quadam explicatione, *succidet* verbum suppleri ad *Nequicquam* iubet. Mihi primum locus totus patuit more Lucretii observato, qui sic saepissime sententia cum praecedentibus iunctum *Nequicquam* in fronte ponit versus heroici. Qui mos non fugit I. Fr. Gronovium, ubi eumdem vocis eiusdem, et similium, *frustra*, *falso*, usum in Livio aliisque monstrat, ad Liv. XLII. LXIV. Annotavi locos Lucretii si non omnes, multos tamen: II. 1147. IV. 466. 1103. 1126. V. 844. 1230. 1270. 1312. 1331. ed. Wakef. Ad Lucretii igitur normam verba distinxi Catonis:

> *Ipsa cades, veteris domini felicia ligna,*
> *Nequicquam.*

h. e. olim me domino felicia, sed nequicquam felicia, quia olim fuere felicia, nunc non sunt. Simile ex parte illud Tibulli, I. I, 19.

> *Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri*
> *Custodes.*

Magis simile Virgilianum Ecl. I. 75.

> *Ite meae felix quondam pecus, ite capellae.*

Cf. Cato sup. 10. *felicia rura. veteris domini*, ut apud Virgilium Ecl. XI. 4. *veteres migrate coloni.* Differt autem Cato nonnihil a Lucretio, partim eo, quod apud Catonem *Nequicquam* ad partem tantum sententiae, quae praecedit, scilicet ad *felicia*, refertur; apud Lucretium ad universam sententiam praecedentem, ut IV. 1102. 3.

*inspirant pressantes dentibus ora,*
*Nequicquam: quoniam nihil inde abradere possunt.*

V. 843. 4.

*Caetera de genere hoc monstra ac portenta creabat:*
*Nequicquam: quoniam Natura absterruit auctum.*

Partim eo, quod nullus inter *Nequicquam*, et verba quae sequuntur, *nostris potius d. libellis* etc. nexus caussalis est. Apud Lucretium quae voci *Nequicquam* subiicitur sententia, semper caussam reddit, per quam illud, quod esse aut fieri dixerat, *nequicquam*, frustra, sit. Unde est, quod apud Lucretium vocem *nequicquam* ubique excipit *quoniam*, apud alios *nam* particula. Non quod opus sit particula caussali: docuit enim Gronovius l. l. non opus esse, et omitti eam a Valerio Flacco VI. 250. et a Livio: at sententia ubique caussalis est. Apud nostrum non est. Nam ita procedunt sententiae: Spoliaberis, o silva, quum ferro succedet dextra militis impia, quumque primo frondes cadent, deinde ipsa tu cades, frustra quondam felix. Tum repente abominans tam foedam silvae succumbentis ferro militis imaginem, addit: antequam hoc fiat, h. e. antequam ferro militis succumbat silva, meis devota carminibus peribit, ac peribit ignibus eius, qui aluit ipsam, Iovis.

Quod Scaliger odio, ut puto, scripturae Aldinae *veteris* damnat, id praeter Aldinas, et quae has sequuntur, et praeter MS. qui dicitur Pierii, habent libri non contemnendi: Paris. III. Angl. Vrat. I. Mut. A quo non multum differt *iteris*, quod in Petav. et Thuaneo, Heinsio et Vossio Lassenoque testantibus, et in Paris. II. August. Monac. I. II. *ueris* Paris. IV. si recte lego compendium. Ex *iteris* factum *iterum*, quod in editis inde a Romana II. excepta Mutinensi, et in scriptis tribus illis, qui scripturam repraesentant vulgatam, legitur. In extremo versu *lignat* Paris. II. *regna* August. et Vrat. I. gratum Heinsio, si viveret, ἕρμαιον: nam hoc ipsum *regna* ille coniectura restituendum putabat. Qua in re observandum est, quum hoc coniiceret, non de arboribus cogitasse Heinsium; sed de colle agi, vel de villa, opinabatur. Quamquam etiam sic dubitare, an non debuerit ita coniici, poterit is, qui aliquid tempora atque ingenia inter se differre, et non debere Catoni omnes venustates Virgilianas obtrudi censuerit. Non nego tamen pervetustum esse illum vocis *regna* usum improprium. Namque ita Cicero ad Att. XIV. xvi. ut taceam de Orat. I. x, 41. et sim. Ut nos ac-

cipiendum esse Catonem docuimus, de arboribus, plane non potuit *regna* dici. At observandum est, *ligna* dici arbores. Horatius: *te triste* lignum, *te caducum* etc. Lucilius lib. XXVII. fragm. xii. ap. Nonium p. 74, 20. *Ardum, miserrimum, atque infelix* lignum *sambucum vocant.* nisi ibi sit *lignum* usitata significatione, in quo elaborat faber, vel ipsum quod e ligno factum opus: ut apud Petronium cap. cxix. v. 30. *male nobile lignum*, de mensa citrea.

V. 34. *Nequiquam* Thuan. ap. Lassen. August. Monac. I. II. Quo modo hoc verbum saepe scribi in libris vetustis testis est Gifanius in Collect. Lucret. *Nec quicquam* cod. Basil. et hunc modum, vel *Nec quidquam*, in Lucretio probat Wakefieldius ad II. 1147. Sane sic proxime acceditur ad originem verbi: cf. Gronov. ad Liv. l. l. Deinde *potius* Scaliger revocavit rectissime, ut est in omni libro scripto, et in editis antiquioribus omnibus, inde a Romanis: nisi quod *potis* in Thuan. *pocius* in August. et Vrat. II. *toties* in paucis, et recentioribus, et quarum auctoritas nulla, ut Virg. Aldi, Taur. 1518. Bas. II. P. 1561. atque inde in Scaligeranis, Pithoei, al. Praeterea *toties* sensu caret. Quaeret fortasse aliquis, cur *libellis*, quum hoc primum *libello* devoveat silvam. Neque enim probabile est, eamdem rem iam dictam in Indignatione fuisse. Scilicet hoc explicandum e versu gemino 26. Vides quam accurate haec sibi respondeant:

*multum nostris cantata libellis*
*nostris potius devota libellis.*

Quot olim carminibus celebraverat silvam, totidem se nunc exsecraturum esse eamdem minatur.

*deuote* Mon. I. II. Vrat. I. *deuota* Ven. Rub. *Ipse cades* tenebat Heinsius, de suo Battaro colle cogitans. Vel sic, e coniectura: *Villa cades.* deinde, ut dixi, *regna* coniecit, ex Virg. Ecl. I. 70. et v. 34. *toties* probat. *Ipsa cadas* laudat Burmannus in Ovid. Epist. XVI. 86.

V. 35. 6. IGNIBUS AETHEREIS FLAGRABIT. IUPPITER etc.

*Iuppiter hanc aluit*] Lege, *Iuppiter hanc alito.* Insultans in desperatione hoc dicit. Eadem figura: *Insere nunc Meliboee piros.* SCALIG. Graviter olim versus 35. laborabat distinctione. Veluti in Romanis, et Venetis antiquissimis tribus, punctum post *libellis*, rursus punctum post *ipse*. post *flagrabit* interpunctio nulla. Atque ad hunc modum interpretatur Badius. Correcta distinctio in Aldinis, et a Gloss. V. I. qui post *libellis* colon, post *flagrabis*, nam ita emendat ille, punctum; post *ipse* colon fecit.

Recte omnino Scaliger quem ad v. 33. audivimus, *flagrabit* revo-

cavit. Transitum facit poeta a secunda persona ad tertiam. Nam quum usque ad hunc locum alloquutus esset silvam, *Tondebis*, *lactabis*, *cades*, nunc pergit: *nostris potius d. l. flagrabit* scil. silva. Aptissime autem, quantum sentio, transitum loco fecit eo, quo ex dolore vertitur in iram, et in furorem imprecandi. Neque *flagrabunt* scripsit, sed, quod multo concinnius, *flagrabit*: decebat enim notioni primariae, silva, accommodare verbum, non voci secundariae *ligna*. Itaque emendationem non felicem esse arbitror, quod in Aldinis, et ex Aldinis in MS. qui dicitur Pierii, et in Ven. 1544. 1555. 1558. Antv. 1556. Bas. II. P. 1561. Scaligg. Pith. al. legitur, *flagrabunt*. *flagrabit* reliquae inde a Romanis, et libri scripti, nulla nisi vitiorum varietate: ut *flagrabat* in Anglicano; *flagravit* in uno apud Heinsium, qui videtur Petavianus esse, nam in Thuan. *flagrabit* legitur. Solus Voss. I. si f. s. confirmabat scripturam Aldinam. Ego vero, si quid mutandum esset, praeferrem Gl. V. I. emendationem *flagrabis*. Qui sint *ignes aetherei*, docet proxima mentio Iovis: fulmina dicit poeta. Mox v. 52. *Iovis ignibus*. Scripsi autem *aethereis*, ut in Augustano, et reliquis, quantum quidem constat, plerisque, etiam olim editis. *aetheriis* in Mon. I. Vrat. I. Virg. Aldi, Taur. 1518. Aldinis, et post Aldinas aliis.

Deinde quod sequentia attinet, verbis *cinis haec tibi fiat oportet*, apostrophen fieri ad Iovem manifestum est. Verum ea apostrophe, ut ante nos haec circumferebantur distincta a Gloss. V. I. et in Scaligeranis, aliis, et nuperrime a Putschio:

*Iuppiter ipse,*
*Iuppiter hanc aluit*: *cinis haec tibi f. o.*

obscura erat, non statim cuivis percipienda. Iam nos, etsi paullo duriorem esse hunc poetam optime scimus, et ipsi infra Ecl. 45. apostrophen restituturi sumus fortasse non statim omnibus perspicuam, tamen, ubi corrigenda interpunctione fieri poterat, lubenter adiuvimus perspicuitatem. Attigit veram explicationem Wernsdorfius, qui verba *Iuppiter hanc aluit* parenthesi esse includenda monet. Recte. At eadem parenthesi etiam *ipse* comprehendi debuerat. Ut a me factum. *o Iuppiter*: *nam ipse Iuppiter hanc aluit*: *cinis haec tibi fiat oportet*. Male Wernsdorfius ita accipit parenthesin: *quamquam ille hanc aluit*. Immo sententia haec: qui aluerit silvam, ab eodem esse delendam, non manu militis. Habes coniunctas unum in locum, quas valde amat Cato figuras duas, apostrophen et parenthesin. *Alit* autem Iuppiter, ut alia, ita silvas, coelo benigno: unde non male Badius et Domitius *Iovem* interpretantur *aera*. *alit* pluvia: quam in rem Arnoldus Virgilium laudat Georg. II. 325. qui locus expressus ex Lucretio. *alit* sole, et calore modico: unde mox de silva eadem: *Quum tua* cyaneo resplendens aethere

*silva.* Propter caesuram post pedem quintum cf. inf. Ecl. 25. 28. Laudat hunc versum 36. et versum 46. Broukhusius in Propert. II. xiii, 46. p. 165. a. Verum aliter Cato his locis voc. *cinis* utitur, aliter Tibullus I. x, 12. Cato enim proprie, quum de comburenda silva dicat.

*aliud* Mon. I. II. Vrat. I. Praeterea nihil variant libri. *fiet* Mut. vitiose. *Iuppiter* Augustanus; *Iupiter* Paris. IV. Mon. II. Romanae cum cod. Bas. Vrat. II. et Mut. In Voss. II. desunt versus tres 35. 36. 37. sed reliquit librarius spatium trium versuum. Denique coniecturae hae sunt. *Ignibus aeth. flagrabunt. Iuppiter ipse, Iuppiter* incaluit: Boxhornii. *incaluit*, id est, fulmen parat. *tibi* ad Battarum fluvium referebat Boxhornius. Heinsii: *Ignibus aeth. flagrabis*, ut ad Battarum extendatur oratio aut *flagrabunt* cum Aldina. vel *Ignibus* Aetnaeis *flagranto*, vel *flagrato*. et v. 36. *labefiat*, vel *tepefiat*. Tollius, recepta coniectura Scaligeri, ita: — *iterum*: *domini felicis alumna Nequidquam*, *n. potius d. libellis*, *I. ae. flagrabis. Iupiter*, *ipse Iupiter hanc* adflet: *cinis* hac *tibi f. o.* hoc sensu: *iterum*, id est, repetamus hoc carmen, non sufficit mihi, te succidi dextra militis, oportet ipse te Iupiter fulmine suo adflet et accendat. vel *adfla* potius, ne *adflet* et *oportet* versum leoninum auribus ingerat. Haec Tollius apud Burmannum: in quibus illud *non sufficit mihi*, prorsus adversatur menti poetae. *sibi* coniecturam, pro *tibi*, Silligius commemorat. an Eichstadii? Nam de parenthesi illud vidit quidem, ut ex Putschio intelligo, sed non amplexus est Eichstadius.

V. 37. THRECIS TUM BOREAE SPIRENT IMMANIA VIRES. Consistit in contemplatione tempestatis, per quam perire silva debeat, et alia affert ex natura rerum, quae tum vult accidere. Itaque ventos vocat in societatem incendii. Intelligit autem ventos, non qui praecedunt fulmina Iovis, sed furentes, dum ardet silva. Nam versibus 40. 41. non primum incidens fulmen, initiumque incendii, sed ipsum iam gliscens longe lateque iteratis fulminibus incendium silvae significari patet. Igitur ventos commemorat, partim, quia augent incendium venti, partim ut ignem, disturbatum insania ventorum aera, caliginem a nubibus super impendentibus, in unam formidolosam coniungat imaginem.

*Threcis* Heinsius ad Ovid. Epist. XIX. 26. ita profert ex Petaviano, ut praeferre videatur, et ediderunt Eichstadius, Putschius. et nos reposuimus propter magnum librorum scriptorum consensum. Formam poeticam dixeris cum Ernesto ad Cic. de Provinciis Consular. II, 4. Etsi hoc paullo accuratius considerandum est, siquidem quibus Heinsius l. l. exemplis utitur, ut *Threcen* Art. am. II. 588. et Amor. I. xiv, 21. *Threcia Bacche*, id tantum probant, in usu fuisse poetis latinis has formas, *Threce*, *Threcius*, non item probant, iisdem usitatam fuisse

*ne* pro *nec* Mon. II. *loeta* Angl. *leta* Paris. IV. Mon. I. Vrat. I. II. Rom. II. Ven. Ach. *conantes* Voss. II. Ven. 1482. *Iactibus* pro *Iactabis*, et *auras* in August. *ramis* Vrat. II.

V. 30. NEC MIHI SAEPE MEUM RESONABIT BATTARE CARMEN. Nihil variant libri. *Haec* Thuan. *resonabat* Brix. Ven. 1488. Mediol. 1501. Quod est vitium, ut *Battere* in Ven. Ach. Coniecturam tentavere viri docti, Tollius ap. Burm. et nuper Handius, quorum ille *resonabis* legebat, quod nunc est in exemplo Lips. Venetae Iens. a manu Gloss. Handius l. l. contraria ratione, sed eumdem in sensum, nostro versu retinet vulgatum *resonabit*, in praecedente emendat *Iactabit*: ut utrumque verbum ad silvam referatur. Ita similis oratio erit Virgilianae, *Formosam resonare doces Amaryllida silvas.* Poeta rudis quidem, sed tamen non prorsus ineptus, Anth. Lat. IV. CLXXII, 22. *Et tristis mecum resonabit carmen et Echo.* Ego neutrum probo, neque mutatione opus ulla est. Sententia ita procedit: Tondebis umbras, o silva, neque iactabis ramos, quum manus impia militis succedet ferro, et quum primo frondes ramosque amputatos habebis, deinde ipsa deleberis. Sed suspensa atque interrupta est sententia inserto versu intercalari, *Nec mihi saepe meum resonabit B. c.* Male omnes post *carmen* interpunctionem faciunt maximam, ut nova inde sententia inferatur talis: Quum manus militis ferro succedet, et quum umbrae cadent, ipsa cades. Quod falsum est. Quum enim umbrae, hoc est frondes, cadunt, atque exciduntur, non sequitur inde, silvam cadere. Silva tum demum cadit, quum exciduntur arbores ipsae, trunci. De versu intercalari cf. supra observata p. 25. Hoc loco in media sententia insertus est, per parenthesin: quo modo Moschus III. 41. et Theocritus I. 84. II. 105. Sed apud Theocritum narratio Simaethae, quod accuratius inspicienti patebit, tota ad eum modum composita est, ut versus intercalaris, *Φράζεό μευ τὸν ἔρωθ' ὅθεν ἵκετο, πότνα Σελάνα,* semper per parenthesin accipi debeat.

Ergo *resonabit* h. l. non est ea vi dictum, qua est apud Virgilium *Formosam resonare doces A. s.* sed est verbum neutrum: non amplius mihi resonabit, scilicet e silva mea, carmen meum. Sed *Battare* quomodo accipiendum sit hoc loco, nova atque ingeniosa interpretatione docet Tollius, ita: tu silvarum optima non resonabis (nam sic legit, ut iam monui) amplius meum carmen, cuius initium *Battare.* Itaque *Battare* h. l. non esse usitata et communi vocativi significatione, sed materialiter, ut aiunt, positum putabat. Ut, si ante oculos ponere mentem poetae velis, conservata scriptura vulgata, ut est conservanda haud dubie, ita accipienda sint verba: Nec mihi saepe resonabit carmen meum, quod ita sonabat: *Battare.* Similiter Propertius I. XVIII, 31.

*Sed qualiscumque es, resonent mihi* Cynthia *silvae.*

hoc est, resonent mihi silvae: *Cynthia. resonent* neutraliter, ut apud Catonem. Eodem modo Virgilius:

*ut littus* Hyla, Hyla, *omne sonaret.*

Ex eodem genere est, quod apud Propertium illo ipso carmine:

*Ah quoties teneras resonant mea verba sub umbras,*
*Scribitur et vestris* Cynthia *corticibus.*

quod est: et in corticibus vestris scribitur: *Cynthia.* id est nomen Cynthiae. Etsi ibi *Cynthia* non est vocativus, ut in caeteris exemplis, sed nominativus. Callimachus h. Apoll. 21.

ὁππότ' ἰὴ παιῆον, ἰὴ παιῆον, ἀκούσῃ.

et 97. *ἰὴ ἰὴ παιῆον ἀκούομεν.* Fuit quum eadem ratione explicabam, quod ibi v. 20. legitur: *οὐδὲ Θέτις Ἀχιλῆα κινύρεται αἴλινα μήτηρ,* neque super Achille Thetis mater lamentatur: *αἴλινα.* Nunc mihi, ut aliis, *αἴλινα* apud hunc poetam, et apud Moschum III. I, 14. accusativus videtur simpliciter esse, adiectivum pro adverbio, *flebile* lamentari. Scio multa huc posse praeter ea, quae apposui, referri alia: ut quae Bentleius indicat ad Horatianum *Io Bacche.* Nobis nunc unum addidisse sufficiet, Catonem inf. v. 88. ex nostra restitutione. Solent, quum explicant talia, Grammatici adhibere *τὸ* articulum: ut Scaliger ad Propert. I. XVIII, 31. Verum id nonnullis locis, ubi verbum est activum, ut *ἀκούσῃ, ἀκούομεν*, et *scribitur* loco Propertii altero, licet; non licet in reliquis, ubi verbum neutrum est cum vocativo.

Diffido tamen quantumvis ingeniosae explicationi Tollii, quum de *carmine*, quod sibi non amplius esse resonaturum Cato dicit, quaero ac reputo. Quodnam enim hoc *carmen* esse putabimus? *Diras*? Non potest. *Dirae* triste et exsecrabile carmen: hoc vero, *Nec mihi saepe meum resonabit B. carmen*, manifesto cum desiderio rei gratae iucundaeque ad memoriam dictum est. Igitur de aliis cogitat carminibus, rusticis, laetis, quae olim in silva, vel apud silvam, tranquillus praedii sui possessor, solebat canere. Hinc est, quod *saepe* dicit: quo plura significantur carmina, non unum saepe repetitum. Iam haec carmina quis credat omnia *Battare* sonuisse? *Diris* hoc proprium, quod ubique recurrit *Battarus.* In prioribus carminibus illis ut aliquam hic illic mentionem fuisse *Battari* minime nego, non tam crebra fuit, ut ab eo nomen trahere carmina potuerint. Quare *Battare* h. l. accipimus significatione vocativi communi illa, quae obtinet v. 1. 14. 54. alibi. Alloquitur autem Cato Battarum hoc loco propterea, quia carminum recordanti olim cantatorum, recurrit memoria eius, ad cuius fistulam canere illa solebat. Igitur hoc dicit, si licet, quod poetica brevitate poeta dixit, declarare ac dilatare verborum ambagibus: neque amplius mihi, quod

olim fiebat saepe, resonabit carmen meum, quod tu, o Battare, sequi avena solebas. Possis eamdem in sententiam, recepta Tollii et Gloss. V. I. coniectura, quae sane admodum per se facilis, ita legere:

*Nec mihi saepe meum resonabis Battare carmen.*

ut *resonabis* referatur ad Battarum, vimque habeat activam: nec saepe, ut antea, sequeris ac repetes avena carmen meum.

*Nec tibi saeve* coni. Heinsii. *sepe* Aug.

V. 31. MILITIS IMPIA QUOM SUCCEDET DEXTERA FERRO.

*Succedet*] *Succedere ferro*, ut *succedere oneri*. Malim tamen *succidet*. SCALIG. Non bene mutavit sententiam Scaliger, neque recentioribus criticis quae tanta visa sit virtus ac praestantia in *succidet* esse, intelligo. *succedet* Thuan. Paris. II. Angl. August. Monacensis uterque, Vratisl. I. Romana II. cum cod. Bas. et Vrat. II. Veneta Achat. Mutinensis, Ascensiana III. Aldina I. et reliquae pleraeque, ut Florent. Iunt. Lugd. 1529. Basil. 1543. *succedat* Paris. IV. *succedit* nihil nisi peccatum Venetarum Iensoni et Rubei est, quod post Rubei editionem obsedit multas, Vicentinam cum Voss. II. Venetam 1482. Venetam Burmanni, Brixiensem, et quae Rubeum sequuntur aliae, etiam Virg. Aldi, Ascens. I. et II. et Taur. 1518. Id Gloss. V. I. accipiebat tamquam *succaedit*: explicat enim *amputat*, et supplet *te*. *succidet* in paucis his: Medic. Voss. I. si f. s. MS. qui dicitur Pierii apud Burmannum, Aldina II. Ven. 1558. et hinc in marg. Antv. Scal. Pith. vetustum codicem, in quo *succidet* esse Heinsius dicit, eumdem suspicor esse, qui Burmanno MS. Pierii audit, hoc est, ut suo loco a me docebitur, codicem nullum. Qui *succidet* legunt, iis ex versu 29. supplendum est *te*: et sane facile supplebitur, praesertim ut nos locum constituimus, sublata post versum 30. interpunctione maxima: sed supplebitur cum damno sententiae. Non statim enim de silva excidenda ipsa cogitat: incipit ab excidio frondium; de silva sequitur demum versu 33. Itaque, ut nos legimus, *succedet*, rite omnia, ac suo ordine, procedunt: arripit miles ferrum, cadunt umbrae, h. e. rami cum frondibus; denique v. 33. arbores cadunt ipsae. Eleganter factum, quod haec duo, militem se armare ferro, et cadere umbras, statim inter se coniuncta sunt. Supplendum est cogitando, quod inter haec duo medium est: ire militem, et iniicere ferrum. Latuit viros doctos vis verbi *succedere*, quam iam assequutus est Badius: *succedet ferro. i. ad ferrum applicabitur.* Sic in editione III. In prima et secunda: *succedit — applicatur.* Quod confert Scaliger, *succedere oneri*, ex Virgilio est, Aen. II. 723. Addo Lucilium lib. XXX. fragm. VII. ap. Nonium p. 401, 17.

*Tune iugo iungas me ante, et* succedere aratro
*Invitum, et glebas subigas proscindere ferro?*

Id tantum requiritur, ut ea res, cui aliquis *succedat*, pondus habeat non contemnendum, utque ponatur in collo, sive humeris. Ut in versu Lucilii de iugo cogitandum, quod collo imponitur tauri. Manilius IV. 142. *submittit aratris Colla*: nisi ibi vera sit coniectura Bentleii *in astris*. Non bene aliquis *cultro succedere*, non bene fortasse frondator, vel dextra frondatoris, *falci*, aut, quo vocabulo Varro utitur in re simili, *forcipibus*, diceretur *succedere*. At apud Catonem *ferrum* haud dubie securis est: ac videor mihi videre militem, qui profecturus in silvam attollit securim, ponitque in humero. Varro Parmenone ap. Nonium p. 79, 19. in simili, ut videtur, descriptione:

*ferens ferream humero bipennem securim.*

vel, ut Scaliger Coni. in Varron. p. 120. HSt. ista probabiliter coniunxit cum alio apud Nonium fragmento:

— *alius*
*caballum arboris ramo in humili alligatum*
*relinquit*, *ferens ferream humero bipennem*
*securim*.

Quae alia ibi Scaliger ex aliis Nonii locis agglutinat, ex eadem descriptione esse facile largior, ac video numerum partim inesse, partim coniectura restitui posse eum, quo illa distincta exhibui, bacchiacum: quomodo inter se singula nectantur, non video. Probabile autem est, haec omnia alio, quam apud Scaligerum, scripta fuisse ordine: initio descriptionis illa, quae apposui, ea vero, quae Scaliger initio ponit, *Caeditur lucus* etc. postrema fuisse. Prius describebantur involantium in silvam impetus, habitus, instrumenta, tum cadere arbores singulas.

Alias excisarum silvarum arborumque descriptiones apud Ennium habes: *Incedunt arbusta per alta, securibus caedunt*, etc. et apud poetas, quos ibi Columna laudat p. 67. seq. ed. Hessel. Et similis fortasse fuit Ennii locus, ex quo Nonius p. 194, 23. hoc servavit: *buxus icta*, *taxus tonsa*. si vera est Merceri emendatio. Vulgo: *b. victa taxis t.* Denique huc referre Virgilium Ecl. IX. 9. licebit, si certum sit, *fracta cacumina fagos* esse vi hostili excisas, quod aliquando placebat Heynio. Idem ibi sentiebat Pomponius Sabinus. *manus impia* eodem modo dictum, de grassantibus tempore Virgilii militibus, a Foca Grammatico Anth. Lat. lib. II. CLXXXVI, 78. Si tamen eodem modo dictum. Certe ibid. v. 76. *violenta manus* ipsos significat milites.

*quom* cod. Bas. non ex antiquo fonte, puto, sed arbitrio librarii. *con* in Petaviano, teste Heinsio; et sic August. *consuccedet*.

Incredibile est, quas turbas dederit insolentior caesura *Militis impia cum.* Ea quum displiceret, iam librariis, quod valde memorabile est, interpolandi caussa fuit. *Impia cum militis succidet* Medic. *Militis in platanis succedet* Monac. I. II. Vratisl. I. Deinde viri docti non uno tentaverunt modo. *M. in quercum succedet* Boxhornius. *in pinum* Is. Vossius in marg. ed. Scalig. 1595. Multo violentius Heinsius: *Dextera succidet quam militis impia f.* ut locum scriptum laudat Burmannus in Anth. Lat. T. I. p. 369. et sic Francius, qui tamen *cum* servabat. Pro *quam* etiam *nunc* in mentem Heinsio venerat. et *te caedet* alio tempore. *Militis i. nunc succidet* Burmannus laudat infra ad v. 73. De caesura illa nos Diss. III. Habet nonnulla Arnoldus, sed valde confusa, ac praeterea ridiculus est, quum Catonem consulto, et singulari artificio, ita composuisse versum demonstrat.

De Thorone Milieno, Ario, quos hic sibi invenire videbantur Gloss. V. I. Domitius, Badius, satis dicimus Diss. I.

V. 32. FORMOSAEQUE CADENT UMBRAE, FORMOSIOR ILLIS. *cadunt* libri mei vetustiores fere omnes: Thuan. Paris. II. Angl. Aug. Mon. I. II. Vrat. I. et Veneta Iens. *cadent* ut sensus postulat, et futurum, quod praecedit: Romana II. cum cod. Bas. et Vrat. II. Mutinensis, Vicent. cum Voss. II. caeterae, etiam Aldinae, recentiores. *cadant* Ven. Achat. *cadunt* unus nuper tueri voluit Silligius, qui haec omnia usque ad *ligna* cum interrogatione pronunciari statuit. Graviore corruptela affectus Augustanus est, in quo sic conceptus versus:

*Formoseque cadunt umbrae cades illis*

*ipsis* pro *illis* Voss. I. *iliis* Mut. Non dissimilis conformatio est versus Virgiliani Ecl. V. 44.

*Formosi pecoris custos, formosior ipse.*

Cf. si placet, Burmannus in Ovid. Epist. XVI. 86. Non quaero autem, quo miles consilio primo ramos, tum arbores excidat ipsas: immane quiddam grassans in silvam miles describitur. Ac poteris, si videtur, ita rem proponere animo, ut aliarum arborum ramos tantum, alias excidat ipsas. *formosior ilex Ipsa cadet* coniectura Boxhornii. recordandum est, praecedentia ita emendare eumdem: *Militis in quercum succedet d. f.* Et hoc quidem, *formosior ilex Ipsa cades*, edidit Arnoldus.

V. 33. 4. IPSA CADES, VETERIS DOMINI FELICIA etc. *Ipsa cades*] Lego:

*Ipsa cades: iterum domini felicis alumna*
*Necquicquam, nostris potius devota libellis*
*Ignibus aethereis flagrabit.* —

Nam ex veteribus editionibus *iterum*, et *potius*, in quorum vacuum venerant *veteris*, et *toties*, reposuimus. iterum alumnam suam silvam vocat, quod, ut verisimile est, iterum sata sit ab illo, et instituta. Sed id frustra, et nequicquam, inquit, cum ea potius devota nostris libellis ardeat oportet. Ego non dubito, quin propius a veritate absit haec coniectura nostra. SCALIGER. Non procul a vero abfuit. Sed dum non satis librorum ante oculos habet, respuit id, quod probum, ac bona comprobatum auctoritate, *veteris*, locumque ea parte tentavit, qua sanus est. Ac primo certissimum est *Ipsa cades*. *Ipsa* silva, quae opponitur *umbris*, h. e. frondibus. Ea in oppositione quod alicui videatur obscurum esse, id satis declarat explanatque poeta, quum addit, per appositionem, *v. d. f. ligna*. *Ipse* Petav. Thuan. Leid. Paris. III. IV. Angl. et editi inde a Romana II. cum cod. Bas. Vrat. II. Voss. II. ante Badium omnes. At *Ipsa* in Medic. August. Monac. I. II. Vratisl. I. Ascensianis, Scaligeranis, Pith. et recentioribus. Badii, qui de *Battaro* cogitabat *arbore*, observatio est: *alii tamen ipse legunt sed arboris nomen rectius foemininum ponitur sicut prius*: *optima sylvarum*. Et *Ipsa* nunc comparet in exemplo Lips. V. I. a manu Gl. cum glossa *tu battare*. In Mutinensi *Ipsae* editum, quod in utramque partem accipere licet. Deinde, quod ad intellectum loci praecipuum est, *Nequicquam* iungendum esse cum praecedentibus, praeter Scaligerum viderunt Badius, Glossator V. I. qui punctum post *cades*, colon post *Nequicquam* posuit; Wernsdorfius. Viderunt illud etiam Putschius, et nuper Silligius, sed vim faciunt loco: ille, dum *Nequicquam* vult idem esse quod *nequaquam*; hic, dum, artificiosa quadam explicatione, *succidet* verbum suppleri ad *Nequicquam* iubet. Mihi primum locus totus patuit more Lucretii observato, qui sic saepissime sententia cum praecedentibus iunctum *Nequicquam* in fronte ponit versus heroici. Qui mos non fugit I. Fr. Gronovium, ubi eumdem vocis eiusdem, et similium, *frustra*, *falso*, usum in Livio aliisque monstrat, ad Liv. XLII. LXIV. Annotavi locos Lucretii si non omnes, multos tamen: II. 1147. IV. 466. 1103. 1126. V. 844. 1230. 1270. 1312. 1331. ed. Wakef. Ad Lucretii igitur normam verba distinxi Catonis:

> *Ipsa cades, veteris domini felicia ligna,*
> *Nequicquam.*

h. e. olim me domino felicia, sed nequicquam felicia, quia olim fuere felicia, nunc non sunt. Simile ex parte illud Tibulli, I. I, 19.

> *Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri*
> *Custodes.*

Magis simile Virgilianum Ecl. I. 75.

> *Ite meae felix quondam pecus, ite capellae.*

Cf. Cato sup. 10. *felicia rura*. *veteris domini*, ut apud Virgilium Ecl. XI. 4. *veteres migrate coloni*. Differt autem Cato nonnihil a Lucretio, partim eo, quod apud Catonem *Nequicquam* ad partem tantum sententiae, quae praecedit, scilicet ad *felicia*, refertur; apud Lucretium ad universam sententiam praecedentem, ut IV. 1102. 3.

*inspirant pressantes dentibus ora,*
*Nequicquam*: *quoniam nihil inde abradere possunt.*

V. 843. 4.

*Caetera de genere hoc monstra ac portenta creabat*:
*Nequicquam* : *quoniam Natura absterruit auctum*.

Partim eo, quod nullus inter *Nequicquam*, et verba quae sequuntur, *nostris potius d. libellis* etc. nexus caussalis est. Apud Lucretium quae voci *Nequicquam* subiicitur sententia, semper caussam reddit, per quam illud, quod esse aut fieri dixerat, *nequicquam*, frustra, sit. Unde est, quod apud Lucretium vocem *nequicquam* ubique excipit *quoniam*, apud alios *nam* particula. Non quod opus sit particula caussali: docuit enim Gronovius l. l. non opus esse, et omitti eam a Valerio Flacco VI. 250. et a Livio: at sententia ubique caussalis est. Apud nostrum non est. Nam ita procedunt sententiae: Spoliaberis, o silva, quum ferro succedet dextra militis impia, quumque primo frondes cadent, deinde ipsa tu cades, frustra quondam felix. Tum repente abominans tam foedam silvae succumbentis ferro militis imaginem, addit: antequam hoc fiat, h. e. antequam ferro militis succumbat silva, meis devota carminibus peribit, ac peribit ignibus eius, qui aluit ipsam, Iovis.

Quod Scaliger odio, ut puto, scripturae Aldinae *veteris* damnat, id praeter Aldinas, et quae has sequuntur, et praeter MS. qui dicitur Pierii, habent libri non contemnendi: Paris. III. Angl. Vrat. I. Mut. A quo non multum differt *iteris*, quod in Petav. et Thuaneo, Heinsio et Vossio Lassenoque testantibus, et in Paris. II. August. Monac. I. II. *ueris* Paris. IV. si recte lego compendium. Ex *iteris* factum *iterum*, quod in editis inde a Romana II. excepta Mutinensi, et in scriptis tribus illis, qui scripturam repraesentant vulgatam, legitur. In extremo versu *lignat* Paris. II. *regna* August. et Vrat. I. gratum Heinsio, si viveret, ἕρμαιον: nam hoc ipsum *regna* ille coniectura restituendum putabat. Qua in re observandum est, quum hoc coniiceret, non de arboribus cogitasse Heinsium; sed de colle agi, vel de villa, opinabatur. Quamquam etiam sic dubitare, an non debuerit ita coniici, poterit is, qui aliquid tempora atque ingenia inter se differre, et non debere Catoni omnes venustates Virgilianas obtrudi censuerit. Non nego tamen pervetustum esse illum vocis *regna* usum improprium. Namque ita Cicero ad Att. XIV. xvi. ut taceam de Orat. I. x, 41. et sim. Ut nos ac-

cipiendum esse Catonem docuimus, de arboribus, plane non potuit *regna* dici. At observandum est, *ligna* dici arbores. Horatius: *te triste* lignum, *te caducum* etc. Lucilius lib. XXVII. fragm. XII. ap. Nonium p. 74, 20. *Ardum, miserrimum, atque infelix* lignum *sambucum vocant.* nisi ibi sit *lignum* usitata significatione, in quo elaborat faber, vel ipsum quod e ligno factum opus: ut apud Petronium cap. CXIX. v. 30. *male nobile lignum*, de mensa citrea.

V. 34. *Nequiquam* Thuan. ap. Lassen. August. Monac. I. II. Quo modo hoc verbum saepe scribi in libris vetustis testis est Gifanius in Collect. Lucret. *Nec quicquam* cod. Basil. et hunc modum, vel *Nec quidquam*, in Lucretio probat Wakefieldius ad II. 1147. Sane sic proxime acceditur ad originem verbi: cf. Gronov. ad Liv. I. I. Deinde *potius* Scaliger revocavit rectissime, ut est in omni libro scripto, et in editis antiquioribus omnibus, inde a Romanis: nisi quod *potis* in Thuan. *pocius* in August. et Vrat. II. *toties* in paucis, et recentioribus, et quarum auctoritas nulla, ut Virg. Aldi, Taur. 1518. Bas. H. P. 1561. atque inde in Scaligeranis, Pithoei, al. Praeterea *toties* sensu caret. Quaeret fortasse aliquis, cur *libellis*, quum hoc primum *libello* devoveat silvam. Neque enim probabile est, eamdem rem iam dictam in Indignatione fuisse. Scilicet hoc explicandum e versu gemino 26. Vides quam accurate haec sibi respondeant:

*multum nostris cantata libellis*
*nostris potius devota libellis.*

Quot olim carminibus celebraverat silvam, totidem se nunc exsecraturum esse camdem minatur.

*deuote* Mon. I. II. Vrat. I. *deuota* Ven. Rub. *Ipse cades* tenebat Heinsius, de suo Battaro colle cogitans. Vel sic, e coniectura: *Villa cades.* deinde, ut dixi, *regna* coniecit, ex Virg. Ecl. I. 70. et v. 34. *toties* probat. *Ipsa cadas* laudat Burmannus in Ovid. Epist. XVI. 86.

V. 35. 6. IGNIBUS AETHEREIS FLAGRABIT. IUPPITER etc.

*Iuppiter hanc aluit*] Lege, *Iuppiter hanc alito.* Insultans in desperatione hoc dicit. Eadem figura: *Insere nunc Meliboee piros.* SCALIG. Graviter olim versus 35. laborabat distinctione. Veluti in Romanis, et Venetis antiquissimis tribus, punctum post *libellis*, rursus punctum post *ipse*. post *flagrabit* interpunctio nulla. Atque ad hunc modum interpretatur Badius. Correcta distinctio in Aldinis, et a Gloss. V. I. qui post *libellis* colon, post *flagrabis*, nam ita emendat ille, punctum; post *ipse* colon fecit.

Recte omnino Scaliger quem ad v. 33. audivimus, *flagrabit* revo-

cavit. Transitum facit poeta a secunda persona ad tertiam. Nam quum usque ad hunc locum alloquutus esset silvam, *Tondebis, lactabis, cades*, nunc pergit: *nostris potius d. l. flagrabit* scil. silva. Aptissime autem, quantum sentio, transitum loco fecit eo, quo ex dolore vertitur in iram, et in furorem imprecandi. Neque *flagrabunt* scripsit, sed, quod multo concinnius, *flagrabit*: decebat enim notioni primariae, silva, accommodare verbum, non voci secundariae *ligna*. Itaque emendationem non felicem esse arbitror, quod in Aldinis, et ex Aldinis in MS. qui dicitur Pierii, et in Ven. 1544. 1555. 1558. Antv. 1556. Bas. II. P. 1561. Scaligg. Pith. al. legitur, *flagrabunt*. *flagrabit* reliquae inde a Romanis, et libri scripti, nulla nisi vitiorum varietate: ut *flagrabat* in Anglicano; *flagravit* in uno apud Heinsium, qui videtur Petavianus esse, nam in Thuan. *flagrabit* legitur. Solus Voss. I. si f. s. confirmabat scripturam Aldinam. Ego vero, si quid mutandum esset, praeferrem Gl. V. I. emendationem *flagrabis*. Qui sint *ignes aetherei*, docet proxima mentio Iovis: fulmina dicit poeta. Mox v. 52. *Iovis ignibus*. Scripsi autem *aethereis*, ut in Augustano, et reliquis, quantum quidem constat, plerisque, etiam olim editis. *aetheriis* in Mon. I. Vrat. I. Virg. Aldi, Taur. 1518. Aldinis, et post Aldinas aliis.

Deinde quod sequentia attinet, verbis *cinis haec tibi fiat oportet*, apostrophen fieri ad Iovem manifestum est. Verum ea apostrophe, ut ante nos haec circumferebantur distincta a Gloss. V. I. et in Scaligeranis, aliis, et nuperrime a Putschio:

*Iuppiter ipse,*
*Iuppiter hanc aluit: cinis haec tibi f. o.*

obscura erat, non statim cuivis percipienda. Iam nos, etsi paullo duriorem esse hunc poetam optime scimus, et ipsi infra Ecl. 45. apostrophen restituturi sumus fortasse non statim omnibus perspicuam, tamen, ubi corrigenda interpunctione fieri poterat, lubenter adiuvimus perspicuitatem. Attigit veram explicationem Wernsdorfius, qui verba *Iuppiter hanc aluit* parenthesi esse includenda monet. Recte. At eadem parenthesi etiam *ipse* comprehendi debuerat. Ut a me factum. *o Iuppiter*: *nam ipse Iuppiter hanc aluit*: *cinis haec tibi fiat oportet*. Male Wernsdorfius ita accipit parenthesin: *quamquam ille hanc aluit*. Immo sententia haec: qui aluerit silvam, ab eodem esse delendam, non manu militis. Habes coniunctas unum in locum, quas valde amat Cato figuras duas, apostrophen et parenthesin. *Alit* autem Iuppiter, ut alia, ita silvas, coelo benigno: unde non male Badius et Domitius *Iovem* interpretantur *aera*. *alit* pluvia: quam in rem Arnoldus Virgilium laudat Georg. II. 325. qui locus expressus ex Lucretio. *alit* sole, et calore modico: unde mox de silva eadem: *Quum tua* cyaneo resplendens aethere

*silva.* Propter caesuram post pedem quintum cf. inf. Ecl. 25. 28. Laudat hunc versum 36. et versum 46. Broukhusius in Propert. II. xiii, 46. p. 165. a. Verum aliter Cato his locis voc. *cinis* utitur, aliter Tibullus I. x, 12. Cato enim proprie, quum de comburenda silva dicat.

*aliud* Mon. I. II. Vrat. I. Praeterea nihil variant libri. *fiet* Mut. vitiose. *Iuppiter* Augustanus; *Iupiter* Paris. IV. Mon. II. Romanae cum cod. Bas. Vrat. II. et Mut. In Voss. II. desunt versus tres 35. 36. 37. sed reliquit librarius spatium trium versuum. Denique coniecturae hae sunt. *Ignibus aeth. flagrabunt. Iuppiter ipse, Iuppiter* incaluit: Boxhornii. *incaluit*, id est, fulmen parat. *tibi* ad Battarum fluvium referebat Boxhornius. Heinsii: *Ignibus aeth. flagrabis*, ut ad Battarum extendatur oratio aut *flagrabunt* cum Aldina. vel *Ignibus* Aetnaeis *flagranto*, vel *flagrato*. et v. 36. *labefiat*, vel *tepefiat*. Tollius, recepta coniectura Scaligeri, ita: — *iterum*: *domini felicis alumna Nequidquam, n. potius d. libellis, I. ae. flagrabis. Iupiter, ipse Iupiter hanc* adflet: *cinis* hac *tibi f. o.* hoc sensu: *iterum*, id est, repetamus hoc carmen, non sufficit mihi, te succidi dextra militis, oportet ipse te Iupiter fulmine suo adflet et accendat. vel *adfla* potius, ne *adflet* et *oportet* versum leoninum auribus ingerat. Haec Tollius apud Burmannum: in quibus illud *non sufficit mihi,* prorsus adversatur menti poetae. *sibi* coniecturam, pro *tibi,* Silligius commemorat. an Eichstadii? Nam de parenthesi illud vidit quidem, ut ex Putschio intelligo, sed non amplexus est Eichstadius.

V. 37. THRECIS TUM BOREAE SPIRENT IMMANIA VIRES. Consistit in contemplatione tempestatis, per quam perire silva debeat, et alia affert ex natura rerum, quae tum vult accidere. Itaque ventos vocat in societatem incendii. Intelligit autem ventos, non qui praecedunt fulmina Iovis, sed furentes, dum ardet silva. Nam versibus 40. 41. non primum incidens fulmen, initiumque incendii, sed ipsum iam gliscens longe lateque iteratis fulminibus incendium silvae significari patet. Igitur ventos commemorat, partim, quia augent incendium venti, partim ut ignem, disturbatum insania ventorum aera, caliginem a nubibus super impendentibus, in unam formidolosam coniungat imaginem.

*Threcis* Heinsius ad Ovid. Epist. XIX. 26. ita profert ex Petaviano, ut praeferre videatur, et ediderunt Eichstadius, Putschius. et nos reposuimus propter magnum librorum scriptorum consensum. Formam poeticam dixeris cum Ernesto ad Cic. de Provinciis Consular. II, 4. Etsi hoc paullo accuratius considerandum est, siquidem quibus Heinsius l. l. exemplis utitur, ut *Threcen* Art. am. II. 588. et Amor. I. xiv, 21. *Threcia Bacche*, id tantum probant, in usu fuisse poetis latinis has formas, *Threce*, *Threcius*, non item probant, iisdem usitatam fuisse

*ne* pro *nec* Mon. II. *loeta* Angl. *leta* Paris. IV. Mon. I. Vrat. I. II. Rom. II. Ven. Ach. *conantes* Voss. II. Ven. 1482. *Iactibus* pro *Iactabis*, et *auras* in August. *ramis* Vrat. II.

V. 30. NEC MIHI SAEPE MEUM RESONABIT BATTARE CARMEN. Nihil variant libri. *Haec* Thuan. *resonabat* Brix. Ven. 1488. Mediol. 1501. Quod est vitium, ut *Battere* in Ven. Ach. Coniecturam tentavere viri docti, Tollius ap. Burm. et nuper Handius, quorum ille *resonabis* legebat, quod nunc est in exemplo Lips. Venetae Iens. a manu Gloss. Handius l. l. contraria ratione, sed eumdem in sensum, nostro versu retinet vulgatum *resonabit*, in praecedente emendat *Iactabit*: ut utrumque verbum ad silvam referatur. Ita similis oratio erit Virgilianae, *Formosam resonare doces Amaryllida silvas.* Poeta rudis quidem, sed tamen non prorsus ineptus, Anth. Lat. IV. CLXXII, 22. *Et tristis mecum resonabit carmen et Echo.* Ego neutrum probo, neque mutatione opus ulla est. Sententia ita procedit: Tondebis umbras, o silva, neque iactabis ramos, quum manus impia militis succedet ferro, et quum primo frondes ramosque amputatos habebis, deinde ipsa deleberis. Sed suspensa atque interrupta est sententia inserto versu intercalari, *Nec mihi saepe meum resonabit B. c.* Male omnes post *carmen* interpunctionem faciunt maximam, ut nova inde sententia inferatur talis: Quum manus militis ferro succedet, et quum umbrae cadent, ipsa cades. Quod falsum est. Quum enim umbrae, hoc est frondes, cadunt, atque exciduntur, non sequitur inde, silvam cadere. Silva tum demum cadit, quum exciduntur arbores ipsae, trunci. De versu intercalari cf. supra observata p. 25. Hoc loco in media sententia insertus est, per parenthesin: quo modo Moschus III. 41. et Theocritus I. 84. II. 105. Sed apud Theocritum narratio Simaethae, quod accuratius inspicienti patebit, tota ad eum modum composita est, ut versus intercalaris, *Φράζεό μευ τὸν ἔρωθ' ὅθεν ἵκετο, πότνα Σελάνα*, semper per parenthesin accipi debeat.

Ergo *resonabit* h. l. non est ea vi dictum, qua est apud Virgilium *Formosam resonare doces A. s.* sed est verbum neutrum: non amplius mihi resonabit, scilicet e silva mea, carmen meum. Sed *Battare* quomodo accipiendum sit hoc loco, nova atque ingeniosa interpretatione docet Tollius, ita: tu silvarum optima non resonabis (nam sic legit, ut iam monui) amplius meum carmen, cuius initium *Battare.* Itaque *Battare* h. l. non esse usitata et communi vocativi significatione, sed materialiter, ut aiunt, positum putabat. Ut, si ante oculos ponere mentem poetae velis, conservata scriptura vulgata, ut est conservanda haud dubie, ita accipienda sint verba: Nec mihi saepe resonabit carmen meum, quod ita sonabat: *Battare.* Similiter Propertius I. XVIII, 31.

*Sed qualiscumque es, resonent mihi* Cynthia *silvae.*
hoc est, resonent mihi silvae: *Cynthia. resonent* neutraliter, ut apud Catonem. Eodem modo Virgilius:

*ut littus* Hyla, Hyla, *omne sonaret.*

Ex eodem genere est, quod apud Propertium illo ipso carmine:

*Ah quoties teneras resonant mea verba sub umbras,*
*Scribitur et vestris* Cynthia *corticibus.*

quod est: et in corticibus vestris scribitur: *Cynthia.* id est nomen Cynthiae. Etsi ibi *Cynthia* non est vocativus, ut in caeteris exemplis, sed nominativus. Callimachus h. Apoll. 21.

ὁππότ' ἰὴ παιῆον, ἰὴ παιῆον, ἀκούσῃ.

et 97. *ἰὴ ἰὴ παιῆον ἀκούομεν.* Fuit quum eadem ratione explicabam, quod ibi v. 20. legitur: *οὐδὲ Θέτις Ἀχιλῆα κινύρεται αἴλινα μήτηρ,* neque super Achille Thetis mater lamentatur: *αἴλινα.* Nunc mihi, ut aliis, *αἴλινα* apud hunc poetam, et apud Moschum III. 1, 14. accusativus videtur simpliciter esse, adiectivum pro adverbio, *flebile* lamentari. Scio multa huc posse praeter ea, quae apposui, referri alia: ut quae Bentleius indicat ad Horatianum *Io Bacche.* Nobis nunc unum addidisse sufficiet, Catonem inf. v. 88. ex nostra restitutione. Solent, quum explicant talia, Grammatici adhibere *τὸ* articulum: ut Scaliger ad Propert. I. XVIII, 31. Verum id nonnullis locis, ubi verbum est activum, ut *ἀκούσῃ, ἀκούομεν,* et *scribitur* loco Propertii altero, licet; non licet in reliquis, ubi verbum neutrum est cum vocativo.

Diffido tamen quantumvis ingeniosae explicationi Tollii, quum de *carmine,* quod sibi non amplius esse resonaturum Cato dicit, quaero ac reputo. Quodnam enim hoc *carmen* esse putabimus? *Diras*? Non potest. *Dirae* triste et exsecrabile carmen: hoc vero, *Nec mihi saepe meum resonabit B. carmen,* manifesto cum desiderio rei gratae iucundaeque ad memoriam dictum est. Igitur de aliis cogitat carminibus, rusticis, laetis, quae olim in silva, vel apud silvam, tranquillus praedii sui possessor, solebat canere. Hinc est, quod *saepe* dicit: quo plura significantur carmina, non unum saepe repetitum. Iam haec carmina quis credat omnia *Battare* sonuisse? *Diris* hoc proprium, quod ubique recurrit *Battarus.* In prioribus carminibus illis ut aliquam hic illic mentionem fuisse *Battari* minime nego, non tam crebra fuit, ut ab eo nomen trahere carmina potuerint. Quare *Battare* h. l. accipimus significatione vocativi communi illa, quae obtinet v. 1. 14. 54. alibi. Alloquitur autem Cato Battarum hoc loco propterea, quia carminum recordanti olim cantatorum, recurrit memoria eius, ad cuius fistulam canere illa solebat. Igitur hoc dicit, si licet, quod poetica brevitate poeta dixit, declarare ac dilatare verborum ambagibus: neque amplius mihi, quod

olim fiebat saepe, resonabit carmen meum, quod tu, o Battare, sequi avena solebas. Possis eamdem in sententiam, recepta Tollii et Gloss. V. I. coniectura, quae sane admodum per se facilis, ita legere:

*Nec mihi saepe meum resonabis Battare carmen.*

ut *resonabis* referatur ad Battarum, vimque habeat activam: nec saepe, ut antea, sequeris ac repetes avena carmen meum.

*Nec tibi saeve* coni. Heinsii. *sepe* Aug.

V. 31. MILITIS IMPIA QUOM SUCCEDET DEXTERA FERRO.

*Succedet*] *Succedere ferro, ut succedere oneri.* Malim tamen *succidet.* SCALIG. Non bene mutavit sententiam Scaliger, neque recentioribus criticis quae tanta visa sit virtus ac praestantia in *succidet* esse, intelligo. *succedet* Thuan. Paris. II. Angl. August. Monacensis uterque, Vratisl. I. Romana II. cum cod. Bas. et Vrat. II. Veneta Achat. Mutinensis, Ascensiana III. Aldina I. et reliquae pleraeque, ut Florent. Iunt. Lugd. 1529. Basil. 1543. *succedat* Paris. IV. *succedit* nihil nisi peccatum Venetarum Iensoni et Rubei est, quod post Rubei editionem obsedit multas, Vicentinam cum Voss. II. Venetam 1482. Venetam Burmanni, Brixiensem, et quae Rubeum sequuntur aliae, etiam Virg. Aldi, Ascens. I. et II. et Taur. 1518. Id Gloss. V. I. accipiebat tamquam *succaedit*: explicat enim *amputat*, et supplet *te. succidet* in paucis his: Medic. Voss. I. si f. s. MS. qui dicitur Pierii apud Burmannum, Aldina II. Ven. 1558. et hinc in marg. Antv. Scal. Pith. vetustum codicem, in quo *succidet* esse Heinsius dicit, eumdem suspicor esse, qui Burmanno MS. Pierii audit, hoc est, ut suo loco a me docebitur, codicem nullum. Qui *succidet* legunt, iis ex versu 29. supplendum est *te*: et sane facile supplebitur, praesertim ut nos locum constituimus, sublata post versum 30. interpunctione maxima: sed supplebitur cum damno sententiae. Non statim enim de silva excidenda ipsa cogitat: incipit ab excidio frondium; de silva sequitur demum versu 33. Itaque, ut nos legimus, *succedet*, rite omnia, ac suo ordine, procedunt: arripit miles ferrum, cadunt umbrae, h. e. rami cum frondibus; denique v. 33. arbores cadunt ipsae. Eleganter factum, quod haec duo, militem se armare ferro, et cadere umbras, statim inter se coniuncta sunt. Supplendum est cogitando, quod inter haec duo medium est: ire militem, et iniicere ferrum. Latuit viros doctos vis verbi *succedere*, quam iam assequutus est Badius: *succedet ferro. i. ad ferrum applicabitur.* Sic in editione III. In prima et secunda: *succedit — applicatur.* Quod confert Scaliger, *succedere oneri*, ex Virgilio est, Aen. II. 723. Addo Lucilium lib. XXX. fragm. VII. ap. Nonium p. 401, 17.

*Tune iugo iungas me ante, et* succedere aratro
*Invitum, et glebas subigas proscindere ferro*?

Id tantum requiritur, ut ea res, cui aliquis *succedat*, pondus habeat non contemnendum, utque ponatur in collo, sive humeris. Ut in versu Lucilii de iugo cogitandum, quod collo imponitur tauri. Manilius IV. 142. *submittit aratris Colla*: nisi ibi vera sit coniectura Bentleii *in astris*. Non bene aliquis *cultro succedere*, non bene fortasse frondator, vel dextra frondatoris, *falci*, aut, quo vocabulo Varro utitur in re simili, *forcipibus*, diceretur *succedere*. At apud Catonem *ferrum* haud dubie securis est: ac videor mihi videre militem, qui profecturus in silvam attollit securim, ponitque in humero. Varro Parmenone ap. Nonium p. 79, 19. in simili, ut videtur, descriptione:

*ferens ferream humero bipennem securim.*

vel, ut Scaliger Coni. in Varron. p. 120. HSt. ista probabiliter coniunxit cum alio apud Nonium fragmento:

— *alius*
*caballum arboris ramo in humili alligatum*
*relinquit, ferens ferream humero bipennem*
*securim.*

Quae alia ibi Scaliger ex aliis Nonii locis agglutinat, ex eadem descriptione esse facile largior, ac video numerum partim inesse, partim coniectura restitui posse eum, quo illa distincta exhibui, bacchiacum: quomodo inter se singula nectantur, non video. Probabile autem est, haec omnia alio, quam apud Scaligerum, scripta fuisse ordine: initio descriptionis illa, quae apposui, ea vero, quae Scaliger initio ponit, *Caeditur lucus* etc. postrema fuisse. Prius describebantur involantium in silvam impetus, habitus, instrumenta, tum cadere arbores singulas.

Alias excisarum silvarum arborumque descriptiones apud Ennium habes: *Incedunt arbusta per alta, securibus caedunt*, etc. et apud poetas, quos ibi Columna laudat p. 67. seq. ed. Hessel. Et similis fortasse fuit Ennii locus, ex quo Nonius p. 194, 23. hoc servavit: *buxus icta, taxus tonsa.* si vera est Merceri emendatio. Vulgo: *b. victa taxis t.* Denique huc referre Virgilium Ecl. IX. 9. licebit, si certum sit, *fracta cacumina fagos* esse vi hostili excisas, quod aliquando placebat Heynio. Idem ibi sentiebat Pomponius Sabinus. *manus impia* eodem modo dictum, de grassantibus tempore Virgilii militibus, a Foca Grammatico Anth. Lat. lib. II. CLXXXVI, 78. Si tamen eodem modo dictum. Certe ibid. v. 76. *violenta manus* ipsos significat milites.

*quom* cod. Bas. non ex antiquo fonte, puto, sed arbitrio librarii. *con* in Petaviano, teste Heinsio; et sic August. *consuccedet.*

Incredibile est, quas turbas dederit insolentior caesura *Militis impia cum.* Ea quum displiceret, iam librariis, quod valde memorabile est, interpolandi caussa fuit. *Impia cum militis succidet* Medic. *Militis in platanis succedet* Monac. I. II. Vratisl. I. Deinde viri docti non uno tentaverunt modo. *M. in quercum succedet* Boxhornius. *in pinum* Is. Vossius in marg. ed. Scalig. 1595. Multo violentius Heinsius: *Dextera succidet quam militis impia f.* ut locum scriptum laudat Burmannus in Anth. Lat. T. I. p. 369. et sic Francius, qui tamen *cum* servabat. Pro *quam* etiam *nunc* in mentem Heinsio venerat. et *te caedet* alio tempore. *Militis i. nunc succidet* Burmannus laudat infra ad v. 73. De caesura illa nos Diss. III. Habet nonnulla Arnoldus, sed valde confusa, ac praeterea ridiculus est, quum Catonem consulto, et singulari artificio, ita composuisse versum demonstrat.

De Thorone Milieno, Ario, quos hic sibi invenire videbantur Gloss. V. I. Domitius, Badius, satis dicimus Diss. I.

V. 32. FORMOSAEQUE CADENT UMBRAE, FORMOSIOR ILLIS. *cadunt* libri mei vetustiores fere omnes: Thuan. Paris. II. Angl. Aug. Mon. I. II. Vrat. I. et Veneta Iens. *cadent* ut sensus postulat, et futurum, quod praecedit: Romana II. cum cod. Bas. et Vrat. II. Mutinensis, Vicent. cum Voss. II. caeterae, etiam Aldinae, recentiores. *cadant* Ven. Achat. *cadunt* unus nuper tueri voluit Silligius, qui haec omnia usque ad *ligna* cum interrogatione pronunciari statuit. Graviore corruptela affectus Augustanus est, in quo sic conceptus versus:

*Formoseque cadunt umbrae cades illis*

*ipsis* pro *illis* Voss. I. *iliis* Mut. Non dissimilis conformatio est versus Virgiliani Ecl. V. 44.

*Formosi pecoris custos, formosior ipse.*

Cf. si placet, Burmannus in Ovid. Epist. XVI. 86. Non quaero autem, quo miles consilio primo ramos, tum arbores excidat ipsas: immane quiddam grassans in silvam miles describitur. Ac poteris, si videtur, ita rem proponere animo, ut aliarum arborum ramos tantum, alias excidat ipsas. *formosior ilex Ipsa cadet* coniectura Boxhornii. recordandum est, praecedentia ita emendare eumdem: *Militis in quercum succedet d. f.* Et hoc quidem, *formosior ilex Ipsa cades*, edidit Arnoldus.

V. 33. 4. IPSA CADES, VETERIS DOMINI FELICIA etc.
*Ipsa cades*] Lego:

*Ipsa cades: iterum domini felicis alumna*
*Necquicquam, nostris potius devota libellis*
*Ignibus aethereis flagrabit. —*

Nam ex veteribus editionibus *iterum*, et *potius*, in quorum vacuum venerant *veteris*, et *toties*, reposuimus. iterum alumnam suam silvam vocat, quod, ut verisimile est, iterum sata sit ab illo, et instituta. Sed id frustra, et nequicquam, inquit, cum ea potius devota nostris libellis ardeat oportet. Ego non dubito, quin propius a veritate absit haec coniectura nostra. SCALIGER. Non procul a vero abfuit. Sed dum non satis librorum ante oculos habet, respuit id, quod probum, ac bona comprobatum auctoritate, *veteris*, locumque ea parte tentavit, qua sanus est. Ac primo certissimum est *Ipsa cades*. *Ipsa* silva, quae opponitur *umbris*, h. e. frondibus. Ea in oppositione quod alicui videatur obscurum esse, id satis declarat explanatque poeta, quum addit, per appositionem, *v. d. f. ligna*. *Ipse* Petav. Thuan. Leid. Paris. III. IV. Angl. et editi inde a Romana II. cum cod. Bas. Vrat. II. Voss. II. ante Badium omnes. At *Ipsa* in Medic. August. Monac. I. II. Vratisl. I. Ascensianis, Scaligeranis, Pith. et recentioribus. Badii, qui de *Battaro* cogitabat *arbore*, observatio est: *alii tamen ipse legunt sed arboris nomen rectius foemininum ponitur sicut prius*: *optima sylvarum*. Et *Ipsa* nunc comparet in exemplo Lips. V. I. a manu Gl. cum glossa *tu battare*. In Mutinensi *Ipsae* editum, quod in utramque partem accipere licet. Deinde, quod ad intellectum loci praecipuum est, *Nequicquam* iungendum esse cum praecedentibus, praeter Scaligerum viderunt Badius, Glossator V. I. qui punctum post *cades*, colon post *Nequicquam* posuit; Wernsdorfius. Viderunt illud etiam Putschius, et nuper Silligius, sed vim faciunt loco: ille, dum *Nequicquam* vult idem esse quod *nequaquam*; hic, dum, artificiosa quadam explicatione, *succidet* verbum suppleri ad *Nequicquam* iubet. Mihi primum locus totus patuit more Lucretii observato, qui sic saepissime sententia cum praecedentibus iunctum *Nequicquam* in fronte ponit versus heroici. Qui mos non fugit I. Fr. Gronovium, ubi eumdem vocis eiusdem, et similium, *frustra*, *falso*, usum in Livio aliisque monstrat, ad Liv. XLII. LXIV. Annotavi locos Lucretii si non omnes, multos tamen: II. 1147. IV. 466. 1103. 1126. V. 844. 1230. 1270. 1312. 1331. ed. Wakef. Ad Lucretii igitur normam verba distinxi Catonis:

*Ipsa cades, veteris domini felicia ligna,*
*Nequicquam.*

h. e. olim me domino felicia, sed nequicquam felicia, quia olim fuere felicia, nunc non sunt. Simile ex parte illud Tibulli, I. I, 19.

*Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri*
*Custodes.*

Magis simile Virgilianum Ecl. I. 75.

*Ite meae felix quondam pecus, ite capellae.*

Cf. Cato sup. 10. *felicia rura*. *veteris domini*, ut apud Virgilium Ecl. XI. 4. *veteres migrate coloni*. Differt autem Cato nonnihil a Lucretio, partim eo, quod apud Catonem *Nequicquam* ad partem tantum sententiae, quae praecedit, scilicet ad *felicia*, refertur; apud Lucretium ad universam sententiam praecedentem, ut IV. 1102. 3.

*inspirant pressantes dentibus ora,*
*Nequicquam: quoniam nihil inde abradere possunt.*

V. 843. 4.

*Caetera de genere hoc monstra ac portenta creabat:*
*Nequicquam: quoniam Natura absterruit auctum.*

Partim eo, quod nullus inter *Nequicquam*, et verba quae sequuntur, *nostris potius d. libellis* etc. nexus caussalis est. Apud Lucretium quae voci *Nequicquam* subiicitur sententia, semper caussam reddit, per quam illud, quod esse aut fieri dixerat, *nequicquam*, frustra, sit. Unde est, quod apud Lucretium vocem *nequicquam* ubique excipit *quoniam*, apud alios *nam* particula. Non quod opus sit particula caussali: docuit enim Gronovius l. l. non opus esse, et omitti eam a Valerio Flacco VI. 250. et a Livio: at sententia ubique caussalis est. Apud nostrum non est. Nam ita procedunt sententiae: Spoliaberis, o silva, quum ferro succedet dextra militis impia, quumque primo frondes cadent, deinde ipsa tu cades, frustra quondam felix. Tum repente abominans tam foedam silvae succumbentis ferro militis imaginem, addit: antequam hoc fiat, h. e. antequam ferro militis succumbat silva, meis devota carminibus peribit, ac peribit ignibus eius, qui aluit ipsam, Iovis.

Quod Scaliger odio, ut puto, scripturae Aldinae *veteris* damnat, id praeter Aldinas, et quae has sequuntur, et praeter MS. qui dicitur Pierii, habent libri non contemnendi: Paris. III. Angl. Vrat. I. Mut. A quo non multum differt *iteris*, quod in Petav. et Thuaneo, Heinsio et Vossio Lassenoque testantibus, et in Paris. II. August. Monac. I. II. *ueris* Paris. IV. si recte lego compendium. Ex *iteris* factum *iterum*, quod in editis inde a Romana II. excepta Mutinensi, et in scriptis tribus illis, qui scripturam repraesentant vulgatam, legitur. In extremo versu *lignat* Paris. II. *regna* August. et Vrat. I. gratum Heinsio, si viveret, ἕρμαιον: nam hoc ipsum *regna* ille coniectura restituendum putabat. Qua in re observandum est, quum hoc coniiceret, non de arboribus cogitasse Heinsium; sed de colle agi, vel de villa, opinabatur. Quamquam etiam sic dubitare, an non debuerit ita coniici, poterit is, qui aliquid tempora atque ingenia inter se differre, et non debere Catoni omnes venustates Virgilianas obtrudi censuerit. Non nego tamen pervetustum esse illum vocis *regna* usum improprium. Namque ita Cicero ad Att. XIV. xvi. ut taceam de Orat. I. x, 41. et sim. Ut nos ac-

cipiendum esse Catonem docuimus, de arboribus, plane non potuit *regna* dici. At observandum est, *ligna* dici arbores. Horatius: *te triste* lignum, *te caducum* etc. Lucilius lib. XXVII. fragm. XII. ap. Nonium p. 74, 20. *Ardum, miserrimum, atque infelix* lignum *sambucum vocant.* nisi ibi sit *lignum* usitata significatione, in quo elaborat faber, vel ipsum quod e ligno factum opus: ut apud Petronium cap. CXIX. v. 30. *male nobile lignum*, de mensa citrea.

V. 34. *Nequiquam* Thuan. ap. Lassen. August. Monac. I. II. Quo modo hoc verbum saepe scribi in libris vetustis testis est Gifanius in Collect. Lucret. *Nec quicquam* cod. Basil. et hunc modum, vel *Nec quidquam*, in Lucretio probat Wakefieldius ad II. 1147. Sane sic proxime acceditur ad originem verbi: cf. Gronov. ad Liv. l. l. Deinde *potius* Scaliger revocavit rectissime, ut est in omni libro scripto, et in editis antiquioribus omnibus, inde a Romanis: nisi quod *potis* in Thuan. *pocius* in August. et Vrat. II. *toties* in paucis, et recentioribus, et quarum auctoritas nulla, ut Virg. Aldi, Taur. 1518. Bas. II. P. 1561. atque inde in Scaligeranis, Pithoei, al. Praeterea *toties* sensu caret. Quaeret fortasse aliquis, cur *libellis*, quum hoc primum *libello* devoveat silvam. Neque enim probabile est, camdem rem iam dictam in Indignatione fuisse. Scilicet hoc explicandum e versu gemino 26. Vides quam accurate haec sibi respondeant:

*multum nostris cantata libellis*
*nostris potius devota libellis.*

Quot olim carminibus celebraverat silvam, totidem se nunc exsecraturum esse eamdem minatur.

*deuote* Mon. I. II. Vrat. I. *deuota* Ven. Rub. *Ipse cades* tenebat Heinsius, de suo Battaro colle cogitans. Vel sic, e coniectura: *Villa cades.* deinde, ut dixi, *regna* coniecit, ex Virg. Ecl. I. 70. et v. 34. *toties* probat. *Ipsa cadas* laudat Burmannus in Ovid. Epist. XVI. 86.

V. 35. 6. IGNIBUS AETHEREIS FLAGRABIT. IUPPITER etc.

*Iuppiter hanc aluit*] Lege, *Iuppiter hanc alito.* Insultans in desperatione hoc dicit. Eadem figura: *Insere nunc Meliboee piros.* SCALIG. Graviter olim versus 35. laborabat distinctione. Veluti in Romanis, et Venetis antiquissimis tribus, punctum post *libellis*, rursus punctum post *ipse*. post *flagrabit* interpunctio nulla. Atque ad hunc modum interpretatur Badius. Correcta distinctio in Aldinis, et a Gloss. V. I. qui post *libellis* colon, post *flagrabis*, nam ita emendat ille, punctum; post *ipse* colon fecit.

Recte omnino Scaliger quem ad v. 33. audivimus, *flagrabit* revo-

cavit. Transitum facit poeta a secunda persona ad tertiam. Nam quum usque ad hunc locum alloquutus esset silvam, *Tondebis, Iactabis, cades,* nunc pergit: *nostris potius d. l. flagrabit* scil. silva. Aptissime autem, quantum sentio, transitum loco fecit eo, quo ex dolore vertitur in iram, et in furorem imprecandi. Neque *flagrabunt* scripsit, sed, quod multo concinnius, *flagrabit*: decebat enim notioni primariae, silva, accommodare verbum, non voci secundariae *ligna*. Itaque emendationem non felicem esse arbitror, quod in Aldinis, et ex Aldinis in MS. qui dicitur Pierii, et in Ven. 1544. 1555. 1558. Antv. 1556. Bas. II. P. 1561. Scaligg. Pith. al. legitur, *flagrabunt*. *flagrabit* reliquae inde a Romanis, et libri scripti, nulla nisi vitiorum varietate: ut *flagrabat* in Anglicano; *flagravit* in uno apud Heinsium, qui videtur Petavianus esse, nam in Thuan. *flagrabit* legitur. Solus Voss. I. si f. s. confirmabat scripturam Aldinam. Ego vero, si quid mutandum esset, praeferrem Gl. V. I. emendationem *flagrabis*. Qui sint *ignes aetherei*, docet proxima mentio Iovis: fulmina dicit poeta. Mox v. 52. *Iovis ignibus*. Scripsi autem *aethereis*, ut in Augustano, et reliquis, quantum quidem constat, plerisque, etiam olim editis. *aetheriis* in Mon. I. Vrat. I. Virg. Aldi, Taur. 1518. Aldinis, et post Aldinas aliis.

Deinde quod sequentia attinet, verbis *cinis haec tibi fiat oportet*, apostrophen fieri ad Iovem manifestum est. Verum ea apostrophe, ut ante nos haec circumferebantur distincta a Gloss. V. I. et in Scaligeranis, aliis, et nuperrime a Putschio:

*Iuppiter ipse,*
*Iuppiter hanc aluit*: *cinis haec tibi f. o.*

obscura erat, non statim cuivis percipienda. Iam nos, etsi paullo duriorem esse hunc poetam optime scimus, et ipsi infra Ecl. 45. apostrophen restituturi sumus fortasse non statim omnibus perspicuam, tamen, ubi corrigenda interpunctione fieri poterat, lubenter adiuvimus perspicuitatem. Attigit veram explicationem Wernsdorfius, qui verba *Iuppiter hanc aluit* parenthesi esse includenda monet. Recte. At eadem parenthesi etiam *ipse* comprehendi debuerat. Ut a me factum. *o Iuppiter*: *nam ipse Iuppiter hanc aluit*: *cinis haec tibi fiat oportet*. Male Wernsdorfius ita accipit parenthesin: *quamquam ille hanc aluit*. Immo sententia haec: qui aluerit silvam, ab eodem esse delendam, non manu militis. Habes coniunctas unum in locum, quas valde amat Cato figuras duas, apostrophen et parenthesin. *Alit* autem Iuppiter, ut alia, ita silvas, coelo benigno: unde non male Badius et Domitius *Iovem* interpretantur *aera*. *alit* pluvia: quam in rem Arnoldus Virgilium laudat Georg. II. 325. qui locus expressus ex Lucretio. *alit* sole, et calore modico: unde mox de silva eadem: *Quum tua* cyaneo resplendens aethere

*silva.* Propter caesuram post pedem quintum cf. inf. Ecl. 25. 28. Laudat hunc versum 36. et versum 46. Broukhusius in Propert. II. XIII, 46. p. 165. a. Verum aliter Cato his locis voc. *cinis* utitur, aliter Tibullus I. x, 12. Cato enim proprie, quum de comburenda silva dicat.

*aliud* Mon. I. II. Vrat. I. Praeterea nihil variant libri. *fiet* Mut. vitiose. *Iuppiter* Augustanus; *Iupiter* Paris. IV. Mon. II. Romanae cum cod. Bas. Vrat. II. et Mut. In Voss. II. desunt versus tres 35. 36. 37. sed reliquit librarius spatium trium versuum. Denique coniecturae hae sunt. *Ignibus aeth. flagrabunt. Iuppiter ipse, Iuppiter* incaluit: Boxhornii. *incaluit*, id est, fulmen parat. *tibi* ad Battarum fluvium referebat Boxhornius. Heinsii: *Ignibus aeth. flagrabis*, ut ad Battarum extendatur oratio aut *flagrabunt* cum Aldina. vel *Ignibus* Aetnaeis *flagranto*, vel *flagrato.* et v. 36. *labefiat*, vel *tepefiat.* Tollius, recepta coniectura Scaligeri, ita: — *iterum*: *domini felicis alumna Nequidquam, n. potius d. libellis, I. ae. flagrabis. Iupiter, ipse Iupiter hanc* adflet: *cinis* hac *tibi f. o.* hoc sensu: *iterum*, id est, repetamus hoc carmen, non sufficit mihi, te succidi dextra militis, oportet ipse te Iupiter fulmine suo adflet et accendat. vel *adfla* potius, ne *adflet* et *oportet* versum leoninum auribus ingerat. Haec Tollius apud Burmannum: in quibus illud *non sufficit mihi*, prorsus adversatur menti poetae. *sibi* coniecturam, pro *tibi*, Silligius commemorat. an Eichstadii? Nam de parenthesi illud vidit quidem, ut ex Putschio intelligo, sed non amplexus est Eichstadius.

V. 37. THRECIS TUM BOREAE SPIRENT IMMANIA VIRES. Consistit in contemplatione tempestatis, per quam perire silva debeat, et alia affert ex natura rerum, quae tum vult accidere. Itaque ventos vocat in societatem incendii. Intelligit autem ventos, non qui praecedunt fulmina Iovis, sed furentes, dum ardet silva. Nam versibus 40. 41. non primum incidens fulmen, initiumque incendii, sed ipsum iam gliscens longe lateque iteratis fulminibus incendium silvae significari patet. Igitur ventos commemorat, partim, quia augent incendium venti, partim ut ignem, disturbatum insania ventorum aera, caliginem a nubibus super impendentibus, in unam formidolosam coniungat imaginem.

*Threcis* Heinsius ad Ovid. Epist. XIX. 26. ita profert ex Petaviano, ut praeferre videatur, et ediderunt Eichstadius, Putschius. et nos reposuimus propter magnum librorum scriptorum consensum. Formam poeticam dixeris cum Ernesto ad Cic. de Provinciis Consular. II, 4. Etsi hoc paullo accuratius considerandum est, siquidem quibus Heinsius l. l. exemplis utitur, ut *Threcen* Art. am. II. 588. et Amor. I. XIV, 21. *Threcia Bacche*, id tantum probant, in usu fuisse poetis latinis has formas, *Threce*, *Threcius*, non item probant, iisdem usitatam fuisse

hanc, *Threx, Threcis*: cuius scripturae quae exstant exempla, exstant autem permulta, ut praeter alios Burmannus ad Petron. XLV. p. 301. sq. Oudendorpius ad Suet. Calig. xxxv. Drakenborch. ad Liv. XXXVII. xxxiii, 3. ostendunt, si non omnia, tamen magna ex parte in uno genere versantur, non ut omnes Thraces, h. e. incolae Thraciae, *Threces* dicti fuerint, sed tantum, quae eximia est Oudendorpii ad Suet. Calig. l. l. et ad Titum cap. viii. et, ante Oudendorpium, Torrentii ad Suet. Calig. lv. observatio, ut gladiatores. Atque id non poetis proprium, sed commune fuit: ut recte haud dubie multi, contra mentem Ernesti, *Threcem* scribant in Ciceronis loco de Provinc. Cons. iv, 9. Ergo hoc magis demonstratione eget, an poetis unquam *Threx*, *Threcis*, placuerit. Equidem ut *Threcis* restituerem Catoni, partim auctoritas apud me librorum effecit, partim quod etiam aliis locis nonnullis, ad quos non quadrat illa Oudendorpii Torrentiique exceptio, e. g. apud Livium, Cornelium Nepotem, *Threces* reperiuntur in libris haud contemnendis; denique reputabam hanc rem ex iis esse, in quibus aliam alio tempore consuetudinem obtinuisse probabile sit, neque Catonem iis legibus adstringendum esse, quibus paruisse aevum Augusti videmus. Catoni forma nominis per se proba, quippe rite translata e sermone graeco, uti licuit; Virgilius ut ea uteretur, quum iam esset contempto hominum generi propria facta, fortasse nullo pretio adigi potuisset. Veluti Aen. III. 14. inter tot libros nullus commemoratur, qui *Threces arant* offerat. *Threcis* Petav. Thuan. Leid. Helmst. Paris. II. III. August. Monac. I. II. et *Graecis*, quod idem est, quippe ortum ex *Threcis*, vel ex *Thraecis*, quae et ipsa antiqua orthographia est, Paris. IV. Angl. *Theristum* Vratisl. I. et sic in Monac. I. II. coaluerunt in unam vocem *Threcis tum*. *Thracis* vulgo omnes.

*cum* pro *tum* Vratisl. II. Ven. Achat. Mut. *Boreae spirent tibi* Medic. *imania* Vrat. I. *inmania* cod. Bas. et Vrat. II. *Thracis in hunc* i. e. Battarum, *Boreae spirent* coni. Heins.

V. 38. 9. EURUS AGAT MIXTAM FULVA CALIGINE etc. Sic mei, Thuan. Paris. II. III. IV. Angl. Aug. Mon. I. II. Vrat. I. itemque libri, ut videtur, Burmanni, nisi quod *Purus* pro *Eurus* in omnibus. Tam pusillum mendum, *Purus*, magnae caussa ruinae fuit. Quum enim hoc mendo illato, coniungendum esse *Purus Africus* existimarent, quo facto non amplius erat, unde penderet *imbrem* accusativus, coeperunt *imber* scribere, vel, ut tum solebant, *hymber*; et *mutantibus*, pro *minitantibus*, cum distinctione post *Africus*. ut in Romanis:

*Africus. immineat nimbis mutantibus hymber.*

atque ita conceptus versus in omni editione antiqua saeculi XV. circum-

fertur. Mutinensis tantum bene *minitantibus* conservat. et *nutantibus* in Virg. Aldi, Taur. 1518. et nunc in exemplo Lips. V. I. a manu Gloss. *Eurus* primus e coniectura restituit Badius, in tertia quidem editione sua, sed ita ut retineret *imber,* quasi iungendum sit *imber Africus.* Praeterea idem in eadem *nutantibus* edidit. *Eurus — mutantibus hymber* Iunt. ap. Burm. Denique illud, quod verum est, in Aldinis, et ex Aldinis in Bas. 1543. Venetis 1544. 1555. 1558. Lugd. et Antv. 1556. Bas. H. P. 1561. Scaligg. Pith. reliquis editum. Et sic cod. qui dicitur Pierii.

Supersunt vitia, et orthographiae varietas. V. 38. *agant* Paris. IV. *mistam* Aldinae, post Aldinas aliae, et recentiores. *nubes* Mon. II. V. 39. *Aphricus* Ven. Iens. et Mut. *immineant* Medic. *nibis* Thuan. *nymbis* August. Mon. I. II. Ven. Iens. Vicent. *imitantibus* Helmst. *imbres* Voss. I. *ymbrem* Mon. I. II. Vrat. I. et *hymber* in Romanis, et reliquis saeculi XV. praeter Ven. Achat. in qua *ymber*, et Ven. Iens. Mut. in quibus *imber.*

furva *caligine* pro *fulva* coni. Heinsii, sed obiter facta, et quam ipse retractat docta disputatione ad Ovid. Metam. III. 273. ubi innoxiam vocem *fulvus* tum aliis locis contra suas ipsius emendationes vindicat, tum hoc Catonis loco ferendam esse sine dubitatione significat. Nostro similia sunt apud Heinsium Stat. Theb. IX. 727.

*venit in medios* caligine fulva
*Septa globos.*

ubi codicum auctoritate decernendum, utrum *fulva* scribas, an *furva*; et Lucretius VI. 460.

fulvae *nubis* caligine *crassa*:

ubi, ut coniecturam Bentleii *furvae* taceam, Wakefieldius cum Creechio nescio quid de auro et fulgore somniat, ego vero Lucretium tum ex se ipso, hoc est, ex sententia loci, tum ex aliorum poetarum locis aetate proximorum non ambiguis explicandum censeo: Ennii Annal. VIII. ap. Nonium p. 217, 12. ap. Merulam p. CCCCLXXIIII.

*pulvis* Fulva *volat.*

ad quem locum Columna laudat Calvum apud Charisium I. 78. ap. Nonium p. 198, 12.

*Quum iam* fulva *cinis fueris.*

vel *fuero.* Eumdem in sensum fortasse dixerat Ennius Annal. XVIII. ap. Gellium XIII. XX.

*aëre* fulva.

vel *aëre fulvo*, ut apud eumdem Gellium II. XXVI. Quamquam aliud sentire videtur Gellius. Neque ab hac antiquorum poetarum exemplis comprobata significatione Virgilium recessisse, aut Ovidium, quum *fulvam nubem* dicunt, ille Aen. XII. 792. hic Metam. III. 273. aut Statium

hanc, *Threx, Threcis*: cuius scripturae quae exstant exempla, exstant autem permulta, ut praeter alios Burmannus ad Petron. XLV. p. 301. sq. Oudendorpius ad Suet. Calig. xxxv. Drakenborch. ad Liv. XXXVII. xxxiii, 3. ostendunt, si non omnia, tamen magna ex parte in uno genere versantur, non ut omnes Thraces, h. e. incolae Thraciae, *Threces* dicti fuerint, sed tantum, quae eximia est Oudendorpii ad Suet. Calig. l. l. et ad Titum cap. viii. et, ante Oudendorpium, Torrentii ad Suet. Calig. lv. observatio, ut gladiatores. Atque id non poetis proprium, sed commune fuit: ut recte haud dubie multi, contra mentem Ernesti, *Threcem* scribant in Ciceronis loco de Provinc. Cons. iv, 9. Ergo hoc magis demonstratione eget, an poetis unquam *Threx*, *Threcis*, placuerit. Equidem ut *Threcis* restituerem Catoni, partim auctoritas apud me librorum effecit, partim quod etiam aliis locis nonnullis, ad quos non quadrat illa Oudendorpii Torrentiique exceptio, e. g. apud Livium, Cornelium Nepotem, *Threces* reperiuntur in libris haud contemnendis; denique reputabam hanc rem ex iis esse, in quibus aliam alio tempore consuetudinem obtinuisse probabile sit, neque Catonem iis legibus adstringendum esse, quibus paruisse aevum Augusti videmus. Catoni forma nominis per se proba, quippe rite translata e sermone graeco, uti licuit; Virgilius ut ea uteretur, quum iam esset contempto hominum generi propria facta, fortasse nullo pretio adigi potuisset. Veluti Aen. III. 14. inter tot libros nullus commemoratur, qui *Threces arant* offerat. *Threcis* Petav. Thuan. Leid. Helmst. Paris. II. III. August. Monac. I. II. et *Graecis*, quod idem est, quippe ortum ex *Threcis*, vel ex *Thraecis*, quae et ipsa antiqua orthographia est, Paris. IV. Angl. *Theristum* Vratisl. I. et sic in Monac. I. II. coaluerunt in unam vocem *Threcis tum*. *Thracis* vulgo omnes.

*cum* pro *tum* Vratisl. II. Ven. Achat. Mut. *Boreae spirent tibi* Medic. *imania* Vrat. I. *inmania* cod. Bas. et Vrat. II. *Thracis in hunc* i. e. Battarum, *Boreae spirent* coni. Heins.

V. 38. 9. EURUS AGAT MIXTAM FULVA CALIGINE etc. Sic mei, Thuan. Paris. II. III. IV. Angl. Aug. Mon. I. II. Vrat. I. itemque libri, ut videtur, Burmanni, nisi quod *Purus* pro *Eurus* in omnibus. Tam pusillum mendum, *Purus*, magnae caussa ruinae fuit. Quum enim hoc mendo illato, coniungendum esse *Purus Africus* existimarent, quo facto non amplius erat, unde penderet *imbrem* accusativus, coeperunt *imber* scribere, vel, ut tum solebant, *hymber*; et *mutantibus*, pro *minitantibus*, cum distinctione post *Africus*. ut in Romanis:

*Africus. immineat nimbis mutantibus hymber.*

atque ita conceptus versus in omni editione antiqua saeculi XV. circum-

fertur. Mutinensis tantum bene *minitantibus* conservat. et *nutantibus* in Virg. Aldi, Taur. 1518. et nunc in exemplo Lips. V. I. a manu Gloss. *Eurus* primus e coniectura restituit Badius, in tertia quidem editione sua, sed ita ut retineret *imber*, quasi iungendum sit *imber Africus*. Praeterea idem in eadem *nutantibus* edidit. *Eurus — mutantibus hymber* Iunt. ap. Burm. Denique illud, quod verum est, in Aldinis, et ex Aldinis in Bas. 1543. Venetis 1544. 1555. 1558. Lugd. et Antv. 1556. Bas. H. P. 1561. Scaligg. Pith. reliquis editum. Et sic cod. qui dicitur Pierii.

Supersunt vitia, et orthographiae varietas. V. 38. *agant* Paris. IV. *mistam* Aldinae, post Aldinas aliae, et recentiores. *nubes* Mon. II. V. 39. *Aphricus* Ven. Iens. et Mut. *immineant* Medic. *nibis* Thuan. *nymbis* August. Mon. I. II. Ven. Iens. Vicent. *imitantibus* Helmst. *imbres* Voss. I. *ymbrem* Mon. I. II. Vrat. I. et *hymber* in Romanis, et reliquis saeculi XV. praeter Ven. Achat. in qua *ymber*, et Ven. Iens. Mut. in quibus *imber*.

furva *caligine* pro *fulva* coni. Heinsii, sed obiter facta, et quam ipse retractat docta disputatione ad Ovid. Metam. III. 273. ubi innoxiam vocem *fulvus* tum aliis locis contra suas ipsius emendationes vindicat, tum hoc Catonis loco ferendam esse sine dubitatione significat. Nostro similia sunt apud Heinsium Stat. Theb. IX. 727.

*venit in medios* caligine fulva
*Septa globos.*

ubi codicum auctoritate decernendum, utrum *fulva* scribas, an *furva*; et Lucretius VI. 460.

fulvae *nubis* caligine *crassa*:

ubi, ut coniecturam Bentleii *furvae* taceam, Wakefieldius cum Creechio nescio quid de auro et fulgore somniat, ego vero Lucretium tum ex se ipso, hoc est, ex sententia loci, tum ex aliorum poetarum locis aetate proximorum non ambiguis explicandum censeo: Ennii Annal. VIII. ap. Nonium p. 217, 12. ap. Merulam p. CCCCLXXIIII.

*pulvis* Fulva *volat.*

ad quem locum Columna laudat Calvum apud Charisium I. 78. ap. Nonium p. 198, 12.

*Quum iam* fulva *cinis fueris.*

vel *fuero*. Eumdem in sensum fortasse dixerat Ennius Annal. XVIII. ap. Gellium XIII. XX.

*aëre* fulva.

vel *aëre fulvo*, ut apud eumdem Gellium II. XXVI. Quamquam aliud sentire videtur Gellius. Neque ab hac antiquorum poetarum exemplis comprobata significatione Virgilium recessisse, aut Ovidium, quum *fulvam nubem* dicunt, ille Aen. XII. 792. hic Metam. III. 273. aut Statium

putem, quum loco laud. *caligine fulva* scribit. In Virgilii locum Agroetius c. 2274. aliquid simile Creechii Wakefieldiique ad Lucretium inventioni comminiscitur. Verum hoc si voluisset Virgilius, disertius declaraturus erat, tamquam rem miram, vel raram, ut facit Aen. VII. 142. Ut nunc res est, eum tam in Virgilii loco, quam caeteris quos apposui omnibus, colorem cogitabimus, qui communis cineri, pulveri, ac nubibus tum quidem, quum candidae esse desierunt, h. e. cinereum, ex albo nigroque mixtum, vergentem aliquantulum in flavum. Ut in puellarum capillis species flavi coloris ea laudatur, quam Galli *cendré* dicunt. Pacuvius et iam *flavum* dicere ausus est pulverem, ubi Euryclea pedes lavat Ulixis. Bene Catonis versum I. H. Vossius in Epistolis mythol. I. xxxv. accepit: Eurus jage vermischt mit gelblichem Dunkel Gewölk her. Et apud Catonem quidem *fulva* non solum librorum auctoritate tuear, sed sua virtute propriaque potestate. Consulto *mixtam* fulva *caligine nubem* dixit, h. e. ambigui coloris, accedentis quidem ad nigrum, sed tamen a nigro diversi: nigrorem, verasque tenebras, proximo versui reservat, ubi *nimbi minitantes imbrem* intelligendi sunt nigri, ut solent esse, quum imber instat gravissimus. Ordine quodam procedit poeta, ventosque diversos unum post alterum evocat, et dum concertationem fieri eo fere modo, quo in mari decertantes venti describuntur a multis, ut ab Horatio Carm. I. III, 12. 3. et aliis ap. Columnam in Fragm. Ennii p. 114. Hess. ventorum iubet, suam vento cuique proprietatem tribuit. *Boreae* vehementiam spirandi immanem. *Euro* hoc, ut nubes agat, quum Boreae magis proprium sit, dissipare nubes. Eurus *nubifer*, et similia ubique. Facit etiam *imbres* Eurus, ut apud Horat. Epod. XVI. 54. Sed tamen imbres, iique ex densissimis nigerrimisque nubibus, et cum fulmine tonitruque coniuncti, magis proprie ad *Austrum*, sive, ut noster, ad *Africum* pertinent. Unde Auster *imbricitor* apud Ennium l. l. p. 115. vel *imbricus*, ut Plautus Merc. V. II, 35. *Auster fulmine pollens* Lucret. V. 744. Cf. Virg. Aen. V. 696. proximisque versibus. Austro autem proximus *Africus* est. At Cato non effundi imbres iubet: exstinguerent enim incendium. Ac nescio an magis *minitantes* ad formidinem excitandam *nimbi* faciant, quam qui effunduntur imbres.

*comitantibus* coniecerat aliquando Heinsius, vel *inmittat* pro *immineat*. *incumbat* Burmannus, *quia* inmineat *et* minitantibus *sonum auribus ingratiorem praebent*, et quia sic loquuntur alii. Neutrum validum argumentum est. Nam illud quod attinet, ea, quae de Allitteratione scripsi, persuadebunt, ut spero, omnibus, Catonis maxime aetate gratum magis quam ingratum fuisse istum ex similitudine soni lusum. Quamquam haec mihi tam debilis allitteratio videtur, *immineat minitantibus*,

praesertim quum *nimbis* intercedat, ut eam ne Romanas quidem affecisse aures existimem.

V. 40. 1. QUOM TUA CYANEO RESPLENDENS AETHERE etc.

*Cum tua Cyaneo*] *Cyaneo*, caeruleo, ut in Ciri *caeruleas umbras*. Tamen hic quoque *Cyrneo* legi posset, ut supra *Cyrneas voces*. *Non iterum dicens*] Ita habent omnes antiquitus excusi, quod in recentioribus impudenti audacia in nescio quod monstrum sententiae mutatum fuit. Ego vero *dicent*, non *dicens* lego, ut non opus sit tot verba interpolare. Cum amplius, inquit, nemo dicet *tua silva*. Nam crebro Lydia dixit *tua silva*. Auget invidiam a memoria rei amissae, ut, *fuimus Troes*. et, *Campos, ubi Troia fuit*. SCALIGER.

Versus 40. nihil, mihi quidem, difficultatis habet. Neque variant quicquam libri, praeter Paris. IV. in quo *resplendeat*, et Mon. I. II. Vrat. I. Brix. Ven. 1488. Mediol. 1501. in quibus *respondens*. *cianeo* Vrat. II. *Quom* Angl. et Bas. *cyaneo* epitheton recte de colore coelesti accipit Pomponius Sabinus. Contra quem inepta eruditionis ostentatione exsurgit Domitius. Gloss. V. I. *Cyaneus color est dubius color qualis est color celestis. Plinius alcyones hunc colorem habere dicit.* male, quod *dubium* dicit. Plinii locus est H. N. X. XXXII. *Cyaneum* Cato colorem coeli, quum serenum est, naturalem dicit: poterat etiam *caeruleum*. Qua in re observandum est, multo magis caeruleum, ut narrant, Italiae coelum esse, quam nostrum Hyperboreorum, quod quum maxime serenum est, raro tamen colorem totum caeruleum, cyaneum, qualis est cyani floris, sed plerumque aliquid pallidi habet, et albescit nimium. Eo, quo dixi, sensu Ennius bis *caeli* caerula *templa*, p. 34. p. 124. ed. Hessel. et rursus *cava* caerula p. 279. Arnoldus locum huc fortasse pertinentem Synesii laudat, hymno IX. *σὺ δὲ ταρσὸν ἐλάσσας κυανάντυγος οὐρανοῦ ὑπερῆλαο νώτων*. Alioqui non multa huius usus exempla invenio. Aliud est, quum mare *caeruleum* dicitur, aut quum *caeruleum*, *κυάνεον*, id, quod fuscum. *Resplendet* autem silva *aethere cyaneo*, ut solent non solum silvae, sed etiam arva, prata, omnia, resplendere ac ridere, quum serenum coelum est; contra obscurato nubibus coelo, caligant, ac moesta iacent omnia. Scite poeta silvae suae, cui interitum imprecatur, imaginem sibi ante oculos ponit eam, quae iucundissima, et qua olim delectatus fuerat quam maxime. Quo enim aliquid pulchrius, eo acerbius sentitur interitus. Dolet, quod tam pulchra perire silva debeat, sed tamen perire silvam repente fulminibus Iovis mavult, quam devastari a milite. Post haec apparet, quid coniecturae tribuendum sit Heinsii, *cyaneo aequore*. Etsi eam ab una parte bene stabilivit, dum recte *cyaneum* dici *aequor* locis ab se ingeniose, et vere, quantum video, emendatis Avieni demonstrat:

cf. Burmannus in Anth. Lat. T. I. p. 63. sq. add. Anth. Lat. lib. V. cxiii, 7. At quam ille Catonis versui ita emendato explicationem addit, *aequor referebat imaginem silvae sibi incumbentis*: de ea vehementer dubito. Claudiani certe locus, de Raptu Pr. lib. III. extr.

*clarescit Etruscum*
*Littus*, *et* accenso resplendent aequore *Syrtes*:

alienus, sententiaeque Heinsii contrarius, ut quo non de Syrtium imagine, quam aequor referat, sed de splendore sermo est, qui ab illuminato facibus Cereris mari in Syrtes perveniat, et transfundatur. Prorsus ut apud Catonem ex nostra interpretatione *cyaneo resplendens aethere silva.*

Versus 41. si quis alius in toto Catonis volumine, memorabilem scripturae varietatem offert. Constans librorum scriptorum, duobus exceptis, omnium, Petav. Thuan. Putean. ap. Burm. Voss. I. Helmst. Parisinor. II. III. Anglicani, Augustani, Monacensium, et Vratisl. I. itemque editorum ante Aldinas, uno excepto, omnium, scriptura est:

*Non iterum dicens.*

*erebo* vel *Erebo* in iisdem, nisi quod *herobo* in Paris. II. *crebo* in August. *herebo* in Ven. Achat. Rub. Vossiano II. Vicent. al. *crebro* in Mon. I. II. Vrat. I. *lidia* Thuan. Paris. II. III. August. Vrat. II. *lyda* Ven. Ach. Denique *dixti* iidem illi omnes, praeter Mon. I. II. Vrat. I. in quibus *dixi* et Norimb. 1492. Ven. 1499. Argent. 1502. Ascens. I. II. III. Iuntinam, in quibus *dixit*. *dixit* fortasse Domitii coniectura est Calderini, cuius haec sunt verba ad h. l. *Lydia*: *lydiam enim amicam Verg. non nomine proprio sed placabilem notare voluit. Nusquam enim meretrices placabiliores quam in lydia reperiuntur*: *ut non solum a fututoribus precia non exigant quam omnino illis persolvant.* Respicit Strabonem lib. XI. extr. Tam mirabilia aliquo tamen consilio, non prorsus temere, adscripsisse Domitium putes. Ac fortasse ita accipiebat ista: Quum Lydia dixit, quod non amplius dictura est, *tua, tua silva est.* Ut indicetur, poetam dono accepisse eam silvam a Lydia. Audacius Gloss. V. I. radendo et corrigendo versum effinxit talem: *Non iterum dices echo. tua lydia dixit.* Sed omnino nihil posse sani ex illo librorum monstro extricari, documento est infelix Scaligeri conatus: a quo non multum differt commentum Wernsdorfii, qui *crebro* legebat, ut Scaliger, sed *dices*. *crebro* editum ante Scaligerum fuerat in Hagan. 1531. Bas. 1543. Mogunt. 1549. Lugd. 1556. sic: *Non it. dicens crebro t. L. dixti.*

Amplectendum erat, quod in Aldinis, et ex Aldinis in Venetis 1544. 1555. 1558. Basil. H. P. 1561. Scaligeranis, quamquam invito Scaligero, apud Pithoeum, et recentiores, legitur:

*Noscet iter ducens Erebo tua Lydia Ditis.*

Et amplectendum, me quidem iudice, etiamsi nullam nisi ab Aldinis, et ab Mediceo, in quo esse *Noscet iter Herebo dulcis* Burmannus testatur, commendationem haberet. Nam MS., quem Burmannus dicit, Pierii, qui consentit cum Aldinis, nulla est auctoritas. Nunc nostris res libris conficitur. Quales si habuisset, non illud scripturus erat Scaliger, quod odio Aldinarum scribit, de *impudenti audacia*, et *nescio quod monstrum. Noscet iter ducens herebo tua lydia ditis* ante Aldinam I. annis duobus et quadraginta editum in exoptatissima illa Mutinensi; et Parisinus IV. primo quidem versum suo loco ita scriptum: *Non iterum dices crebro tua lydia dixti*, sed mox post versum 43. *Pascantur — aura*, iterum eumdem, ita conceptum: *Noscet intra ducēs erebo* (vel *crebo*) *tua lydia ditis*, ponit.

Deinde inter omnes, quotquot receperunt veram scripturam Aldinam, unus fortasse Arnoldus recte accepit atque intellexit eam scripturam Certe Boxhornius non intellexerat, cui verbis *tua silva* Battarum alloqui poeta fluvium videbatur. Neque Heinsius. Et inutile post *iter* comma fertur in Scaligeranis, aliis. Veram distinctionem ex Arnoldo dedimus, hoc sensu: quum tua silva, tua, o Lydia, quae nunc aethere resplendet cyaneo, noscet iter ducens Erebo Ditis. Rursus habes perpetuo usitatam Catoni apostrophen. Verum hoc pulchrius apud poetam, quam in explicatione mea modo proposita, quod primo *tua silva* dicit simpliciter, non nominans Lydiam, quippe satis suo animo praesentem, deinde in fine multa cum vi repetit *tua*, additque appellationem *Lydiae*. *tua* autem, non quod silvam Cato donaverit Lydiae, sed quia diligebat silvam Lydia, atque amantes sua inter se communia habent. Cf. dicta ad v. 26.

Haec ego magis perspicue, quam Arnoldus, cui homini proprium est, sicubi bene aliquid observaverit, quod quidem illi raro contingit, id perturbare ac perdere rursus multis verborum ambagibus, rerumque inutilium recordatione importuna. Sic ille, ubi verba *noscet iter ducens Erebo Ditis* explicare aggreditur, priora non male: *De his autem, quae funditus perduntur, poetice dici solet, quod iter Erebi, sive inferni ingressa fuerint*; mox in omnia alia abripitur ita, ut etiam de terrae motu cogitet. Igitur hoc nobis probandum reliquit, bene dici de silva, quae incendio deletur, *noscere iter ducens Erebo Ditis*. Quod difficile videtur ad probandum esse. De animalibus quidem, ut ordine quodam hanc rem pertractem, satis usitate ita dicitur. Theocritus IV. 26. 7. *βασεῦνται καὶ ταὶ βόες, ὦ τάλαν Αἴγων, εἰς ἀΐδαν.* Idem epigr. VI. 3. *οἴχεται ἁ χίμαρος, τὸ καλὸν τέκος, οἴχετ' ἐς ᾅδαν.* Anyte, si est Anyte, XIV. T. I. Anal. p. 200. et qui variavit hoc epigramma, Marcus Argentarius XXIX. T. II. p. 273. de locusta et cicada, Anyte:

ὁ δυσπειθὴς ᾤχετ' ἔχων Ἀΐδας, Marcus: τὸν γὰρ ἀοιδὸν Ἅιδης, τὴν δ' ἑτέρην ἥρπασε Περσεφόνη. Cf. Callim. epigr. XIV, 6. Romanos quod attinet, ecquis est, cui non ante oculos versetur *passer* Catulli? *Qui nunc it per iter tenebricosum illuc*, et *At vobis male sit, malae tenebrae Orci* etc. Cf. si placet, epitaphium in avem, Anth. Lat. T. II. lib. IV. CCCCIV. *Nunc manes blandis mulceo rapta sonis*; et paullo post prolata a Burmanno p. 294. inscriptio in lusciniam, incertae aetatis, partim ex Catullo expressa, ubi: *vale, et vola per Elysium.* Nemo hac in re longius processit quam Virgilius iuvenis, apud quem Culex quae loquitur, plane talia sunt, ut umbram audire nobis hominis videamur, et patitur ea omnia apud inferos, quae homines solent. Scilicet tum Virgilius, quum vehementer cuperet loca infera describere, quem latum campum, occasionemque exspatiandi egregiam esse intelligeret, eam descriptionem parum apte Culici, minutissimae omnium bestiolae, tribuit. Multo rarius, *quum* res inanimatae *descendere, trahi in Orcum*, Ἅιδην, dicuntur. Pauca annotavi. Philippus Thess. XII. T. II. Anal. p. 215. de navi: ἱστὸς δὲ πᾶς ὤλισθεν εἰς ἅλα πτύσας φορτὶς δ' ἐσύρετ' ἐς Ἀΐδαν. Similia, itidem de navi, Antiphilus XLII. T. II. p. 181. et Etruscus Mess. in variatione argumenti eiusdem, T. II. p. 307. Aiax Sophoclis v. 660. quum se defossurum esse gladium dicit, ἀλλ' αὐτὸ νὺξ Ἅιδης τε σωζόντων κάτω, non dicit Ἅιδην proprie, sed omne id, quod subterraneum est, ad Orci imperium pertinere quodammodo significat. Ut ea, quae sunt sub mari, propiora esse Tartaro putantur: Ovid. Trist. I. II, 22. cf. Metam. XI. 504. Aeque inusitatum istud apud scriptores latinos est. Petronius enim cap. XXI. vs. 120. *Ad Stygios manes laceratus ducitur orbis*: specie magis quam re similis Catoni, quum *orbis* ibi significet mortales: docent praecedentia. Paullo ad rem aptius, quod Nonius testatur: interfici *et* occidi *ad* inanimata *veteres vehementi auctoritate posuerunt.* ut locus iste in Paris. 1583. legitur, nisi quod *inanimata* scripsi cum Bongars. pro *animata*: aliud, nescio an ex libris, Mercerus edidit p. 449, 23. Cf. id. Nonius p. 330, 27. Quodsi ita usurpare veteribus *interfici* et *occidi* licuit, licuisse etiam alterum credas, ut inanimata *abire in Orcum, sive* Ἅιδην, dicerent. Et omnino, quod rarius hoc dici observavi, nolim ita accipi, acsi multis eam in rem exemplis opus esse putem, aut de Catonis loco ullo modo dubitem. Sufficiunt per se sola, nisi fallor, illa quae de animalibus exempla posui. Quid enim? Quum veteres animalia οἴχεσθαι εἰς Ἅιδην, vel ᾅδην, dicunt, num immortalitatem quamdam tribui animalibus, vitamque in Orco alteram, qualis est hominum, volunt? Sane nonnulli volunt. Ut Virgilius, apud quem hac ipsa in re cernitur, quam infeliciter totum illud de umbra Culicis

excogitatum sit: ineptum est enim, eamdem culicis, post obitum, et hominis sortem atque conditionem esse. Sapientius Ovidius Amor. II. vi. psittaco Corinnae secretam sedem nemoralem colle sub Elysio assignat, in loco, quem dicit, volucrum piarum. At apud alios, ut apud Theocritum locis laudatis, *ᾅδης mortem, interitum*, simpliciter significat, et *βήσεσθαι εἰς ἄϊδαν, οἴχεσθαι εἰς ᾅδαν, perdi, perire*. Iam *pereundi* notio quum in inanimata non minus quam in animata cadat, nihil obstabat, quominus etiam *silva in Orcum abire* diceretur. Eodem modo nos Germani, etsi hoc differt inter utrumque, quod saepe differre videmus in comparationibus eiusmodi, ut, quae veteres in genere dicendi ornato ac poetico dixere, iis prorsus similia nos habeamus, sed humili generi ac vulgari loquendi consuetudini propria, et contra: eodem modo nos: zum Teufel gehen. Quod quum proprie tantum in homines cadat, de aliis rebus dicitur omnibus, tam animatis, quam inanimatis: der Wald ist zum Teufel; wann dein Wald zum Teufel gehen wird. Ad hanc latiorem vocis Ἅιδης, vel potius, ut in locis huiusmodi scribendum videtur, ᾅδης, significationem Aeschylum Agam. 667. *ᾅδην πόντιον πεφευγότες*, revocari malim, quam, quod Huschkio Anal. crit. p. 124. sqq. placuit, ad notionem *sepulcri*. Neque de Philippi loco, supra laudato, assentior. Quo tamen non nego alibi, quum ᾅδης dicitur, subesse notionem *sepulcri*, ut, quo loco idem utitur Huschkius, Epigr. incert. DCCVIII. Est enim haec quoque notio prope coniuncta cum primaria vocis significatione, si reputes, quod supra tetigi ad locum Sophoclis. Unde est in nobili Naevii inscriptione: *Itaque postquam est* Orcino *traditus thesauro*: quod unus recte explicuit Scaliger ad Festum. A similitudine eorum, qui proprie *thesauri* dicebantur a Graecis, qui quidem nobis nunc aliquanto magis noti, quam fuere Scaligero, facti sunt peregrinatorum opera, *thesaurus* per translationem dicitur sepulcrum, sed *orcinus*, ut pateat, non de vero sermonem esse thesauro. Quo haud dubie Ennii locus, iam ab Iano Dousa patre Praecid. pro Tibullo cap. XI. admotus: *Acheruntem obibo, ubi mortis thesauri obiacent*, referendus est. Scilicet Acheruns, h. e. ᾅδης, commune mortuorum receptaculum subterraneum. Ut illuc revertar, *ἄϊδα mortem* sine ambiguitate Nicander Ther. 181. Cf. I. H. Vossius ad Arat. 298. A Catone illud et per se paullo operosius, *noscet iter ducens Erebo Ditis*, pro simplici *ibit in Orcum*, et ita dictum est, ut bene de homine dici posse, quemadmodum apud Sophoclem Trach. 874. *βέβηκε Δηάνειρα τὴν πανυστάτην ὁδῶν ἁπασῶν ἐξ ἀκινήτου ποδός*, ap. Euripidem Hec. 1105. *ἢ τὸν ἐς Ἀΐδα μελανοχρῶτα πορθμὸν ᾄξω τάλας*: minus bene de re inanimata, ut silva, videatur. Aliquanto ad Catonem propius accedit Catullus, ubi *iter tenebricosum* quid est aliud, quam *iter ducens Erebo*? Ei oppositus est in versu praeced. *aether cyaneus*.

Sed plura hic sunt, quae offendant assuetum elegantiae Virgilianae lectorem. Duo participia diversi generis, *resplendens*, *ducens*, non sic coniuncturus fuisset Virgilius tam brevi intervallo. Tum *Ditis* in extremo versu, post praegressam sententiae interpellationem, *tua*, *Lydia*, languet aliquantulum: cf. ad v. 66. et quae moniturus sum ad v. 100. *Erebum* commemorari iuxta *Ditem* tritum est: ut Lucanus I. 455. *tacitas* Erebi *sedes*, Ditisque *profundi Pallida regna*; *Erebum Ditis* qui coniuncte dixerit, praeter Catonem habeo neminem. *Ditis* - *Orcus* olim librorum nescio quorum, Iano Dousa et A. Statio testantibus, scriptura in Tibull. III. III. extr. ubi nunc recte *Dives*. Similis est verborum ad eumdem fere sensum redeuntium coniunctio, *Tartara leti*, vel *Leti*, quam Virgilio Georg. IV. 481. 2. praeivit Lucretius III. 42. 13. Sed magis similis Sophocles O. C. 1391. H. τὸ Ταρτάρου στυγνὸν πατρῷον ἔρεβος. Et sensus quidem Catonis non est in ambiguo: *Erebum* dicit obscuritatem infernam, quae vocis significatio et ab etymologia commendationem habet, et grammaticorum, ut Festi, scriptorumque graecorum, ut Sophoclis l. l. et Aiace 395. Antig. 589. auctoritate comprobatur. Ut *Erebos Ditis* idem sit, quod usitatius a Catullo et Lucretio I. 116. dicitur, *tenebrae Orci*. Quamquam poetae latini illud tamquam nomen proprium usurpare solent. Sed etiam Virgilius iuvenis quum *Erebo* dixit in Culice v. 201., dixit latiore significatione: *Iam quatiens biiugis oriens* Erebo *cit equos Nox*. Non invenio quod praestet emendationi Scaligeri, neque moror in hoc poeta participia eiusdem generis parum eleganter coniuncta duo. In libris *quatit et b*. Quid sibi velit, Ennii versus patefacit ap. Ciceronem de Divinat. I. XLVIII. *Interea sol albus recessit in infera noctis*. Idem est *Erebo* in Culice, et *infera noctis* apud Ennium. Neuter Tartarum, sed caliginem dicunt eam, quae interdiu latere sub margine orbis terrarum, noctu autem assurgere, caelumque occupare videtur. Cf. Quintus Smyrn. XII. 118. XIV. 2. Dativi usus, *Erebo ducens*, satis notus. Manilius III. 617. *Immatura trahent natales corpora* morti. Virgilius Cul. 186. *Obtritum* morti *misit*. Ut taceam alios Virgilii, aliorum, locos.

Heinsii unam coniecturam, *aequore* v. 40. iam vidimus. Deinde *Non iterum reduces* tentabat. Postea in scripturam Aldinam pronior, quam recte, ut puto, ad codicem refert Bembinum: Quin *tua Cyaneo* r. aequore *silva* Noscat *iter ducens Erebo*, mea Lydia, *Ditis*. vel *Pascet*. Addit, manifeste de Aetna agi: per crateras enim Aetnae Plutonem erupisse Proserpinae raptorem. Quam in sententiam non male ita iungebat ista: *iter Ditis ducens Erebo*. Sed de Aetna somnia sunt. *Quum* tu *cyaneo r. aeth. s. Non iterum dicens*, eram ego tua, Lydia! *dixti*, Silligii; *Quum tua c. r. aeth. s. Non iterum* luget crebro tua, Lydia, dici: Putschii coniectura.

*Nosset iter ducens E. t. L. Ditis* Antv. 1556. 1580. et sic iam erat in marg. Mogunt. 1549. sed nihil hoc est nisi vitium, *Nosset* ex *Noscet*.

V. 42. VICINAE FLAMMAE RAPIANT EX ORDINE VITES. Vinctum fuisse iuxta silvam apparet. Ac fortasse ex hoc ipso vineto *uvam decerpens* Lydia cogitanda est, in Ecloga v. 11. Nunc cum eo vineto flammam communicari, et extendi per segetes v. 43. 44. et per totum agrum v. 45. 46. 52. iubet. *Vicinae* tam obscurum fuit Heinsio, ut rursus inferat Aetnam suam: videtur, inquit, Catonis villa haec aut Aetnae vicina fuisse aut Vesuvio. Sed statim *vicinas* se malle, vel *vicino*, addit. Et *Vicinas* Gronovius coniecerat apud Arnoldum. Ad sensum non male: sed elegantius ad flammas refertur epitheton. Quippe silva quum ardet, et quum *vicinae* flammae rapere vites dicuntur, sponte intelligitur, vites etiam ipsas esse *vicinas*. Id senserat, nisi fallor, Gloss. V. I. qui apposuit explicationem: flamme rapiant, invadant, vicinas vites.

*ex ordine*, ἐφεξῆς, dubium est utrum sit, unam vitem post alteram, an *suo loco, post silvam*. Illa significatione valde usitatum *ex ordine*. Lucilius XXIX. fragm. L. *Adde alios omnes meo periclo* ex ordine. Idem IV. fr. I. *compellans gumias* ex ordine *nostros*. Lucretius I. 606. IV. 371. 578. 971. V. 419. Ciris v. 417. *Vincta tot assiduos pendebo* ex ordine *luces*. Virgilius Aen. I. 456. videt Iliacas ex ordine *pugnas*. Pro quo *in ordine* reperitur aliquoties. Ciris v. 29. *Ergo Palladiae texuntur* in ordine *pugnae*. Lucilius XI. fr. XV. *Hic ubi consessum, pellesque ut* in ordine *tentae*. Verum neque alteram explicationem consuetudini repugnare sermonis puto. Certe sic Lucilius *ordine* dixit, V. fr. XIV. *Flebile caepe simul, lacrimosaeque* ordine *tallae*. h. e. tallae suo loco: non ut plures tallas unam post alteram apponi dicat, sed ut tallas iuxta alios cibos. Atque hoc praefero apud Catonem.

V. 43. 4. PASCANTUR SEGETES, DIFFUSIS IGNIBUS AURA etc. Licebat ita distinguere: *Vicinae flammae rapiant ex o. vites, Pascantur segetes*: ut *segetes* esset accusativus, et *pasci* dicerentur *flammae*, quo modo Prisciano lib. XVIII. 1168. observante, Virgilius loquitur Georg. III. 314. *Pascuntur — silvas*. Ego, ut alacrior fieret sermo, ac magis varius, seiungere haec a versu praeced. ausus sum, *Pascantur segetes*, ut *segetes* nominativus sit: etsi nihil nunc simile habeo, praeterquam quod *pastus* reperitur significatione passiva, comestus. Deinde ex Livio XXV. XII, 10. et quidem ex carmine Marcii vatis, laudatur: *nam is Divus exstinguet perduelles vestros, qui vestros campos* pascunt *placide*. Sic iam Domitius et Badius accepere nostrum, qui *Pascan-*

*tur* explicant: devorentur, absumantur. *Pascuntur* August. Deinde *aurae* in scriptis Heinsii, h. e. in Petav. et Thuan. et in meis tantum non omnibus, etiam Vossiano I. et in vetere editione omni. *aura* recte Paris. IV. Mutinensis, Aldinae, post Aldinas Venetae 1544. 1555. 1558. Antv. 1556. Bas. H. P. 1561. Scaligg. Pith. recentiores.

Post hunc versum Parisinus IV. ut ad v. 41. monui, illum inserit: *Noscet intra* etc.

V. 44. TRANSVOLET, ARBORIBUS CONIUNGAT ET ARDOR ARISTAS.
*Coniungat et arbor*] Lege

— *contingat et ardor aristas.* SCAL. *contingat* in Leid. Helmst. Voss. I. Angl. *arbor* in libris omnibus. *Transuolent* in Paris. IV. idemque *et* omittit. Deinde in Romanis et Veneta Achat. ita haec concepta ac distincta feruntur:

*Pascantur segetes diffusis ignibus* aurae.
*Transuolet arboribus. coniungat et* arbor *aristas.*
*Pertica* que *nostros* etc.

Venetae autem Rub. et Iens. cum Vicent. distinctionem post *aristas* omittunt, quasi iungendum sit *arbor pertica.* Atque sic iungit interpretaturque Badius. Opem tulerunt partim, restituto *aura*, Aldinae, quarum tamen prior male punctum retinet post *aura*; partim Scaliger praeclara emendatione *ardor.* Et hoc quidem, *ardor*, excogitavit etiam multo ante Scaligerum tempore Gloss. V. I. At Scaliger quum emendationem suam proposuisse in Coniectaneis satis habuisset, non recipi eam in ordinem iussisset, mansit absurdum *arbor* in multis post Scaligerum.

Vel sic tamen de nexu verborum ac distinctione quaerebatur. Et Scaliger quidem, quem sequitur Arnoldus, altera opus esse emendatione, *contingat*, opinabatur. Sed displicet mihi *arboribus* ablativus. Gronovii duae loci huius explicationes exstant. Prior, Obss. lib. II. cap. III. p. 103. valde illa incerta, neque his, quibus Gronovius utitur, comprobanda locis: ut *coniungat* per se ipsum idem significet, quod *contingat*; gallicum *joindre.* Posterior, unice vera, quam ego ex Arnoldi eruo commentario, ubi qui ab Arnoldo dicitur *singularis amicus noster*, haud dubie ille ipse est I. Fr. Gronovius: ut incidatur non post *arboribus*, sed post *Transvolet*, hac sententia: Continuum incendium fiat ex segete ad arbores, et ex arboribus ad segetem. Vel, ut ego paullo dicam explicatius, primo Cato breviter *Pascantur*, inquit, *segetes.* Tum addit, quo debeant modo pasci: *diffusis* per silvam vineamque *ignibus aura transvolet* scil. in segetes, *et arboribus*, quae iam ardent, *ardor* h. e. incendium, *coniungat* i. e. addat, *aristas.* Unum incendium fiat per

arbores et segetes: *una horrida acies Volcania*, ut ait ille. Possis etiam sic, non magno sententiae discrimine: *Pascantur segetes diffusis ignibus* : *aura Transvolet*, etc. Sed praefero illud. Iam sic acceptus locus re vera similis atque geminus erit loco Culicis 137. quem ita tentat Gronovius Obss. l. l. emendatione pereleganti:

*Appetit aereis* coniungere *montibus astra.*

Quamquam ibi librorum auctoritate Thuanei ap. Vossium, Augustani, Vossiani 81. Basileensis, Venetarum Achat. Rub. Iens. et Mutinensis, tutum videtur *contingere*, modo adsciscas lenem Scaligeri correctionem *motibus* pro *montibus*. *Arborum* appellatione Cato arbores, in silva illas, et vites in propinquo silvae vineto comprehendit. Aptissime. Ut enim non pro veris arboribus vites habuerit Cato, potuit tamen illas numerare inter arbores hoc loco, ubi genus opponitur generi: *arbores*, quibuscum hoc commune est vitibus, quod ligna faciunt, *segeti*, *aristis*. Sed fuisse etiam naturae peritos multos, qui vites inter arbores numerarent, testis est Plinius. Monui, ne quis forte de arboribus, quibus maritatae noto more vites, cogitet. Non quod negem fuisse vinetum Catonis eo more institutum, sed aliena ab nostro loco harum arborum mentio est. Denique *aura* non ventum, sed spiritum quasi flammae, vel flammam ipsam, quam ex silva vineaque in segetes dirigit atque compellit ventus, significat. Docta est hac de voce Wakefieldii ad Lucretium, tum alibi, tum ad lib. VI. 220. p. 264. sq. Vol. III. ed. Glasg. disputatio.

Veram scripturam distinctionemque exhibet etiam Arnoldus sup. ad V. 11. ubi profert hunc locum; et Wernsdorfius, sed hic casu, vel invitus: nam ipse coniecturam probat Heinsii *auras Transvolet*, *arboribus coniungat et ardor aristas*. Heinsius etiam sic: *umbras Transvolet arboreas*. et alio tempore: *coniungat et arbori aristas*. Wakefieldius l. l. *Pascantur segetes*; *diffusis ignibus*, *aura Transvolet*, *arboribus coniungat* ut *ardor aristas*. *ut* pro *et*, approbante Eichstadio. Mihi per copulam necti sententias, et simplicius visum est, et magis poeticum. De particula *et* tertio loco posita disputationem reiicio in Diss. III.

V. 45. PERTICA QUA NOSTROS METATA EST IMPIA AGELLOS.

*Pertica quae*] *Pertica qua*. Et ita nonnullae editiones. *Pertica*, Propertius: *Abstulerat miseras pertica tristis opes*. In Italia, ut et pueri sciunt, perticis antiquitus metabantur agros: Barbari vero funibus: ut est in sacris literis, et apud Herodotum. unde σχοινίῳ μετρῆσαι. Postea hunc funem etiam Romanis *aruipendium* nominatum invenio. In veteri Glossario exponitur, σχοῖνος γεωμετρικός. Quare quum in Gal-

putem, quum loco laud. *caligine fulva* scribit. In Virgilii locum Agroetius c. 2274. aliquid simile Creechii Wakefieldiique ad Lucretium inventioni comminiscitur. Verum hoc si voluisset Virgilius, disertius declaraturus erat, tamquam rem miram, vel raram, ut facit Aen. VII. 142. Ut nunc res est, eum tam in Virgilii loco, quam caeteris quos apposui omnibus, colorem cogitabimus, qui communis cineri, pulveri, ac nubibus tum quidem, quum candidae esse desierunt, h. e. cinereum, ex albo nigroque mixtum, vergentem aliquantulum in flavum. Ut in puellarum capillis species flavi coloris ea laudatur, quam Galli *cendré* dicunt. Pacuvius et iam *flavum* dicere ausus est pulverem, ubi Euryclea pedes lavat Ulixis. Bene Catonis versum I. H. Vossius in Epistolis mythol. I. xxxv. accepit: Eurus jage vermischt mit gelblichem Dunkel Gewölk her. Et apud Catonem quidem *fulva* non solum librorum auctoritate tuear, sed sua virtute propriaque potestate. Consulto *mixtam* fulva *caligine nubem* dixit, h. e. ambigui coloris, accedentis quidem ad nigrum, sed tamen a nigro diversi: nigrorem, verasque tenebras, proximo versui reservat, ubi *nimbi minitantes imbrem* intelligendi sunt nigri, ut solent esse, quum imber instat gravissimus. Ordine quodam procedit poeta, ventosque diversos unum post alterum evocat, et dum concertationem fieri eo fere modo, quo in mari decertantes venti describuntur a multis, ut ab Horatio Carm. I. III, 12. 3. et aliis ap. Columnam in Fragm. Ennii p. 114. Hess. ventorum iubet, suam vento cuique proprietatem tribuit. *Boreae* vehementiam spirandi immanem. *Euro* hoc, ut nubes agat, quum Boreae magis proprium sit, dissipare nubes. Eurus *nubifer*, et similia ubique. Facit etiam *imbres* Eurus, ut apud Horat. Epod. XVI. 54. Sed tamen imbres, iique ex densissimis nigerrimisque nubibus, et cum fulmine tonitruque coniuncti, magis proprie ad *Austrum*, sive, ut noster, ad *Africum* pertinent. Unde Auster *imbricitor* apud Ennium l. l. p. 115. vel *imbricus*, ut Plautus Merc. V. II, 35. *Auster fulmine pollens* Lucret. V. 744. Cf. Virg. Aen. V. 696. proximisque versibus. Austro autem proximus *Africus* est. At Cato non effundi imbres iubet: exstinguerent enim incendium. Ac nescio an magis *minitantes* ad formidinem excitandam *nimbi* faciant, quam qui effunduntur imbres.

*comitantibus* coniecerat aliquando Heinsius, vel *inmittat* pro *immineat*. *incumbat* Burmannus, *quia* immineat *et* minitantibus *sonum auribus ingratiorem praebent*, et quia sic loquuntur alii. Neutrum validum argumentum est. Nam illud quod attinet, ea, quae de Allitteratione scripsi, persuadebunt, ut spero, omnibus, Catonis maxime aetate gratum magis quam ingratum fuisse istum ex similitudine soni lusum. Quamquam haec mihi tam debilis allitteratio videtur, *immineat minitantibus*,

praesertim quum *nimbis* intercedat, ut eam ne Romanas quidem affecisse aures existimem.

V. 40. 1. QUOM TUA CYANEO RESPLENDENS AETHERE etc.

*Cum tua Cyaneo*] *Cyaneo*, caeruleo, ut in Ciri *caeruleas umbras*. Tamen hic quoque *Cyrneo* legi posset, ut supra *Cyrneas voces*. *Non iterum dicens*] Ita habent omnes antiquitus excusi, quod in recentioribus impudenti audacia in nescio quod monstrum sententiae mutatum fuit. Ego vero *dicent*, non *dicens* lego, ut non opus sit tot verba interpolare. Cum amplius, inquit, nemo dicet *tua silva*. Nam crebro Lydia dixit *tua silva*. Auget invidiam a memoria rei amissae, ut, *fuimus Troes*. et, *Campos*, *ubi Troia fuit*. SCALIGER.

Versus 40. nihil, mihi quidem, difficultatis habet. Neque variant quicquam libri, praeter Paris. IV. in quo *resplendeat*, et Mon. I. II. Vrat. I. Brix. Ven. 1488. Mediol. 1501. in quibus *respondens*. *cianeo* Vrat. II. *Quom* Angl. et Bas. *cyaneo* epitheton recte de colore coelesti accipit Pomponius Sabinus. Contra quem inepta eruditionis ostentatione exsurgit Domitius. Gloss. V. I. *Cyaneus color est dubius color qualis est color celestis. Plinius alcyones hunc colorem habere dicit.* male, quod *dubium* dicit. Plinii locus est H. N. X. XXXII. *Cyaneum* Cato colorem coeli, quum serenum est, naturalem dicit: poterat etiam *caeruleum*. Qua in re observandum est, multo magis caeruleum, ut narrant, Italiae coelum esse, quam nostrum Hyperboreorum, quod quum maxime serenum est, raro tamen colorem totum caeruleum, cyaneum, qualis est cyani floris, sed plerumque aliquid pallidi habet, et albescit nimium. Eo, quo dixi, sensu Ennius bis *caeli* caerula *templa*, p. 34. p. 124. ed. Hessel. et rursus *cava* caerula p. 279. Arnoldus locum huc fortasse pertinentem Synesii laudat, hymno IX. *σὺ δὲ ταρσὸν ἐλάσσας κυανάντυγος οὐρανοῦ ὑπερήλαο νώτων*. Alioqui non multa huius usus exempla invenio. Aliud est, quum mare *caeruleum* dicitur, aut quum *caeruleum*, *κυάνεον*, id, quod fuscum. *Resplendet* autem silva *aethere cyaneo*, ut solent non solum silvae, sed etiam arva, prata, omnia, resplendere ac ridere, quum serenum coelum est; contra obscurato nubibus coelo, caligant, ac moesta iacent omnia. Scite poeta silvae suae, cui interitum imprecatur, imaginem sibi ante oculos ponit eam, quae iucundissima, et qua olim delectatus fuerat quam maxime. Quo enim aliquid pulchrius, eo acerbius sentitur interitus. Dolet, quod tam pulchra perire silva debeat, sed tamen perire silvam repente fulminibus Iovis mavult, quam devastari a milite. Post haec apparet, quid coniecturae tribuendum sit Heinsii, *cyaneo aequore*. Etsi eam ab una parte bene stabilivit, dum recte *cyaneum* dici *aequor* locis ab se ingeniose, et vere, quantum video, emendatis Avieni demonstrat:

cf. Burmannus in Anth. Lat. T. I. p. 63. sq. add. Anth. Lat. lib. V. CXIII, 7. At quam ille Catonis versui ita emendato explicationem addit, *aequor referebat imaginem silvae sibi incumbentis*: de ea vehementer dubito. Claudiani certe locus, de Raptu Pr. lib. III. extr.

*clarescit Etruscum*
*Littus*, *et* accenso resplendent aequore *Syrtes*:

alienus, sententiaeque Heinsii contrarius, ut quo non de Syrtium imagine, quam aequor referat, sed de splendore sermo est, qui ab illuminato facibus Cereris mari in Syrtes perveniat, et transfundatur. Prorsus ut apud Catonem ex nostra interpretatione *cyaneo resplendens aethere silva.*

Versus 41. si quis alius in toto Catonis volumine, memorabilem scripturae varietatem offert. Constans librorum scriptorum, duobus exceptis, omnium, Petav. Thuan. Putean. ap. Burm. Voss. I. Helmst. Parisinor. II. III. Anglicani, Augustani, Monacensium, et Vratisl. I. itemque editorum ante Aldinas, uno excepto, omnium, scriptura est:

*Non iterum dicens.*

*erebo* vel *Erebo* in iisdem, nisi quod *herobo* in Paris. II. *crebo* in August. *herebo* in Ven. Achat. Rub. Vossiano II. Vicent. al. *crebro* in Mon. I. II. Vrat. I. *lidia* Thuan. Paris. II. III. August. Vrat. II. *lyda* Ven. Ach. Denique *dixti* iidem illi omnes, praeter Mon. I. II. Vrat. I. in quibus *dixi* et Norimb. 1492. Ven. 1499. Argent. 1502. Ascens. I. II. III. Iuntinam, in quibus *dixit*. *dixit* fortasse Domitii coniectura est Calderini, cuius haec sunt verba ad h. l. *Lydia*: *lydiam enim amicam Verg. non nomine proprio sed placabilem notare voluit. Nusquam enim meretrices placabiliores quam in lydia reperiuntur*: *ut non solum a fututoribus precia non exigant quam omnino illis persolvant.* Respicit Strabonem lib. XI. extr. Tam mirabilia aliquo tamen consilio, non prorsus temere, adscripsisse Domitium putes. Ac fortasse ita accipiebat ista: Quum Lydia dixit, quod non amplius dictura est, *tua, tua silva est.* Ut indicetur, poetam dono accepisse eam silvam a Lydia. Audacius Gloss. V. I. radendo et corrigendo versum effinxit talem: *Non iterum dices echo. tua lydia dixit.* Sed omnino nihil posse sani ex illo librorum monstro extricari, documento est infelix Scaligeri conatus: a quo non multum differt commentum Wernsdorfii, qui *crebro* legebat, ut Scaliger, sed *dices*. *crebro* editum ante Scaligerum fuerat in Hagan. 1531. Bas. 1543. Mogunt. 1549. Lugd. 1556. sic: *Non it. dicens crebro t. L. dixti.*

Amplectendum erat, quod in Aldinis, et ex Aldinis in Venetis 1544. 1555. 1558. Basil. H. P. 1561. Scaligeranis, quamquam invito Scaligero, apud Pithoeum, et recentiores, legitur:

*Noscet iter ducens Erebo tua Lydia Ditis.*
Et amplectendum, me quidem iudice, etiamsi nullam nisi ab Aldinis, et ab Mediceo, in quo esse *Noscet iter Herebo dulcis* Burmannus testatur, commendationem haberet. Nam MS., quem Burmannus dicit, Pierii, qui consentit cum Aldinis, nulla est auctoritas. Nunc nostris res libris conficitur. Quales si habuisset, non illud scripturus erat Scaliger, quod odio Aldinarum scribit, de *impudenti audacia*, et *nescio quod monstrum. Noscet iter ducens herebo tua lydia ditis* ante Aldinam I. annis duobus et quadraginta editum in exoptatissima illa Mutinensi; et Parisinus IV. primo quidem versum suo loco ita scriptum: *Non iterum dices crebro tua lydia dixti*, sed mox post versum 43. *Pascantur — aura*, iterum eumdem, ita conceptum: *Noscet intra ducēs crebo* (vel *crebo*) *tua lydia ditis*, ponit.

Deinde inter omnes, quotquot receperunt veram scripturam Aldinam, unus fortasse Arnoldus recte accepit atque intellexit eam scripturam Certe Boxhornius non intellexerat, cui verbis *tua silva* Battarum alloqui poeta fluvium videbatur. Neque Heinsius. Et inutile post *iter* comma fertur in Scaligeranis, aliis. Veram distinctionem ex Arnoldo dedimus, hoc sensu: quum tua silva, tua, o Lydia, quae nunc aethere resplendet cyaneo, noscet iter ducens Erebo Ditis. Rursus habes perpetuo usitatam Catoni apostrophen. Verum hoc pulchrius apud poetam, quam in explicatione mea modo proposita, quod primo *tua silva* dicit simpliciter, non nominans Lydiam, quippe satis suo animo praesentem, deinde in fine multa cum vi repetit *tua*, additque appellationem *Lydiae*. *tua* autem, non quod silvam Cato donaverit Lydiae, sed quia diligebat silvam Lydia, atque amantes sua inter se communia habent. Cf. dicta ad v. 26.

Haec ego magis perspicue, quam Arnoldus, cui homini proprium est, sicubi bene aliquid observaverit, quod quidem illi raro contingit, id perturbare ac perdere rursus multis verborum ambagibus, rerumque inutilium recordatione importuna. Sic ille, ubi verba *noscet iter ducens Erebo Ditis* explicare aggreditur, priora non male: *De his autem*, *quae funditus perduntur*, *poetice dici solet*, *quod iter Erebi*, *sive inferni ingressa fuerint*; mox in omnia alia abripitur ita, ut etiam de terrae motu cogitet. Igitur hoc nobis probandum reliquit, bene dici de silva, quae incendio deletur, *noscere iter ducens Erebo Ditis*. Quod difficile videtur ad probandum esse. De animalibus quidem, ut ordine quodam hanc rem pertractem, satis usitate ita dicitur. Theocritus IV. 26. 7. *βασεῦνται καὶ ταὶ βόες, ὦ τάλαν Αἴγων, εἰς ἀΐδαν.* Idem epigr. VI. 3. *οἴχεται ἁ χίμαρος, τὸ καλὸν τέκος, οἴχετ' ἐς ᾅδαν.* Anyte, si est Anyte, XIV. T. I. Anal. p. 200. et qui variavit hoc epigramma, Marcus Argentarius XXIX. T. II. p. 273. de locusta et cicada, Anyte:

*ὁ δυσπειθὴς ᾤχετ' ἔχων Ἀΐδας*, Marcus: *τὸν γὰρ ἀοιδὸν Ἅιδης, τὴν δ'ἑτέρην ἥρπασε Περσεφόνη.* Cf. Callim. epigr. XIV, 6. Romanos quod attinet, ecquis est, cui non ante oculos versetur *passer* Catulli? *Qui nunc it per iter tenebricosum illuc*, et *At vobis male sit, malae tenebrae Orci* etc. Cf. si placet, epitaphium in avem, Anth. Lat. T. II. lib. IV. CCCCIV. *Nunc manes blandis mulceo rapta sonis*; et paullo post prolata a Burmanno p. 294. inscriptio in lusciniam, incertae aetatis, partim ex Catullo expressa, ubi: *vale, et vola per Elysium.* Nemo hac in re longius processit quam Virgilius iuvenis, apud quem Culex quae loquitur, plane talia sunt, ut umbram audire nobis hominis videamur, et patitur ea omnia apud inferos, quae homines solent. Scilicet tum Virgilius, quum vehementer cuperet loca infera describere, quem latum campum, occasionemque exspatiandi egregiam esse intelligeret, eam descriptionem parum apte Culici, minutissimae omnium bestiolae, tribuit. Multo rarius, *quum* res inanimatae *descendere, trahi in Orcum*, *Ἅιδην*, dicuntur. Pauca annotavi. Philippus Thess. XII. T. II. Anal. p. 215. de navi: *ἱςὸς δὲ πᾶς ὤλισθεν εἰς ἅλα πτύσας φορτὶς δ' ἐσύρετ' ἐς Ἀΐδαν.* Similia, itidem de navi, Antiphilus XLII. T. II. p. 181. et Etruscus Mess. in variatione argumenti eiusdem, T. II. p. 307. Aiax Sophoclis v. 660. quum se defossurum esse gladium dicit, *ἀλλ' αὐτὸ νὺξ Ἅιδης τε σωζόντων κάτω*, non dicit *Ἅιδην* proprie, sed omne id, quod subterraneum est, ad Orci imperium pertinere quodammodo significat. Ut ea, quae sunt sub mari, propiora esse Tartaro putantur: Ovid. Trist. I. II, 22. cf. Metam. XI. 504. Aeque inusitatum istud apud scriptores latinos est. Petronius enim cap. XXI. vs. 120. *Ad Stygios manes laceratus ducitur orbis*: specie magis quam re similis Catoni, quum *orbis* ibi significet mortales: docent praecedentia. Paullo ad rem aptius, quod Nonius testatur: interfici *et* occidi *ad* inanimata *veteres vehementi auctoritate posuerunt.* ut locus iste in Paris. 1583. legitur, nisi quod *inanimata* scripsi cum Bongars. pro *animata*: aliud, nescio an ex libris, Mercerus edidit p. 449, 23. Cf. id. Nonius p. 330, 27. Quodsi ita usurpare veteribus *interfici* et *occidi* licuit, licuisse etiam alterum credas, ut inanimata *abire in Orcum, sive Ἅιδην*, dicerent. Et omnino, quod rarius hoc dici observavi, nolim ita accipi, acsi multis eam in rem exemplis opus esse putem, aut de Catonis loco ullo modo dubitem. Sufficiunt per se sola, nisi fallor, illa quae de animalibus exempla posui. Quid enim? Quum veteres animalia *οἴχεσθαι εἰς Ἅιδην*, vel *ᾅδην*, dicunt, num immortalitatem quamdam tribui animalibus, vitamque in Orco alteram, qualis est hominum, volunt? Sane nonnulli volunt. Ut Virgilius, apud quem hac ipsa in re cernitur, quam infeliciter totum illud de umbra Culicis

excogitatum sit: ineptum est enim, eamdem culicis, post obitum, et hominis sortem atque conditionem esse. Sapientius Ovidius Amor. II. vi. psittaco Corinnae secretam sedem nemoralem colle sub Elysio assignat, in loco, quem dicit, volucrum piarum. At apud alios, ut apud Theocritum locis laudatis, ᾅδης *mortem, interitum*, simpliciter significat, et βήσεσθαι εἰς ἀΐδαν, οἴχεσθαι εἰς ᾅδαν, *perdi*, *perire*. Iam *pereundi* notio quum in inanimata non minus quam in animata cadat, nihil obstabat, quominus etiam *silva in Orcum abire* diceretur. Eodem modo nos Germani, etsi hoc differt inter utrumque, quod saepe differre videmus in comparationibus eiusmodi, ut, quae veteres in genere dicendi ornato ac poetico dixere, iis prorsus similia nos habeamus, sed humili generi ac vulgari loquendi consuetudini propria, et contra: eodem modo nos: zum Teufel gehen. Quod quum proprie tantum in homines cadat, de aliis rebus dicitur omnibus, tam animatis, quam inanimatis: der Wald ist zum Teufel; wann dein Wald zum Teufel gehen wird. Ad hanc latiorem vocis Ἅιδης, vel potius, ut in locis huiusmodi scribendum videtur, ᾅδης, significationem Aeschylum Agam. 667. ᾅδην πόντιον πεφευγότες, revocari malim, quam, quod Huschkio Anal. crit. p. 124. sqq. placuit, ad notionem *sepulcri*. Neque de Philippi loco, supra laudato, assentior. Quo tamen non nego alibi, quum ᾅδης dicitur, subesse notionem *sepulcri*, ut, quo loco idem utitur Huschkius, Epigr. incert. DCCVIII. Est enim haec quoque notio prope coniuncta cum primaria vocis significatione, si reputes, quod supra tetigi ad locum Sophoclis. Unde est in nobili Naevii inscriptione: *Itaque postquam est* Orcino *traditus thesauro*: quod unus recte explicuit Scaliger ad Festum. A similitudine eorum, qui proprie *thesauri* dicebantur a Graecis, qui quidem nobis nunc aliquanto magis noti, quam fuere Scaligero, facti sunt peregrinatorum opera, *thesaurus* per translationem dicitur sepulcrum, sed *orcinus*, ut pateat, non de vero sermonem esse thesauro. Quo haud dubie Ennii locus, iam ab Iano Dousa patre Praecid. pro Tibullo cap. XI. admotus: *Acheruntem obibo*, *ubi mortis thesauri obiacent*, referendus est. Scilicet Acheruns, h. e. ᾅδης, commune mortuorum receptaculum subterraneum. Ut illuc revertar, ἀΐδα *mortem* sine ambiguitate Nicander Ther. 181. Cf. I. H. Vossius ad Arat. 298. A Catone illud et per se paullo operosius, *noscet iter ducens Erebo Ditis*, pro simplici *ibit in Orcum*, et ita dictum est, ut bene de homine dici posse, quemadmodum apud Sophoclem Trach. 874. βέβηκε Δηάνειρα τὴν πανυστάτην ὁδῶν ἁπασῶν ἐξ ἀκινήτου ποδός, ap. Euripidem Hec. 1105. ἢ τὸν ἐς Ἀΐδα μελανοχρῶτα πορθμὸν ᾄξω τάλας: minus bene de re inanimata, ut silva, videatur. Aliquanto ad Catonem propius accedit Catullus, ubi *iter tenebricosum* quid est aliud, quam *iter ducens Erebo*? Ei oppositus est in versu praeced. *aether cyaneus*.

Sed plura hic sunt, quae offendant assuetum elegantiae Virgilianae lectorem. Duo participia diversi generis, *resplendens*, *ducens*, non sic coniuncturus fuisset Virgilius tam brevi intervallo. Tum *Ditis* in extremo versu, post praegressam sententiae interpellationem, *tua*, *Lydia*, languet aliquantulum: cf. ad v. 66. et quae moniturus sum ad v. 100. *Erebum* commemorari iuxta *Ditem* tritum est: ut Lucanus I. 455. *tacitas* Erebi *sedes*, Ditisque *profundi Pallida regna*; *Erebum Ditis* qui coniuncte dixerit, praeter Catonem habeo neminem. *Ditis - Orcus* olim librorum nescio quorum, Iano Dousa et A. Statio testantibus, scriptura in Tibull. III. III. extr. ubi nunc recte *Dives*. Similis est verborum ad eumdem fere sensum redeuntium coniunctio, *Tartara leti*, vel *Leti*, quam Virgilio Georg. IV. 481. 2. praeivit Lucretius III. 42. 13. Sed magis similis Sophocles O. C. 1391. II. *τὸ Ταρτάρου στυγνὸν πατρῷον ἔρεβος*. Et sensus quidem Catonis non est in ambiguo: *Erebum* dicit obscuritatem infernam, quae vocis significatio et ab etymologia commendationem habet, et grammaticorum, ut Festi, scriptorumque graecorum, ut Sophoclis l. l. et Aiace 395. Antig. 589. auctoritate comprobatur. Ut *Erebos Ditis* idem sit, quod usitatius a Catullo et Lucretio I. 116. dicitur, *tenebrae Orci*. Quamquam poetae latini illud tamquam nomen proprium usurpare solent. Sed etiam Virgilius iuvenis quum *Erebo* dixit in Culice v. 201., dixit latiore significatione: *Iam quatiens biiugis oriens* Erebo *cit equos Nox*. Non invenio quod praestet emendationi Scaligeri, neque moror in hoc poeta participia eiusdem generis parum eleganter coniuncta duo. In libris *quatit et b*. Quid sibi velit, Ennii versus patefacit ap. Ciceronem de Divinat. I. XLVIII. *Interea sol albus recessit in infera noctis*. Idem est *Erebo* in Culice, et *infera noctis* apud Ennium. Neuter Tartarum, sed caliginem dicunt eam, quae interdiu latere sub margine orbis terrarum, noctu autem assurgere, caelumque occupare videtur. Cf. Quintus Smyrn. XII. 118. XIV. 2. Dativi usus, *Erebo ducens*, satis notus. Manilius III. 617. *Immatura trahent natales corpora* morti. Virgilius Cul. 186. *Obtritum* morti *misit*. Ut taceam alios Virgilii, aliorum, locos.

Heinsii unam coniecturam, *aequore* v. 40. iam vidimus. Deinde *Non iterum reduces* tentabat. Postea in scripturam Aldinam pronior, quam recte, ut puto, ad codicem refert Bembinum: Quin *tua Cyaneo* r. aequore *silva* Noscat *iter ducens Erebo*, mea Lydia, *Ditis*. vel *Pascet*. Addit, manifeste de Aetna agi: per crateras enim Aetnae Plutonem erupisse Proserpinae raptorem. Quam in sententiam non male ita iungebat ista: *iter Ditis ducens Erebo*. Sed de Aetna somnia sunt. *Quum* tu *cyaneo r. aeth. s. Non iterum dicens*, eram ego tua, Lydia! *dixti*, Silligii; *Quum tua c. r. aeth. s. Non iterum* luget crebro tua, Lydia, dici: Putschii coniectura.

*Nosset iter ducens E. t. L. Ditis* Antv. 1556. 1580. et sic iam erat in marg. Mogunt. 1549. sed nihil hoc est nisi vitium, *Nosset* ex *Noscet*.

V. 42. VICINAE FLAMMAE RAPIANT EX ORDINE VITES. Vinctum fuisse iuxta silvam apparet. Ac fortasse ex hoc ipso vineto *uvam decerpens* Lydia cogitanda est, in Ecloga v. 11. Nunc cum eo vineto flammam communicari, et extendi per segetes v. 43. 44. et per totum agrum v. 45. 46. 52. iubet. *Vicinae* tam obscurum fuit Heinsio, ut rursus inferat Aetnam suam: videtur, inquit, Catonis villa haec aut Aetnae vicina fuisse aut Vesuvio. Sed statim *vicinas* se malle, vel *vicino*, addit. Et *Vicinas* Gronovius conieccrat apud Arnoldum. Ad sensum non male: sed elegantius ad flammas refertur epitheton. Quippe silva quum ardet, et quum *vicinae* flammae rapere vites dicuntur, sponte intelligitur, vites etiam ipsas esse *vicinas*. Id senserat, nisi fallor, Gloss. V. I. qui apposuit explicationem: flamme rapiant, invadant, vicinas vites.

*ex ordine*, ἐφεξῆς, dubium est utrum sit, unam vitem post alteram, an *suo loco, post silvam*. Illa significatione valde usitatum *ex ordine*. Lucilius XXIX. fragm. L. *Adde alios omnes meo periclo* ex ordine. Idem IV. fr. I. *compellans gumias* ex ordine *nostros*. Lucretius I. 606. IV. 371. 578. 971. V. 419. Ciris v. 417. *Vincta tot assiduos pendebo* ex ordine *luces*. Virgilius Aen. I. 456. videt Iliacas ex ordine *pugnas*. Pro quo *in ordine* reperitur aliquoties. Ciris v. 29. *Ergo Palladiae texuntur* in ordine *pugnae*. Lucilius XI. fr. XV. *Hic ubi consessum, pellesque ut* in ordine *tentae*. Verum neque alteram explicationem consuetudini repugnare sermonis puto. Certe sic Lucilius *ordine* dixit, V. fr. XIV. *Flebile caepe simul, lacrimosaeque* ordine *tallae*. h. e. tallae suo loco: non ut plures tallas unam post alteram apponi dicat, sed ut tallas iuxta alios cibos. Atque hoc praefero apud Catonem.

V. 43. 4. PASCANTUR SEGETES, DIFFUSIS IGNIBUS AURA etc. Licebat ita distinguere: *Vicinae flammae rapiant ex o. vites, Pascantur segetes*: ut *segetes* esset accusativus, et *pasci* dicerentur *flammae*, quo modo Prisciano lib. XVIII. 1168. observante, Virgilius loquitur Georg. III. 314. *Pascuntur — silvas*. Ego, ut alacrior fieret sermo, ac magis varius, seiungere haec a versu praeced. ausus sum, *Pascantur segetes*, ut *segetes* nominativus sit: etsi nihil nunc simile habeo, praeterquam quod *pastus* reperitur significatione passiva, comestus. Deinde ex Livio XXV. XII, 10. et quidem ex carmine Marcii vatis, laudatur: *nam is Divus exstinguet perduelles vestros, qui vestros campos* pascunt *placide*. Sic iam Domitius et Badius accepere nostrum, qui *Pascan-*

*tur* explicant: devorentur, absumantur. *Pascuntur* August. Deinde *aurae* in scriptis Heinsii, h. e. in Petav. et Thuan. et in meis tantum non omnibus, etiam Vossiano I. et in vetere editione omni. *aura* recte Paris. IV. Mutinensis, Aldinae, post Aldinas Venetae 1544. 1555. 1558. Antv. 1556. Bas. H. P. 1561. Scaligg. Pith. recentiores.

Post hunc versum Parisinus IV. ut ad v. 41. monui, illum inserit: *Noscet intra* etc.

V. 44. TRANSVOLET, ARBORIBUS CONIUNGAT ET ARDOR ARISTAS.

*Coniungat et arbor*] Lege

— *contingat et ardor aristas*. SCAL. *contingat* in Leid. Helmst. Voss. I. Angl. *arbor* in libris omnibus. *Transuolent* in Paris. IV. idemque *et* omittit. Deinde in Romanis et Veneta Achat. ita haec concepta ac distincta feruntur:

*Pascantur segetes diffusis ignibus* aurae.
*Transuolet arboribus. coniungat et* arbor *aristas*.
*Pertica* que *nostros* etc.

Venetae autem Rub. et Iens. cum Vicent. distinctionem post *aristas* omittunt, quasi iungendum sit *arbor pertica*. Atque sic iungit interpretaturque Badius. Opem tulerunt partim, restituto *aura*, Aldinae, quarum tamen prior male punctum retinet post *aura*; partim Scaliger praeclara emendatione *ardor*. Et hoc quidem, *ardor*, excogitavit etiam multo ante Scaligerum tempore Gloss. V. I. At Scaliger quum emendationem suam proposuisse in Coniectaneis satis habuisset, non recipi eam in ordinem iussisset, mansit absurdum *arbor* in multis post Scaligerum.

Vel sic tamen de nexu verborum ac distinctione quaerebatur. Et Scaliger quidem, quem sequitur Arnoldus, altera opus esse emendatione, *contingat*, opinabatur. Sed displicet mihi *arboribus* ablativus. Gronovii duae loci huius explicationes exstant. Prior, Obss. lib. II. cap. III. p. 103. valde illa incerta, neque his, quibus Gronovius utitur, comprobanda locis: ut *coniungat* per se ipsum idem significet, quod *contingat*; gallicum *joindre*. Posterior, unice vera, quam ego ex Arnoldi eruo commentario, ubi qui ab Arnoldo dicitur *singularis amicus noster*, haud dubie ille ipse est I. Fr. Gronovius: ut incidatur non post *arboribus*, sed post *Transvolet*, hac sententia: Continuum incendium fiat ex segete ad arbores, et ex arboribus ad segetem. Vel, ut ego paullo dicam explicatius, primo Cato breviter *Pascantur*, inquit, *segetes*. Tum addit, quo debeant modo pasci: *diffusis* per silvam vineamque *ignibus aura transvolet* scil. in segetes, *et arboribus*, quae iam ardent, *ardor* h. e. incendium, *coniungat* i. e. addat, *aristas*. Unum incendium fiat per

arbores et segetes: *una horrida acies Volcania*, ut ait ille. Possis etiam sic, non magno sententiae discrimine: *Pascantur segetes diffusis ignibus*: *aura Transvolet*, etc. Sed praefero illud. Iam sic acceptus locus re vera similis atque geminus erit loco Culicis 137. quem ita tentat Gronovius Obss. l. l. emendatione pereleganti:

*Appetit aereis* coniungere *montibus astra.*

Quamquam ibi librorum auctoritate Thuanei ap. Vossium, Augustani, Vossiani 81. Basileensis, Venetarum Achat. Rub. Iens. et Mutinensis, tutum videtur *contingere*, modo adsciscas lenem Scaligeri correctionem *motibus* pro *montibus*. *Arborum* appellatione Cato arbores, in silva illas, et vites in propinquo silvae vineto comprehendit. Aptissime. Ut enim non pro veris arboribus vites habuerit Cato, potuit tamen illas numerare inter arbores hoc loco, ubi genus opponitur generi: *arbores*, quibuscum hoc commune est vitibus, quod ligna faciunt, *segeti*, *aristis*. Sed fuisse etiam naturae peritos multos, qui vites inter arbores numerarent, testis est Plinius. Monui, ne quis forte de arboribus, quibus maritatae noto more vites, cogitet. Non quod negem fuisse vinetum Catonis eo more institutum, sed aliena ab nostro loco harum arborum mentio est. Denique *aura* non ventum, sed spiritum quasi flammae, vel flammam ipsam, quam ex silva vineaque in segetes dirigit atque compellit ventus, significat. Docta est hac de voce Wakefieldii ad Lucretium, tum alibi, tum ad lib. VI. 220. p. 264. sq. Vol. III. ed. Glasg. disputatio.

Veram scripturam distinctionemque exhibet etiam Arnoldus sup. ad V. 11. ubi profert hunc locum; et Wernsdorfius, sed hic casu, vel invitus: nam ipse coniecturam probat Heinsii *auras Transvolet, arboribus coniungat et ardor aristas.* Heinsius etiam sic: *umbras Transvolet arboreas.* et alio tempore: *coniungat et arbori aristas.* Wakefieldius l. l. *Pascantur segetes*; *diffusis ignibus, aura Transvolet, arboribus coniungat* ut *ardor aristas. ut* pro *et*, approbante Eichstadio. Mihi per copulam necti sententias, et simplicius visum est, et magis poeticum. De particula *et* tertio loco posita disputationem reiicio in Diss. III.

V. 45. PERTICA QUA NOSTROS METATA EST IMPIA AGELLOS.

*Pertica quae*] *Pertica qua*. Et ita nonnullae editiones. *Pertica*, Propertius: *Abstulerat miseras pertica tristis opes.* In Italia, ut et pueri sciunt, perticis antiquitus metabantur agros: Barbari vero funibus: ut est in sacris literis, et apud Herodotum. unde *σχοινίῳ μετρῆσαι.* Postea hunc funem etiam Romanis *aruipendium* nominatum invenio. In veteri Glossario exponitur, *σχοῖνος γεωμετρικός.* Quare quum in Gal-

lia diceretur *Arpennium* pro iugero: non puto magis Gallicam vocem esse, quam Latinam Gallis receptam, quasi *aruipennium*. Sic Plauto *dispennere*, pro dispendere. In Gallia Belgica, et Celtica etiam hodieque iugerum *Arpen* vocant. Quin et in eodem peroptimo Glossario integra vox legitur, *Arpendia*, *πλέθρα*, non *Arpennia*. SCALIGER. De *pertica*, et *arpennio*, vel *arvipennio*, cf. Burmanno annotata. Et *metari* verbum proprium esse in agrorum dimensionibus, divisionibus atque assignationibus, Lambinus observat ad Horat. *metato in agello*, Serm. II. II, 114. Cf. laudatus Arnoldo Livius XXXI. IV. et quae Heynius congessit in Vita Virgilii ad annum 713. Propertii haec verba sunt IV. I, 130. *Abstulit excultas pertica tristis opes*. Rursus ad Propertium fefellit Scaligerum memoria, ubi Catonis versum profert ita scriptum: *Pertica quae* etc. quum tamen hic recte praecepisset unice verum esse *qua*. Plauti locus iste est in Milite V. I, 14. laudaturque Nonio p. 9, 30.

*qua* primum Aldinae, tum Bas. 1543. Ven. 1544. 1555. 1558. Lugd. 1556. Bas. H. P. 1561. omnes cum commate post *Pertica*, quod perturbat sensum. Atque hae sunt *nonnullae editiones*, quas Scaliger dicit. In antiquioribus enim omnibus, itemque in scriptis, de quibus constat, inter quos Vossianus I. diserte monente Vossio, *quae* legitur, vel *que*. Praeterea remansit *quae* in multis exemplaribus recentioribus, ut in ipsis Scaligeranis, Pith. al. et *quae* legunt laudatus Arnoldo Dan. Heinsius, Turnebus Advers. XIII. I. Lambinus ad Horat. l. l. Burmannus ad Propert. l. l. nullo idoneo sensu. Etsi non tam inepti fuerunt illi, ut, quod fieri posse Badius, itemque, ut videtur, Domitius, opinabatur, *arbor pertica* iungerent. *qua* legitur apud Turnebum Advers. XXVI. XXXV.

In Thuaneo Lassenus *ertica* legit: exstinctam esse *P* litteram. Apud Is. Vossium et Burmannum ex eodem est . . *estica mentita* Medic. Vratisl. I. *metita* Monac. I. at *metata* Monac. II. ut caeteri.

Quum autem dicit: *Pertica qua nostros metata est impia agellos*, manifestum est, totum agri ambitum dici, non solum silvam, segetemque. Erant praeter silvam ac segetem prata. Quapropter certum est, hunc cum versu sequente coniungendum esse. Postquam silvae, vitibus, segeti, indixit incendium, conclusionem facit, et complectitur omnia: quam late fines nostri patebant, quos nunc metata est, abstulitque nobis, impia pertica, omnia cinis fiant. *Qua nostri fines olim* idem est, quod hoc versu *Pertica qua* etc.

V. 46. QUA NOSTRI FINES OLIM, CINIS OMNIA FIANT. Recte iam in Romanis atque hinc in cod. Bas. Vrat. II. et Veneta Achat. post *olim* distinctum est. Quam distinctionem omittunt Mut. Ven. Iens. Rub.

et reliquae huius generis. *fiat* miro consensu, in omni vetere editione ante Ascensianas et Aldinas, et in Petav. Medic. aliis, praeter Venetam 1487. ap. Burm. et Argent. 1502. et cod. Bas. in quibus *fiant*, et praeter Thuan. Mon. I. II. Vrat. I. in quibus *fecit*. quod ipsum nihil videtur esse aliud quam *fiat* negligenter scriptum: ex *i* factum *e*, et *ci* ex *a*. Iam *fiat* Burmannus fortasse recte ex neglecto scripturae compendio ortum, aut e recordatione versus 36. ubi *cinis haec tibi* fiat *oportet*, putabat. Sed mirum tamen, quod eodem modo in aliis simili sententia locis peccatum est. In Virgilii Ecloga VIII. 58.

*Omnia vel medium fiant mare*:

ubi *fiant* cum aliis meae Veneta Rub. et Lovaniensis 1475. at *fiat* et in libris scriptis, et in Mutinensi. Rursus apud Ovidium Metam. I. 292. ubi nunc:

*Omnia pontus erant*,

olim ferebatur *erat*. Itaque mea coniectura est, *fiat* apud Catonem, itemque apud Virgilium, et *erat* apud Ovidium, consulto scriptum, et tribuendum esse acumini cuidam grammatico. Ut per attractionem *fiat* dici, et *erat*, putaverint, propter vicina *cinis*, *mare*, *pontus*. Sane similis attractio apud Propertium II. xvi, 46.

*Haec videam rapidas in vanum ferre procellas*
*Quae tibi terra*, *velim*, *quae tibi* fiat *aqua*.

Arnoldus ad versum 11. ubi hos versus profert, ita scriptos profert: *Pertica qua nostros metata est i. agellos Qua* nostros fines *olim*: e sua coniectura, sed h. l. retractare se coniecturam dicit, a viro quodam docto admonitum.

V. 47. SIC PRECOR: ET N. S. H. C. V. Respondet versui 25. Hic *ut* pro *et* in Paris. IV. *superet* in eodem. *superant* in Ven. Achat. *nostri voti* suam coniecturam rursus adscripserat Heinsius.

V. 48. UNDAE, QUAE VESTRIS PULSATIS LITTORA LYMPHIS. Vulgo, h. e. in Romanis, et caeteris ante Aldinas, sola excepta Mutinensi, *nostris* legitur; et sic apud Burmannum Mediceus a manu pr. apud me Paris. IV. ut taceam istos novitios, qui ab editis pendent, Bas. Vrat. II. Voss. II. *uestris* magno consensu Voss. I. si f. s. Thuan. Paris. II. III. Angl. Aug. Mon. I. II. Vrat. I. Mutinensis, Aldinae, MS. qui dicitur Pierii, et post Aldinas multae, aut pleraeque, etiam Scaligeranae. Etsi Scaligerum ipsum *nostris* voluisse apparet ex iis, quae scribit ad vers. 1. Ac possis *nostris* aliquo modo defendere, quia quod vicinum alicui agro mare est, ad dominum quodammodo pertinet, eique obstrictum est. Praetuli *vestris* tamquam simplicius. Neque male me

habet in hoc poeta ieiuni species, quam hoc habet, *vestris lymphis.* Heinsio hoc ita frigere videbatur, ut *vitreis* emendaret, applaudentibus Burmanno, Wernsdorfio, Eichstadio, et Wakefieldio ad Lucret. III. 854. Ego hoc inter ea numero, quae Cato habet ab elegantia ac severitate poetarum, qui Catonem sequuti sunt proxime, aliena. Nam apud hos inusitatum fuisse illud concedo, et sicubi ita dictum sit, excusationem paratam aliquam, ne abundare videretur pronomen, puto. Ut Ovidius, in Ibide v. 75.

*Noxque* tenebrarum *specie reverenda* tuarum

vim voluit, nisi fallor, singularem inesse in pronomine *tuarum.* quasi dicat: tibi propriarum, vel, quae totae tuae sunt. Qualem vim frustra quaeras in Catoniano *vestris lymphis.*

*Undeque* Aug. male iunctis syllabis, ut solet. *Undique* Medic. *Undaq*: Paris. II. *lytora* Paris. II. Aug. *limphis* Mon. I. II. Vrat. I. Caeterum quum ab hoc inde loco mutatio quaedam consilii cernatur, monstrabo consilium poetae, et partes carminis singulas, variasque in affectu mutationes. V. 8. sqq. V. 15. seqq. V. 20. et seqq. quatuor, tribus quasi strophis, quae versibus distinctae sunt intercalaribus, sterilitatem, siccitatem, aestum pestiferum, indicit agro suo, hunc in finem, nullam ut utilitatem, gaudium nullum, afferre novo domino ager possit. Deinde relapsus Cato in recordationem silvae suae tristissimam, quam silvam spoliatum atque exstirpatum iri auguratur, abreptus indignatione, ruinam agro suo, ne frui eo miles possit, interitumque irrevocabilem, et eversionem, vel conversionem atrocissimam indicit. Nam incendi silvam fulminibus atque comburi iubet: nec solum silvam, sed etiam vites, segetes, omnia: *cinis omnia fiant.* Igitur usque ad hunc locum una fuit et continua imprecatio. Hinc vero quae sequuntur, usque ad versum 80. qui finis est imprecationis, aliam tractationem habent. Non amplius enim continua imprecatio est, sed varians imagines, modosque pereundi, aut hoc modo, aut illo perire atque everti agrum iubet, ea fere ratione, qua utitur Ovidius in Ibide. Quamquam non prorsus diversa miscet, ut ille, sed omnibus imprecationis partibus id commune est, ut ab *aquis* ruinam expetat agro suo. Ac primo ardenti agro infundi mare, atque induci arenam iubet, ut talis fiat, qualis est Syrtis in Africa: v. 50. 1. 2. 3.

V. 49. LITTORA, QUAE DULCIS AURAS DIFFUNDITIS AGRIS. *dulcis* ex Augustano, et ex aliis, quantum quidem constat, plerisque, et ex vetere editione. *dulces* pauci: Paris. IV. Angl. Mut. *Litora* Aug. Mon. I. II. *Littoraq*: Paris. II. In Romanis et caeteris antiquissimis, et in Aldinis, *tt.*

V. 50. ACCIPITE HAS VOCES. MIGRET NEPTUNUS etc. Accipite quae dicturus sum. Si non accipiant undae ac littora, vel, quod idem est, si non accipiat Neptunus, aliud se praesidium habere, et spem ponere in fluminibus, significat v. 63. seq.

*A. has vites* Helmst. *migrat* Petav. et Lasseno teste, Thuaneus, et Paris. II. *nigrat* Aug. Deinde hic, et infra v. 58. 63. variant aliquid libri in nomine *Neptuni.* In Romanis, aliis, *Neptunus*, *Neptune*, cum compendio, quod *nn* valet. *neptumnus*, *neptumne*, ubique in Angl. et Vrat. II. *neptunus*, *neptune*, semper Aug. Mut. Vicent.

V. 51. FLUCTIBUS, ET SPISSA CAMPOS PERFUNDAT ARENA. *perfundit* Thuan. *harena* Aug. et reliqui mei tam scripti quam editi ante Aldinas, fere omnes. *arena* Paris. IV. Mut. Ven. 1488.

Burmanno una illa infelix observatio, de non iterando eodem vocabulo, tres coniecturas peperit, ut quavis conditione expelleretur innoxium verbum *perfundat.* *spissam campis inducat arenam.* vel *inlisa campos corrumpat et alga.* vel *et salsa campos corrumpat ab alga.* Eadem de caussa, ne toties recurrat verbum *fundere,* Wakefieldius ad Lucret. III. 854. ita tentat: *et spissa campos* perducat *arena.* Gravis Burmanni in eo lapsus, quod *algam* melius convenire huic imprecationi existimat, quam *arenam.* Non legerat quae sequuntur, de Syrte.

V. 52. QUA VOLCANUS AGROS PASTUS IOVIS IGNIBUS ARCET.
*Qua Volcanus*] locus corruptissimus. Lego:

*Quo Volcanus agro pastus Iovis ignibus ardet.*

Quo agro Volcanus Iovis ignibus, id est ignibus fulminis accensus agrum meum populatur, in eo, inquam, agro fulgurito existat Syrtis similis ei, quae est in Libya. SCALIG. Scriptura, quae ante oculos versabatur Scaligero, vulgata, hoc est, Romanarum, Venetarum Achat. Rub. Iens. Vicentinae, et reliquarum ante Aldinas plerarumque, nonnullarum etiam post Aldinas, et codicum Bas. Vrat. II. Voss. II. haec est:

*Qua uulcanus agros* pastor *Iuois ignibus* arcet.

Altera est paucarum, earumque non valde antiquarum, Norimbergensis 1492. Ascensianar. Argent. 1502. et Iuntinae:

— *pastos* — — *arcet.*

fortasse ex Domitii interpretatione, in qua sic legitur: *pastos. consumptos.* Sed est etiam *pastos* in Helmst. et Voss. I. Denique tertia, antiquior illis, ac vera, in Petav. Thuan. Medic. Leid. Paris. II. IV. Aug. Mon. I. II. Vrat. I. in Mutinensi, Aldinis, post Aldinas aliis, et MS. qui dicitur Pierii:

— *pastus* — — *arcet.*

De Parisino III. et Angl. dubito, utrum *pastus* habeant, an *pastos*, an *pastor*.

Itaque nos sine ulla mutatione sententiam praestamus eam, quam debere esse vidit suo acumine Scaliger. Quam late Vulcanus agros arcet et continet, pastus Iovis ignibus, h. e. fulminibus, is locus totus, mari infuso, et inducta arena, *Syrtis* dicatur. *arcet*, continet, antiquo usu, de quo cf. Festus. Ut Cicero non uno loco. Somn. Scip. IV. *globus — summus ipse deus*, arcens et continens *caeteros*. *agros* dicit suum agrum, ut solet Cato: cf. infra monenda ad v. 82. *pastus* autem *I. i. Vulcanus*, proprie, h. e. accensus, ut ait Scaliger, et nutritus. Et egregie *arcet*, ac si praesens sit: fingit enim poeta iam rata fieri vota, iamque ardere agrum. Eadem figura in Ecloga V. 18. ubi videre sibi videtur rivos, et alloquitur tamquam praesentes. Ut nos eum locum legimus atque explicamus.

Altera est Eichstadii, approbata Putschio, explicatio: Ubi Vulcanus, Iovis ignibus satiatus, agros arcet et abstinet a flammis, ut non latius serpant, ibi propter arenas, fluctibus invectas, exsistat Syrtis similis ei, quae est in Libya. Proluserunt ei explicationi ex antiquioribus Badius et Gloss. V. I. quae ita habet ad hunc locum: *arcet ignes ab agris*; postea Boxhornius et Wernsdorfius, sed Boxhornius admodum confuse atque inepte ita, ut vulgatum *pastor* defendat. Mihi sententia illa neque per se ipsa probabilis: non intelligitur enim, cur inhiberi Vulcanum poeta statuat, quum paullo ante scripserit, *cinis omnia fiant*: neque verba Catonis apta ad eam sententiam videntur, nisi quis supra modum ambigue, vel magis perverse, loquutum esse Catonem opinetur. Et sane Eichstadium de Catone parum sentire honorifice, indiciis nonnullis colligo, ac doleo, si ita res se habeat, propter magnam viri celeberrimi auctoritatem. Boxhornium, nisi fallor, tangit Gerardus Vossius ad Valer. Fl. VI. 526. ipse ita legendum esse ait: *Qua Vulcanus agros pastus I. i. ardet*. Itaque hic iungebat *pastus agros*, memor, ut puto, Virgiliani *mala gramina pastus*. Heinsius: *Qua V. agros pastos I. i. uret*. *ardet* adscripsit etiam Is. Vossius in marg. ed. Scal. 1595. unde factum fortasse, quod Burmannus scribit, *ardet* esse in Vossiano.

*Volcanus*, ut scribit Scaliger in Castigationibus ad h. l. In libris omnibus *Vulcanus* est, praeter Monac. II. in quo singulari aberratione *fulgantis* legitur. Quodsi ita in alio codice legeretur, non hoc Monacensi, ego ex antiqua scriptura *Vulganus*, vel *Volganus*, natum hoc monstrum crederem. *Volgania* libri nonnulli Varronis p. 295. 695. ed. Spengel.

V. 53. BARBARA DICATUR LIBYCAE SOROR ALTERA SYRTIS. Male *lybice*, *libice*, *libyce*, in Aug. Angl. Vrat. I. Monac. II. Paris. IV. Vrat. II. Romanis et Ven. Achat. Genitivo opus est, quem habent Thuan. Paris. II. III. Bas. Ven. Rub. et Iens. Mut. aliae, *libicae*, *lybycae*, *libycae*. Etsi non multum hac in re valere libros apparet: nam, ut exemplo utar, quod *Libyce* est in Romana II. et *Lybice* in Ven. Achatis, id nihil probat, quum nusquam in his duabus *ae* compareat. Permanavit *Libyce* nominativus in recentiores nonnullas, ut in Scaligeranas, sed invito Scaligero, ut scripta Scaligero ad versum 52. reputanti patebit. Placuit tamen *Libyce*, vel etiam *Libye*, Arnoldo; et *Libye* editum nuper a Putschio, non video quo consilio. Opus est genitivo, ut dixi, *Libycae*. At *Syrtis* nominativus est. Distinctio autem, si distinguendo explicari locum velis, debet haec esse:

*Barbara dicatur, Libycae soror, altera Syrtis.*

*soror altera* si volueris iungere, languebit *altera*, nisi cui placeat Arnoldi, quod paullo post videbimus, commentum, neque usitate ita dicitur. Contra nihil usitatius, quam *altera Syrtis*. Ut est tritum apud Ptolemaeum Heph. in Phot. Bibl. T. I. p. 151. a. Bekk. apud Aelianum V. H. XII. XXII. alios, proverbium: *ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς*. Quo etiam titulo Satiram Varro scripsit. Eodem modo *δεύτερος* dicitur: Aesch. Agam. 870. et *ἄλλος δεύτερος* coniuncte: Eurip. Troad. 614. E recentioribus ita inter alios Paulus Silent. LV. 4. Sed omnium cupidissime Nonnus: *ἄλλη — Ἠχώ* II. 119. *ἄλλην — Κύπριν* III. 119. VII. 232. lib. XLI. argum. *ὁπλοτέρην — Ἀφροδίτην* VII. 229. *ἄπτερος ἄλλος Ἔρως* X. 199. *δεύτερος ἄλλος — ὑέτιος Ζεύς* X. 297. *Ἄρτεμις ἄλλη* XIII. 300. XV. 171. *ἐπιχθονίη Χάρις ἄλλη* XIII. 340. *δεύτερος Ἄρης* XIII. 417. *ὁπλοτέρην — ἄλλῳ — σὺν Ἐνδυμίωνι Σελήνην* XV. 282. 3. *νέη ῥοδοδάκτυλος Ἠώς, ἄλλη — φαεσφόρος, ὁπλοτέρη — Σελήνη* XVI. 46. 7. *ὁπλοτέρη — Ἄρτεμις* ib. 125. *ἄλλη Λαοδάμεια* XXIV. 194. *νέη Βριτόμαρτις* XXXIII. 33. *ὁπλοτέρην Βριτόμαρτιν* ib. 343. *νέη — Ἀμαζών* ex emend. Graefii XXXIV. 158. *νέη — Πειθώ* ib. 292. *ἄλλην Πενθεσίλειαν* XXXV. 28. *ἄλλην — Ἀταλάντην* ib. 82. *ἄλλη — Ἰνώ* XL. 212. *ἄλλην — Θέτιν* XLI. 235. XLV. 31. *νέον ἄλλον — Πολυδέκτην* XLVII. 554. *νέος — Τυφωεύς* XLVIII. 77. *Οἰνόμαον πάλιν ἄλλον* XLVIII. 212. *Ἄρτεμις ὁπλοτέρη Ληλαντιάς*, ib. 245. *ἄλλη λαϊνέη Νιόβη* ib. 407. *νέος Ὠρίων* ib. 419. *Πρόκνη παιδολέτειρα νέη* ib. 748. Cf. Musaeus v. 33. 68. Semel Nonnus ausus est ita *ἀλλοίας* dicere, *ἀλλοίας — Ἀμαζόνας* XXXVI. 261. quod recte reprehendit P. Cunaeus p. 152. Latina exempla adscribere piget, tam sunt multa apud Ciceronem, alios. Exempla dico ea, quum *alter* dicitur hac significatione. Aliquanto rarius, ut videtur, *alius*.

Deinde quod hanc quam vult exsistere *Syrtim*, poeta *sororem* dicit *Libycae*, audacter dictum est, addendum exemplis eiusdem elegantiae a Valckenario in Eleg. Catulli Callim. p. 160. sq. collectis: *comae sorores*; et ex Plauto *hanc per dexteram, perque hanc sororem laevam*; et quum una pugna *soror*, *ἀδελφή*, dicitur alterius pugnae. Unum etiam intermiscet Valckenarius ab hac re prorsus alienum, Eurip. Orest. 222. Platonis locum, *ἄλλον ὁρῶμεν λόγον τούτου ἀδελφὸν γνήσιον*, ad Valckenarii disputationem addit Huschkius Anal. crit. p. 62. Et *positos ex ordine fratres*, de libris, ex Ovidii Trist. I. i, 107. ad hunc Catonis locum Arnoldus. Non aliena sunt, quae Victorius habet Var. L. XXIII. v. ut ex Aeschylo: *λιγνὺν μέλαιναν, αἰόλην πυρὸς κάσιν*, Sept. 494. ubi alia monstrat Blomfieldius. Sed illos omnes superavit, felicissime excogitata atque exornata imagine, Aristophanes in Nubibus, ubi Nubes comoediam ire, tamquam Electram aliquam, et quaerere *fratrem* suum, Daetalenses, fingit:

*γνώσεται γάρ, ἤνπερ ἴδῃ, τἀδελφοῦ τὸν βόστρυχον.*

v. 536. Cum Plauti ioco comparant versum Moreti 28. *Interdum fessae succedit laeva sorori, Alternatque vices.* Ad eamdem imaginem redeunt ista admodum faceta, *fratrare*, *fraterculare*, *sororiare*, de mammis.

Est aliquid insolentiae in eo, quod unam tantum Syrtim in Africa novit, vel certe unam tantum videtur nosse Cato, quum duae sint, quae vulgo maior et minor vocantur. Ergo proprie *Libycarum soror* dicendum erat. Nimirum liberum hoc lectori poeta relinquit, utram velit de duabus cogitare. Mirum est commentum, quod nollem placuisset Putschio, Arnoldi, iungentis *soror altera*, et interpretantis: quum duae sint Syrtes sorores in Africa, *Syrtis ista ex agro iam exorta erit altera, id est, secunda soror, sive socia, et quasi tertia Syrtis. Barbaras Syrtes* dixit etiam Horatius Carm. II. vi, 3. *Libycas* non unus.

V. 54. TRISTIUS HOC, MEMINI, REVOCASTI BATTARE CARMEN. Versus intercalaris. Observat Cato tristes Battari modos. En, inquit, revocasti tristiores modos illos, quos olim te canere fistula tua memini. Nam sequitur canentem Catonem fistula Battari. Cf. sup. pag. 21. et infra monenda ad v. 71.

In Gallicanis, qui sunt Petavianus et Thuaneus, Heinsio teste, *revocasses* legebatur: at Burmannus ex iisdem, et ex Mediceo, *revocasset* profert. Et in Thuaneo *reuocasset* legi certum est Vossii Lassenique testimonio; et sic in August. Mon. I. II. Vrat. I. in Romana I. cod. Bas. Ven. Achat. et Mutin. Contra *reuocasses* in Anglicano, Pa-

ris. II. III. et nisi fallor, IV. tum in Romana II. et Vrat. II. *reuocasse* Venetae Rub. Iens. cum Vicent. Voss. II. et reliquo grege suo. *reuocasti*, quod versus 71. verum esse evincit, primum restitutum in Ascensianis et Aldinis. et sic nunc in exemplo Lips. Venetae Iens. a manu Gl. Quae manus etiam distinxit recte: *Tr. hoc* : *memini* : *reuocasti* etc. nam vulgo nulla hic in libris distinctio. Sic *memini* inseritur ab Ovidio Fast. IV. 377. *Tertia lux*, *memini*, *ludis erat*. Non capio Wernsdorfium, qui *revocasses* aptius putat, et *memini* positum esse pro *existimo*, vel *credo*.

*T. haec memini* Rom. I. cod. Bas. Mutin. *hec* Ven. Achat. sed *hoc* Rom. II. etc.

V. 55. 6. NIGRO MULTA MARI DICUNT PORTENTA etc.

*Nigro multa*] dixit *portenta monstra*, ut Cicero *tibicini modi*, *ancile scutum*, *recte iaculum* etc. SCALIG. Cicero in Oratore LVIII, 198. *rete iaculum*, apud Plautum; *ancile scutum* nescio unde. Eamdem in sententiam Lindenbruchius in exemplo Guelferb. edit. Scal. 1595. locum annotavit Lucilii lib. XV. ap. Nonium v. *Corbita*:

*Multa homines portenta in Homero versificata*
*Monstra putant.*

Ego *monstra ac portenta* novi ex Lucretio IV. 594. V. 843. *monstra portenta* qui dixerit, novi neminem. De Lucilio idem, quod Lindenbruchius, sentiebat Mercerus, cuius haec sunt Not. in Nonium p. 208. *in Homeri*) *sic libri*, *recte*. ἐν τοῖς ὁμήρου. portenta monstra, *ut* monstrum exemplum, *in Plauto*; *et sexcenta huiusmodi.* Illud fortasse vere, *in Homeri*, si quidem haec re vera scriptura librorum est; de altera observatione dubito, quum neque Plautus, cuius locum Mercero obversari eum puto, qui est Asin. II. II, 23. quicquam probet, neque Lucilium, si ibi *portenta monstra* iungatur, quam praebeat sententiam, intelligam. Quamquam etiam Scaligerum memini alicubi ita iungere verba Lucilii. Lucilius, nisi fallor, quae *portenta* Homerus describat, ut Cyclopem, ficta esse ab Homero omnia dicit: errare, si qui ea *monstra* fuisse vera putent. Utut sit de Lucilio, in Catone res est planissima. *Monstra*, quod vidit Badius, ac vidisset Scaliger, nisi interdum obsoletorum amator atque insolentiae esset supra modum, interpretatio est, ut utar proprio hac in re vocabulo, verbi ante positi *portenta*. Poterat alio modo, ea figura, quam palillogiam, vel aliis vocant nominibus, ita scribi: *multa dicunt* monstra *natare*, monstra *repentinis* etc. vel sic: *dicunt* portenta *natare*, portenta *repentinis* etc. qua figura noster supra usus est v. 2. 3. *Monstra*, *portenta*, ut verba sunt fere idem significantia, ita promiscue usurpantur de beluis marinis. Nisi *portenta* paullo

fuerit exquisitius. *monstra natantia* omnes noverunt ex Horatio: cf. ibi intpp. *monstrorum corpora* Manilius V. 191. de mortuis. *portenta* Propertius dicit III. xxii, 27. 8. *At non squamoso labuntur ventre cerastae*, *Itala* portentis *nec furit unda novis.* Addantur mox laudandi Pedo Albinovanus, Seneca. Idem est, quum *immania* Neptuni *armenta*, *et turpis phocas* dicit Virgilius Georg. IV. 394. 5. Itaque recte vetustae nonnullae, vel pleraeque, inde ab Veneta Achatis, et recentiores fere omnes, etiam Scaligeranae, contra mentem Scaligeri, post *natare* incidunt colo, vel commate. In Aldinis, et nonnullis aliis, male sic: — *portenta natare Monstra, repentinis* etc.

De sensu ne quis erret, observandum est, novam a versu 55. usque ad v. 62. imprecationem institui, non confundendam cum ea, quae proxime antecessit. Non vult enim, ut ager primo *Syrtis* fiat, deinde ex Syrti *ferum mare,* sed ut aut *Syrtis*, aut *ferum* turbinibus procellisque, ac beluis, *mare.* Igitur in eo quidem consistit, ut *migret Neptunus in arva,* sed quum illic *Syrtin* fieri voluisset, inhabilem navigationi propter vada arenasque, nunc mare vult fieri aliis rebus periculosum navigaturo. Servat etiam Cato, ut ex v. 60. patet, imaginem combusti ante agri.

Praecipue autem in beluis moratur, quae infestum reddere nautis novum mare debeant, quoniam haec inprimis atrox, et facta ad incutiendum terrorem imago est. *Nigro* displicebat Heinsio, qui: *Pigro*, inquit, opinor. id est glaciato vel inmoto: de mari enim Oceano sive Atlantico id veteres credidisse. Atque eam in rem multos auctores laudat, ut Senecam Rhet. Suasoria I. *Stat immotum mare, et quasi deficientes in suo fine natura pigra moles, novae ac terribiles figurae, magna etiam Oceano portenta, quae profunda ista vastitas nutrit*, etc. Pedonem Albinovanum, apud eumdem Senecam, de navigatione Drusi Germanici: *Nunc illum pigris immania monstra sub undis Qui ferat Oceanum, qui saevas undique pristes, Aequoreosque canes* etc. Itaque Heinsius, si recte capio mentem eius, de versu 58. *Haec* agat *infesto Neptunus c. tr.* beluas Neptunum arcessere longinquo itinere ex mari Atlantico, sive ex Oceano. Non satis probabiliter; et *agat* mox explicabitur a nobis. Optime *Nigro*, modo recte accipiatur. *Nigro mari*, ut bene Domitius et Badius, est *tumente, turbato mari,* non *in mari nigro.* Paullo post magis perspicue: *furenti ponto.* Beluae quum superficiem maris petunt, id imminentis tempestatis signum esse, ad Horat. Carm. I. iii, 18. Mitscherlichius observat ex itinerariis nescio quibus. Certe veterum hanc fuisse opinionem scio, beluas, cete, quum plerumque cubent in fundo maris, quod de κήτεσι Oppianus Halieut. V. 47. sq. diserte tradit, nonnunquam, turbato mari, sursum agi cum flucti-

bus, natare, emergere. Apposite Plinius H. N. IX. III. de beluis maris Indici: *Sed in mari belluae circa solstitia maxime visuntur. Tunc illic ruunt turbines, tunc imbres, tunc deiectae montium iugis procellae ab imo vertunt maria, pulsatasque ex profundo belluas cum fluctibus volvunt*, etc. Igitur Cato, ut alia imprecatur mirabilia, portentosa, ita hoc quoque in mari illo, quod vult ex suo agro fieri, accidere iubet. At Horatius loco isto, *Qui siccis oculis monstra natantia*, *Qui vidit mare turbidum*, sive *turgidum*, non unam, puto, imaginem, turbati maris, enatantiumque eodem tempore monstrorum, sed diversa tempore locoque terricula proponere voluit. Apponam Pomponii Sabini explicationem: *Multa portenta sub signo cancri in mense Maii emergunt e mari rubro*, *ut ait Plinius. tunc tempestas oritur*, *ut opprimantur beluae. Has delphines fugientes*, *signa sunt nautis tempestatis.* Quae prave distincta leguntur in edit. Oporini, et in Virgilii editionib. Basil. H. P. 1561. Non dissimile est, quod laudatus a me Plinius de beluis maris Indici narrat, idemque de praesagiis delphinorum nonnulla lib. XVIII. extr. ubi ista eo modo coniungat Plinius, quo Pomponius coniungit, locum invenio nullum.

*Nigr* erasa ultima littera Monac. I. Fuit autem *Nigra* ut est in Monac. II. *Nigro* caeteri. Deinde Mon. II. verba *natare Monstra* usque ad *terrentia* omittit. Augustanus: *Nigrotumultamari dicent portantanatare* et *dicent* Petav. Medic. Voss. I. Paris. II. III. IV. Angl. V. 56. *terrencia* August. *terentia* Veneta Rub. et Vicent. quod in eo verbo perpetuum harum duarum vitium.

V. 57. QUOM SUBITO EMERSERE FURENTI CORPORA PONTO. *Quom* Angl. *corpore* Thuan. testantibus Burmanno et Is. Vossio, itemque Lasseno, qui tamen supra scriptum esse *a* testatur. Id fortasse a manu recenti post Vossii Heinsiique tempora adscriptum fuit. *corpore* etiam Paris. II. *furentia* Vrat. II. *pontho* Mon. II.

Silius Ital. XI. 482. in re alia, sed tamen de eodem monstrorum genere:

> subito emicuere *per undas*
> *Ad murmur cete toto exsultantia* ponto.

In Catulli loco,

> *Emersere feri candenti e gurgite voltus*,

quid Burmannus invenerit ita versui Catonis simile, ut Catulliana respexisse Catonem coniiciat, non perspicio equidem. An beluas ibi marinas describi a Catullo arbitrabatur? Sane ita visum est olim Antonio Parthenio et Alexandro Guarino. At melior eidem Guarino, atque unice vera interpretatio in mentem venit, esse versum hunc cum versu sequente nectendum:

*Emersere feri candenti e gurgite voltus,*
*Aequoreae monstrum Nereides admirantes.*

*Nereides, feri vultus*, appositive, ut ille ait. Et egregie *feri*, hoc est, efferati admiratione ac stupore. Neque illud verum est, quod perhibent Burmannus et Wernsdorfius, *corpora* proprie dici monstra marina. Quam in rem quod Burmannus Ovidium Trist. I. II, 39. laudat, mira est aut negligentia aut infelicitate usus. Magis aptum Wernsdorfius exemplum ponit e Ciri v. 451. *Aequoreae pestes, immania* corpora *ponti*. Verum quicquid hoc observationis est, dilabetur, ubi accuratius usum loquendi examinaveris. *Corpora* monstra marina neque saepius neque magis proprie, quam alia animalia, non exceptis hominibus, dicuntur: dicuntur autem ea, quae excellunt aliquo modo, ut vastitate, aut pulchritudine, aut deformitate. E. g. ut de pulchritudine exemplum afferam, in Ciri v. 202. de puellis in aves mutatis: *vos, o pulcherrima quondam corpora.*

Multus est Arnoldus de artificio huius versus, quod ille partim in vocalibus, partim in alternis dactylis et spondeis ponit. Est sane gravis versus concursu vocalium grandius sonantium.

*virenti* pro *furenti* coni. Heinsius.

V. 58. HAEC AGAT INFESTO NEPTUNUS CAECA TRIDENTI. Coniunctam hic versus cum versu 59. sententiam habet. *agit* Mon. I. II. *aget* Norimb. 1492. vitiose. In Vrat. I. hoc verbum deest. *infesta* Petav. Thuan. August. et reliqui, quorum notitiam habeo, codices scripti praeter Paris. IV. omnes, cum omni editione prisca, praeter Mutinensem. *infessa* Vrat. I. *infesto* Par. IV. Mut. Ascensianae, Argent. Aldinae, et inde reliquae. et *infesto* fecit Gloss. V. I. Badius: *tridenti. s. baculo regali*: *infesto. alii referentes ad fuscinam fecerunt infesta. s. fuscina tridenti. caeca* in August. et haud dubie aliis, ut in Romana I. *coeca* in Mut. Est autem epitheton scite positum. *caeca*, caeco impetu. Vastae moles illae non consulto eunt, sed fere fluctibus tractuque maris feruntur: Plinius H. N. IX. extr. Oppianus Hal. V. 62. sqq.

V. 59. ATRUM CONVERTENS AESTUM MARIS UNDIQUE VENTIS.

*Atrum convertens*] Lego, *converrens*, συνεπισύρων. *Atrum aestum*, ut μέλαινα φρίξ poetis. SCALIG. Igitur Scaliger de superficie tantum maris cogitabat, quam venti dum radunt, ac verrunt, illam quam φρῖκα dicimus, efficiunt. Aliud iubet versus qui praecedit, quocum hic structura nexus est, *agat convertens*. Monstra Neptunus *agit*, i. e. sursum agit, dum ventis undique *convertit aestum maris*. Fluctus maris,

id enim est *aestus*, usitatissima vocabuli huius potestate, et quidem *ater* aestus, quoniam iam turbatum fingitur mare: igitur fluctus maris quum *convertuntur*, efficitur ut summae fiant, et in superficiem maris veniant, quae ante imae, fundoque maris proximae aquae. Atque eadem via beluae, abreptae fluctus sursum tendentis impetu, ex profundo aguntur. Sed optimus huius rei interpres Plinius est loco sup. laud. ad v. 55. — *procellae* ab imo vertunt *maria*, *pulsatasque ex profundo belluas cum fluctibus volvunt. Neptunum*, et stimulari beluas *tridenti*, de suo addidit Cato, tamquam poeta. Coniecturam Scaligeri certatim amplexi sunt, aut eamdem post Scaligerum fecere viri docti, Heinsius ad h. l. Broukhusius ad Propert. II. xii, 44. et Broukhusius quidem confidenter, Heinsius ad h. l. modeste, et ut scribi etiam potuisse *convertens* fateatur. Nempe quum animadvertissent viri docti, oblitteratum esse hic illic *verrere* verbum, proque eo *vertere* repositum a librariis, illi quod suo loco bene atque eleganter dicitur, *exquisitum* per se et ubique esse rati, qui error multas pravas coniecturas peperit, ubicumque fieri posset, inferendum esse verbum *verrere* censuerunt, et vero intulerunt, ubi inferri neque debebat neque poterat. Ut in locum Catonis. Cf. quae Burmannus laudat, Heinsio disputata ad Ovid. Amor. I. ix, 14. Metam. XI. 499. ad Silium XIV. 262. et Burmanno ipsi animadversa in Anth. Lat. T. I. p. 563. Melius diversa distinguit Lachmannus ad Propertii locum illum. Attingam nonnulla. Ad Silium vera est disputatio Heinsii, *verrere* restituentis, sic: *seu retibus aequor verrere.* item recte sentit de Ovidii loco, quo postea ad v. 60. utar, Metam. XI. 499. At in vulgata scriptura Valerii Flacci VIII. 325. quid tandem insulsi est? Immo, si quid in eo loco insulse dictum, illud est, quod amplectitur Heinsius, Aldinum: *Verrentes imum pariter mare. Verrunt* venti aliquid ex imo mari, ut arenas; aut *verrunt* summum mare: *imum mare* non *verritur* a ventis, sed *vertitur.* Vel si quando ita loquuti sunt poetae latini, minus accurate loquuti sunt, ut Marcianus Capella, Ennodius, Prudentius apud Heinsium ad Ovid. Met. XI. 499. Et apud Prudentium quidem alii *Vertat* legunt. Marcianus lib. IX. p. 307. ita:

*Et licet indomiti dira procella Noti*
*Spumea Scyllaei verreret ima maris,*
*Delphinas totis sollicitavit aquis,*
*Et melicos cantus bellua grata tulit.*

Valerii Flacci locum quod attinet, ego quae sit Aldinae auctoritas, nescio; hoc scio, perbene dici, quod ibi vulgo legitur:

*Videre: inque imum pariter mare protinus omnes*
*Infesto clamore ruunt:*

scilicet venti insinuare se in fundum maris, atque inde sursum volvere fluctus putantur, ut est in nobilissima descriptione apud Virgilium, quam haud dubie ante oculos Valerius Flaccus habuit, *Incubuere mari, totumque a sedibus imis Una Eurusque Notusque ruunt* etc. De Propertio accedo sententiae Lachmanni, vulgatum tuentis:

*Nec nostra Actiacum* verteret *ossa mare,*

verbumque comparantis graecum *κυλίνδει.* Nec Fr. G. Barthii observatio contemnenda est. Certe Propertium ea tantum conditione *verreret* scripturum fuisse existimo, si sermo ibi de mari vehementer commoto esset: at sermo est de tranquillo, in quo ossa non verruntur, sed leni motu volvuntur. Ad Catonem proxime accedunt laudati Heinsio et Burmanno, Virgilius Aen. I. 43.

*Disiecitque rates,* evertitque *aequora* ventis.

Ovidius Fast. III. 591.

*Adsiliunt fluctus, imoque a gurgite pontus*
Vertitur.

Et de usu *tridentis* tali in re cf. Virg. Aen. II. 418.

*saevitque* tridenti
*Spumeus, atque imo Nereus ciet aequora fundo.*

Attius Medea:

*Nisi quas terrestres Pontus strages conciet:*
*Aut forte Triton* fuscina evertens specus,
*Subter radices penitus undanti in freto*
*Molem ex profundo saxeam ad caelum eruit.*

Thuaneus, insolita scribendi brevitate, *c u aestum* habet: cui in margine, explicationis caussa, adscriptum est, Lasseno teste, *conuertens. cutens* Paris. II. *conuertent* Mon. II. *aestum mas undiq*: in Augustano. Denique Romanae, Venetae Achat. et Rub. Vicent. aliae, perverse colon post *maris* inserunt.

V. 60. ET FUSCUM CINEREM CANIS EXHAURIAT UNDIS. *Et sulcum canis* omisso voc. *cinerem*, Vratisl. I. *cauis* Paris IV. Romanae, Ven. Achatis, et qui e Romanis etiam vitia exprimunt, codices Bas. et Vrat. II. *exauriat* August. *exhauriet* Mon. I. II. Vrat. I. Hic quoque versus nexam cum praecedentibus sententiam habet. Dum *convertitur* mare, sursum aguntur, ita ut conspici oculis possint, arenae, et si quid aliud in fundo maris latet. Ovidius Metam. XI. 499. de ponto:

*Et modo, cum fulvas ex imo verrit arenas,*
*Concolor est illis; Stygia modo nigrior unda.*

Virgilius Georg. III. 240. 1.

*at ima exaestuat unda*
*Verticibus, nigramque alte subvectat arenam.*

Sophocles Antig. 583. seqq. H.

ὁμοῖον ὥστε ποντίαις
οἶδμα δυσπνόοις ὅταν
Θρῄσσῃσιν ἔρεβος ὕφαλον ἐπιδράμῃ πνοαῖς,
κυλίνδει βυσσόθεν κελαινὰν
θῖνα καὶ δυσάνεμον, et quae seq.

ubi tamen non persuadeo mihi, ἔρεβος ὕφαλον accusativum esse pendentem a verbis οἶδμα ἐπιδράμῃ. Ut enim concedam, ἔρεβος ὕφαλον *fundum maris* esse, non bene οἶδμα, *fluctus*, dicetur *percurrere fundum maris*, vel *incurrere in f. m.* Certe multo magis usitatum alterum est, quod paullo ante ad Catonis versum 59. commemoravi, ut mare primo commoveri intus, tum extollere fluctus dicatur. Itaque, quod recte perspexerat Erfurdtius, ἔρεβος ὕφαλον, *submarina*, si ita dicere liceat, *caligo*, nominativus est. Ea caligo, quum fit tempestas, ventis ingruentibus, ascendit in superficiem maris, fluctusque, qui, tranquillo mari, non sunt nigri, occupat atque inficit nigrore suo. οἶδμα accusativus, pendens ab ἐπιδράμῃ: sed ad κυλίνδει rursus supplendus est οἶδμα nominativus.

Verum ista Ovidii, Virgilii, Sophoclis exempla tamquam similia attuli, non tamquam idem significantia. Cato Neptunum non arenas, sed *fuscum cinerem* eiectare iubet, scilicet cinerem, qui restabat de combusto agro: cf. v. 46. Nemo haec recte intellexit. Gloss. V. I. ex parte non male: *terram nigram de agris nostris.* at vero *cinis* non est terra. Et *exhauriat* plus valet, quam apud poetas illos *verrit*, *subvectat*, κυλίνδει. Vult enim Cato proprie *exhauriri*, et prorsus dispergi cinerem, ut plane nihil restet de agro suo. *canis* undis, i. e. albentibus, spumeis.

V. 61. DICANTUR MEA RURA FERUM MARE. NAUTA CAVETO. *ferrum* Venetae Rub. vitium, quum correctum fuisset in Vicentina, rursus comparet in vitiosis posterioribus, Norimb. 1492. Ven. 1499. *uerum mare* Mut. *mare* deest Vrat. I. *nuta* pro *nauta* Paris. IV. Boxhornius *merum mare* malebat. Sensum iam patefecerunt editores nonnulli antiquiores, ut Rubeus, dum colon ponunt post *rura*: et alterum colon post *mare*. *Ferum Mare* appellatio est, quam Cato impositum iri mari ei, quod vult ex suo agro fieri, auguratur: *Mare ferum*, ut Mare magnum, Mare rubrum, Mare mortuum. Sic supra Syrtin fieri ex agro suo, et vero dici *Syrtin*, volebat:

*Barbara* dicatur *Libycae soror altera* Syrtis.

Deinde quod hanc quam vult exsistere *Syrtim*, poeta *sororem* dicit *Libycae*, audacter dictum est, addendum exemplis eiusdem elegantiae a Valckenario in Eleg. Catulli Callim. p. 160. sq. collectis: *comae sorores*; et ex Plauto *hanc per dexteram, perque hanc sororem laevam*; et quum una pugna *soror*, *ἀδελφή*, dicitur alterius pugnae. Unum etiam intermiscet Valckenarius ab hac re prorsus alienum, Eurip. Orest. 222. Platonis locum, *ἄλλον ὁρῶμεν λόγον τούτου ἀδελφὸν γνήσιον*, ad Valckenarii disputationem addit Huschkius Anal. crit. p. 62. Et *positos ex ordine fratres*, de libris, ex Ovidii Trist. I. I, 107. ad hunc Catonis locum Arnoldus. Non aliena sunt, quae Victorius habet Var. L. XXIII. v. ut ex Aeschylo: *λιγνὺν μέλαιναν, αἰόλην πυρὸς κάσιν*, Sept. 494. ubi alia monstrat Blomfieldius. Sed illos omnes superavit, felicissime excogitata atque exornata imagine, Aristophanes in Nubibus, ubi Nubes comoediam ire, tamquam Electram aliquam, et quaerere *fratrem* suum, Daetalenses, fingit:

*γνώσεται γάρ, ἤνπερ ἴδῃ, τἀδελφοῦ τὸν βόστρυχον.*

v. 536. Cum Plauti loco comparant versum Moreti 28. *Interdum fessae succedit laeva sorori, Alternatque vices.* Ad eamdem imaginem redeunt ista admodum faceta, *fratrare*, *fraterculare*, *sororiare*, de mammis.

Est aliquid insolentiae in eo, quod unam tantum Syrtim in Africa novit, vel certe unam tantum videtur nosse Cato, quum duae sint, quae vulgo maior et minor vocantur. Ergo proprie *Libycarum soror* dicendum erat. Nimirum liberum hoc lectori poeta relinquit, utram velit de duabus cogitare. Mirum est commentum, quod nollem placuisset Putschio, Arnoldi, iungentis *soror altera*, et interpretantis: quum duae sint Syrtes sorores in Africa, *Syrtis ista ex agro iam exorta erit altera, id est, secunda soror, sive socia, et quasi tertia Syrtis. Barbaras Syrtes* dixit etiam Horatius Carm. II. VI, 3. *Libycas* non unus.

V. 54. TRISTIUS HOC, MEMINI, REVOCASTI BATTARE CARMEN. Versus intercalaris. Observat Cato tristes Battari modos. En, inquit, revocasti tristiores modos illos, quos olim te canere fistula tua memini. Nam sequitur canentem Catonem fistula Battari. Cf. sup. pag. 21. et infra monenda ad v. 71.

In Gallicanis, qui sunt Petavianus et Thuaneus, Heinsio teste, *revocasses* legebatur: at Burmannus ex iisdem, et ex Mediceo, *revocasset* profert. Et in Thuaneo *reuocasset* legi certum est Vossii Lasseniique testimonio; et sic in August. Mon. I. II. Vrat. I. in Romana I. cod. Bas. Ven. Achat. et Mutin. Contra *reuocasses* in Anglicano, Pa-

ris. II. III. et nisi fallor, IV. tum in Romana II. et Vrat. II. *reuocasse* Venetae Rub. Iens. cum Vicent. Voss. II. et reliquo grege suo. *reuocasti*, quod versus 71. verum esse evincit, primum restitutum in Ascensianis et Aldinis. et sic nunc in exemplo Lips. Venetae Iens. a manu Gl. Quae manus etiam distinxit recte: *Tr. hoc* : *memini* : *reuocasti* etc. nam vulgo nulla hic in libris distinctio. Sic *memini* inseritur ab Ovidio Fast. IV. 377. *Tertia lux, memini, ludis erat.* Non capio Wernsdorfium, qui *revocasses* aptius putat, et *memini* positum esse pro *existimo*, vel *credo.*

*T. haec memini* Rom. I. cod. Bas. Mutin. *hec* Ven. Achat. sed *hoc* Rom. II. etc.

V. 55. 6. NIGRO MULTA MARI DICUNT PORTENTA etc.

*Nigro multa*] dixit *portenta monstra*, ut Cicero *tibicini modi*, *ancile scutum*, *recte iaculum* etc. SCALIG. Cicero in Oratore LVIII, 198. *rete iaculum*, apud Plautum; *ancile scutum* nescio unde. Eamdem in sententiam Lindenbruchius in exemplo Guelferb. edit. Scal. 1595. locum annotavit Lucilii lib. XV. ap. Nonium v. *Corbita*:

*Multa homines portenta in Homero versificata*
*Monstra putant.*

Ego *monstra ac portenta* novi ex Lucretio IV. 594. V. 843. *monstra portenta* qui dixerit, novi neminem. De Lucilio idem, quod Lindenbruchius, sentiebat Mercerus, cuius haec sunt Not. in Nonium p. 208. *in Homeri*) *sic libri*, *recte.* ἐν τοῖς ὁμήρου. portenta monstra, *ut* monstrum exemplum, *in Plauto; et sexcenta huiusmodi.* Illud fortasse vere, *in Homeri*, si quidem haec re vera scriptura librorum est; de altera observatione dubito, quum neque Plautus, cuius locum Mercero obversari eum puto, qui est Asin. II. II, 23. quicquam probet, neque Lucilium, si ibi *portenta monstra* iungatur, quam praebeat sententiam, intelligam. Quamquam etiam Scaligerum memini alicubi ita iungere verba Lucilii. Lucilius, nisi fallor, quae *portenta* Homerus describat, ut Cyclopem, ficta esse ab Homero omnia dicit: errare, si qui ea *monstra* fuisse vera putent. Utut sit de Lucilio, in Catone res est planissima. *Monstra*, quod vidit Badius, ac vidisset Scaliger, nisi interdum obsoletorum amator atque insolentiae esset supra modum, interpretatio est, ut utar proprio hac in re vocabulo, verbi ante positi *portenta.* Poterat alio modo, ea figura, quam palillogiam, vel aliis vocant nominibus, ita scribi: *multa dicunt* monstra *natare*, monstra *repentinis* etc. vel sic: *dicunt* portenta *natare*, portenta *repentinis* etc. qua figura noster supra usus est v. 2. 3. *Monstra*, *portenta*, ut verba sunt fere idem significantia, ita promiscue usurpantur de beluis marinis. Nisi *portenta* paullo

fuerit exquisitius. *monstra natantia* omnes noverunt ex Horatio: cf. ibi intpp. *monstrorum corpora* Manilius V. 191. de mortuis. *portenta* Propertius dicit III. xxii, 27. 8. *At non squamoso labuntur ventre cerastae, Itala portentis nec furit unda novis.* Addantur mox laudandi Pedo Albinovanus, Seneca. Idem est, quum *immania* Neptuni *armenta, et turpis phocas* dicit Virgilius Georg. IV. 394. 5. Itaque recte vetustae nonnullae, vel pleraeque, inde ab Veneta Achatis, et recentiores fere omnes, etiam Scaligeranae, contra mentem Scaligeri, post *natare* incidunt colo, vel commate. In Aldinis, et nonnullis aliis, male sic: — *portenta natare Monstra, repentinis* etc.

De sensu ne quis erret, observandum est, novam a versu 55. usque ad v. 62. imprecationem institui, non confundendam cum ea, quae proxime antecessit. Non vult enim, ut ager primo *Syrtis* fiat, deinde ex Syrti *ferum mare,* sed ut aut *Syrtis*, aut *ferum* turbinibus procellisque, ac beluis, *mare*. Igitur in eo quidem consistit, ut *migret Neptunus in arva,* sed quum illic *Syrtin* fieri voluisset, inhabilem navigationi propter vada arenasque, nunc mare vult fieri aliis rebus periculosum navigaturo. Servat etiam Cato, ut ex v. 60. patet, imaginem combusti ante agri.

Praecipue autem in beluis moratur, quae infestum reddere nautis novum mare debeant, quoniam haec inprimis atrox, et facta ad incutiendum terrorem imago est. *Nigro* displicebat Heinsio, qui: *Pigro*, inquit, opinor. id est glaciato vel inmoto: de mari enim Oceano sive Atlantico id veteres credidisse. Atque eam in rem multos auctores laudat, ut Senecam Rhet. Suasoria I. *Stat immotum mare, et quasi deficientes in suo fine natura pigra moles, novae ac terribiles figurae, magna etiam Oceano portenta, quae profunda ista vastitas nutrit*, etc. Pedonem Albinovanum, apud eumdem Senecam, de navigatione Drusi Germanici: *Nunc illum pigris immania monstra sub undis Qui ferat Oceanum, qui saevas undique pristes, Aequoreosque canes* etc. Itaque Heinsius, si recte capio mentem eius, de versu 58. *Haec agat infesto Neptunus c. tr.* beluas Neptunum arcessere longinquo itinere ex mari Atlantico, sive ex Oceano. Non satis probabiliter; et *agat* mox explicabitur a nobis. Optime *Nigro*, modo recte accipiatur. *Nigro mari*, ut bene Domitius et Badius, est *tumente, turbato mari,* non *in mari nigro.* Paullo post magis perspicue: *furenti ponto.* Beluae quum superficiem maris petunt, id imminentis tempestatis signum esse, ad Horat. Carm. I. iii, 18. Mitscherlichius observat ex itinerariis nescio quibus. Certe veterum hanc fuisse opinionem scio, beluas, cete, quum plerumque cubent in fundo maris, quod de κήτεσι Oppianus Halieut. V. 47. sq. diserte tradit, nonnunquam, turbato mari, sursum agi cum flucti-

bus, natare, emergere. Apposite Plinius H. N. IX. III. de beluis maris Indici: *Sed in mari belluae circa solstitia maxime visuntur. Tunc illic ruunt turbines, tunc imbres, tunc deiectae montium iugis procellae ab imo vertunt maria, pulsatasque ex profundo belluas cum fluctibus volvunt*, etc. Igitur Cato, ut alia imprecatur mirabilia, portentosa, ita hoc quoque in mari illo, quod vult ex suo agro fieri, accidere iubet. At Horatius loco isto, *Qui siccis oculis monstra natantia, Qui vidit mare turbidum,* sive *turgidum*, non unam, puto, imaginem, turbati maris, enatantiumque eodem tempore monstrorum, sed diversa tempore locoque terricula proponere voluit. Apponam Pomponii Sabini explicationem: *Multa portenta sub signo cancri in mense Maii emergunt e mari rubro, ut ait Plinius. tunc tempestas oritur, ut opprimantur beluae. Has delphines fugientes, signa sunt nautis tempestatis.* Quae prave distincta leguntur in edit. Oporini, et in Virgilii editionib. Basil. H. P. 1561. Non dissimile est, quod laudatus a me Plinius de beluis maris Indici narrat, idemque de praesagiis delphinorum nonnulla lib. XVIII. extr. ubi ista eo modo coniungat Plinius, quo Pomponius coniungit, locum invenio nullum.

*Nigr* erasa ultima littera Monac. I. Fuit autem *Nigra* ut est in Monac. II. *Nigro* caeteri. Deinde Mon. II. verba *natare Monstra* usque ad *terrentia* omittit. Augustanus: *Nigrotumultamari dicent portantanatare* et *dicent* Petav. Medic. Voss. I. Paris. II. III. IV. Angl. V. 56. *terrencia* August. *terentia* Veneta Rub. et Vicent. quod in eo verbo perpetuum harum duarum vitium.

V. 57. QUOM SUBITO EMERSERE FURENTI CORPORA PONTO. *Quom* Angl. *corpore* Thuan. testantibus Burmanno et Is. Vossio, itemque Lasseno, qui tamen supra scriptum esse *a* testatur. Id fortasse a manu recenti post Vossii Heinsiique tempora adscriptum fuit. *corpore* etiam Paris. II. *furentia* Vrat. II. *pontho* Mon. II.

Silius Ital. XI. 482. in re alia, sed tamen de eodem monstrorum genere:

subito emicuere *per undas*
*Ad murmur cete toto exsultantia* ponto.

In Catulli loco,

*Emersere feri candenti e gurgite voltus,*

quid Burmannus invenerit ita versui Catonis simile, ut Catulliana respexisse Catonem coniiciat, non perspicio equidem. An beluas ibi marinas describi a Catullo arbitrabatur? Sane ita visum est olim Antonio Parthenio et Alexandro Guarino. At melior eidem Guarino, atque unice vera interpretatio in mentem venit, esse versum hunc cum versu sequente nectendum:

*Emersere feri candenti e gurgite voltus,*
*Aequoreae monstrum Nereides admirantes.*

*Nereides, feri vultus*, appositive, ut ille ait. Et egregie *feri*, hoc est, efferati admiratione ac stupore. Neque illud verum est, quod perhibent Burmannus et Wernsdorfius, *corpora* proprie dici monstra marina. Quam in rem quod Burmannus Ovidium Trist. I. ii, 39. laudat, mira est aut negligentia aut infelicitate usus. Magis aptum Wernsdorfius exemplum ponit e Ciri v. 451. *Aequoreae pestes, immania* corpora *ponti.* Verum quicquid hoc observationis est, dilabetur, ubi accuratius usum loquendi examinaveris. *Corpora* monstra marina neque saepius neque magis proprie, quam alia animalia, non exceptis hominibus, dicuntur: dicuntur autem ea, quae excellunt aliquo modo, ut vastitate, aut pulchritudine, aut deformitate. E. g. ut de pulchritudine exemplum afferam, in Ciri v. 202. de puellis in aves mutatis: *vos, o pulcherrima quondam corpora.*

Multus est Arnoldus de artificio huius versus, quod ille partim in vocalibus, partim in alternis dactylis et spondeis ponit. Est sane gravis versus concursu vocalium grandius sonantium.

*virenti* pro *furenti* coni. Heinsius.

V. 58. HAEC AGAT INFESTO NEPTUNUS CAECA TRIDENTI. Coniunctam hic versus cum versu 59. sententiam habet. *agit* Mon. I. II. *aget* Norimb. 1492. vitiose. In Vrat. I. hoc verbum deest. *infesta* Petav. Thuan. August. et reliqui, quorum notitiam habeo, codices scripti praeter Paris. IV. omnes, cum omni editione prisca, praeter Mutinensem. *infessa* Vrat. I. *infesto* Par. IV. Mut. Ascensianae, Argent. Aldinae, et inde reliquae. et *infesto* fecit Gloss. V. I. Badius: *tridenti. s. baculo regali*: *infesto. alii referentes ad fuscinam fecerunt infesta. s. fuscina tridenti. caeca* in August. et haud dubie aliis, ut in Romana I. *coeca* in Mut. Est autem epitheton scite positum. *caeca*, caeco impetu. Vastae moles illae non consulto eunt, sed fere fluctibus tractuque maris feruntur: Plinius H. N. IX. extr. Oppianus Hal. V. 62. sqq.

V. 59. ATRUM CONVERTENS AESTUM MARIS UNDIQUE VENTIS.

*Atrum convertens*] Lego, *converrens*, συνεπισύρων. *Atrum aestum*, ut μέλαινα φρὶξ poetis. SCALIG. Igitur Scaliger de superficie tantum maris cogitabat, quam venti dum radunt, ac verrunt, illam quam φρῖκα dicimus, efficiunt. Aliud iubet versus qui praecedit, quocum hic structura nexus est, *agat convertens.* Monstra Neptunus *agit*, i. e. sursum agit, dum ventis undique *convertit aestum maris.* Fluctus maris,

id enim est *aestus*, usitatissima vocabuli huius potestate, et quidem *ater* aestus, quoniam iam turbatum fingitur mare: igitur fluctus maris quum *convertuntur*, efficitur ut summae fiant, et in superficiem maris veniant, quae ante imae, fundoque maris proximae aquae. Atque eadem via beluae, abreptae fluctus sursum tendentis impetu, ex profundo aguntur. Sed optimus huius rei interpres Plinius est loco sup. laud. ad v. 55. — *procellae* ab imo vertunt *maria*, *pulsatasque ex profundo belluas cum fluctibus volvunt. Neptunum*, et stimulari beluas *tridenti*, de suo addidit Cato, tamquam poeta. Coniecturam Scaligeri certatim amplexi sunt, aut eamdem post Scaligerum fecere viri docti, Heinsius ad h. l. Broukhusius ad Propert. II. xii, 44. et Broukhusius quidem confidenter, Heinsius ad h. l. modeste, et ut scribi etiam potuisse *convertens* fateatur. Nempe quum animadvertissent viri docti, oblitteratum esse hic illic *verrere* verbum, proque eo *vertere* repositum a librariis, illi quod suo loco bene atque eleganter dicitur, *exquisitum* per se et ubique esse rati, qui error multas pravas coniecturas peperit, ubicumque fieri posset, inferendum esse verbum *verrere* censuerunt, et vero intulerunt, ubi inferri neque debebat neque poterat. Ut in locum Catonis. Cf. quae Burmannus laudat, Heinsio disputata ad Ovid. Amor. I. ix, 14. Metam. XI. 499. ad Silium XIV. 262. et Burmanno ipsi animadversa in Anth. Lat. T. I. p. 563. Melius diversa distinguit Lachmannus ad Propertii locum illum. Attingam nonnulla. Ad Silium vera est disputatio Heinsii, *verrere* restituentis, sic: *seu retibus aequor verrere.* item recte sentit de Ovidii loco, quo postea ad v. 60. utar, Metam. XI. 499. At in vulgata scriptura Valerii Flacci VIII. 325. quid tandem insulsi est? Immo, si quid in eo loco insulse dictum, illud est, quod amplectitur Heinsius, Aldinum: *Verrentes imum pariter mare. Verrunt* venti aliquid ex imo mari, ut arenas; aut *verrunt* summum mare: *imum mare* non *verritur* a ventis, sed *vertitur.* Vel si quando ita loquuti sunt poetae latini, minus accurate loquuti sunt, ut Marcianus Capella, Ennodius, Prudentius apud Heinsium ad Ovid. Met. XI. 499. Et apud Prudentium quidem alii *Vertat* legunt. Marcianus lib. IX. p. 307. ita:

*Et licet indomiti dira procella Noti*
*Spumea Scyllaei verreret ima maris*,
*Delphinas totis sollicitavit aquis*,
*Et melicos cantus bellua grata tulit.*

Valerii Flacci locum quod attinet, ego quae sit Aldinae auctoritas, nescio; hoc scio, perbene dici, quod ibi vulgo legitur:

*Videre: inque imum pariter mare protinus omnes*
*Infesto clamore ruunt*:

scilicet venti insinuare se in fundum maris, atque inde sursum volvere fluctus putantur, ut est in nobilissima descriptione apud Virgilium, quam haud dubie ante oculos Valerius Flaccus habuit, *Incubuere mari, totumque a sedibus imis Una Eurusque Notusque ruunt* etc. De Propertio accedo sententiae Lachmanni, vulgatum tuentis:

*Nec nostra Actiacum* verteret *ossa mare,*

verbumque comparantis graecum *κυλίνδει.* Nec Fr. G. Barthii observatio contemnenda est. Certe Propertium ea tantum conditione *verreret* scripturum fuisse existimo, si sermo ibi de mari vehementer commoto esset: at sermo est de tranquillo, in quo ossa non verruntur, sed leni motu volvuntur. Ad Catonem proxime accedunt laudati Heinsio et Burmanno, Virgilius Aen. I. 43.

*Disiecitque rates,* evertitque *aequora* ventis.

Ovidius Fast. III. 591.

*Adsiliunt fluctus, imoque a gurgite pontus*
Vertitur.

Et de usu *tridentis* tali in re cf. Virg. Aen. II. 418.

*saevitque* tridenti
*Spumeus, atque imo Nereus ciet aequora fundo.*

Attius Medea:

*Nisi quas terrestres Pontus strages conciet:*
*Aut forte Triton* fuscina evertens specus,
*Subter radices penitus undanti in freto*
*Molem ex profundo saxeam ad caelum eruit.*

Thuaneus, insolita scribendi brevitate, *c u aestum* habet: cui in margine, explicationis caussa, adscriptum est, Lasseno teste, *conuertens. cutens* Paris. II. *conuertent* Mon. II. *aestum mas undiq*: in Augustano. Denique Romanae, Venetae Achat. et Rub. Vicent. aliae, perverse colon post *maris* inserunt.

V. 60. ET FUSCUM CINEREM CANIS EXHAURIAT UNDIS. *Et sulcum canis* omisso voc. *cinerem*, Vratisl. I. *cauis* Paris IV. Romanae, Ven. Achatis, et qui e Romanis etiam vitia exprimunt, codices Bas. et Vrat. II. *exauriat* August. *exhauriet* Mon. I. II. Vrat. I. Hic quoque versus nexam cum praecedentibus sententiam habet. Dum *convertitur* mare, sursum aguntur, ita ut conspici oculis possint, arenae, et si quid aliud in fundo maris latet. Ovidius Metam. XI. 499. de ponto:

*Et modo, cum fulvas ex imo verrit arenas,*
*Concolor est illis; Stygia modo nigrior unda.*

Virgilius Georg. III. 240. 1.

*at ima exaestuat unda*
*Vorticibus, nigramque alte subvectat arenam.*

Sophocles Antig. 583. seqq. H.

*ὁμοῖον ὥστε ποντίαις*
*οἶδμα δυσπνόοις ὅταν*
*Θρῄσσῃσιν ἔρεβος ὕφαλον ἐπιδράμῃ πνοαῖς,*
*κυλίνδει βυσσόθεν κελαινὰν*
*θῖνα καὶ δυσάνεμον*, et quae seq.

ubi tamen non persuadeo mihi, *ἔρεβος ὕφαλον* accusativum esse pendentem a verbis *οἶδμα ἐπιδράμῃ*. Ut enim concedam, *ἔρεβος ὕφαλον* *fundum maris* esse, non bene *οἶδμα*, *fluctus*, dicetur *percurrere fundum maris*, vel *incurrere in f. m.* Certe multo magis usitatum alterum est, quod paullo ante ad Catonis versum 59. commemoravi, ut mare primo commoveri intus, tum extollere fluctus dicatur. Itaque, quod recte perspexerat Erfurdtius, *ἔρεβος ὕφαλον*, *submarina*, si ita dicere liceat, *caligo*, nominativus est. Ea caligo, quum fit tempestas, ventis ingruentibus, ascendit in superficiem maris, fluctusque, qui, tranquillo mari, non sunt nigri, occupat atque inficit nigrore suo. *οἶδμα* accusativus, pendens ab *ἐπιδράμῃ*: sed ad *κυλίνδει* rursus supplendus est *οἶδμα* nominativus.

Verum ista Ovidii, Virgilii, Sophoclis exempla tamquam similia attuli, non tamquam idem significantia. Cato Neptunum non arenas, sed *fuscum cinerem* eiectare iubet, scilicet cinerem, qui restabat de combusto agro: cf. v. 46. Nemo haec recte intellexit. Gloss. V. I. ex parte non male: *terram nigram de agris nostris.* at vero *cinis* non est terra. Et *exhauriat* plus valet, quam apud poetas illos *verrit*, *subvectat*, *κυλίνδει.* Vult enim Cato proprie *exhauriri*, et prorsus dispergi cinerem, ut plane nihil restet de agro suo. *canis* undis, i. e. albentibus, spumeis.

V. 61. DICANTUR MEA RURA FERUM MARE. NAUTA CAVETO. *ferrum* Venetae Rub. vitium, quum correctum fuisset in Vicentina, rursus comparet in vitiosis posterioribus, Norimb. 1492. Ven. 1499. *uerum mare* Mut. *mare* deest Vrat. I. *nuta* pro *nauta* Paris. IV. Boxhornius *merum mare* malebat. Sensum iam patefecerunt editores nonnulli antiquiores, ut Rubeus, dum colon ponunt post *rura*: et alterum colon post *mare*. *Ferum Mare* appellatio est, quam Cato impositum iri mari ei, quod vult ex suo agro fieri, auguratur: *Mare ferum*, ut Mare magnum, Mare rubrum, Mare mortuum. Sic supra Syrtin fieri ex agro suo, et vero dici *Syrtin*, volebat:

*Barbara* dicatur *Libycae soror altera* Syrtis.

*Mare ferum* dixit etiam Catullus in Galliambo, sed tamquam commune maris epitheton. Caeterum si quis haec ita distinguenda esse contenderit: *nauta, caveto Rura*, ut compellet nautam poeta, non habeo quo eum refutem. Mirus enim est in Catone amor apostrophes. Sed tamen hic nimius foret figurae istius abusus, quum statim alia sequatur apostrophe v. 63. *Neptune*, et rursus alia v. 64. *Battare.*

V. 62. RURA, QUIBUS DIRAS INDIXIMUS, IMPIA VOTA.

Cf. v. 3. Et hic quoque peccatur nonnihil. *Duras. q. d.* Paris. IV. *Ruras* Romana I. itemque, nisi fallor, Romana II. *induximus* Veneta Achat. Ascens. III. Lugd. 1529. *impia voto* Medic. Sententia aliquantum differt hic versus a versu 3. Namque illic unice intelliguntur dirae priores, quae erant in *Indignatione*; hoc loco non solum illae, sed etiam nuperrimae hae, quas nunc indicit: vel potius hae magis, quam illae.

V. 63. SI MINUS HAEC, NEPTUNE, TUAS INFUNDIMUS AURIS.

*Si minis heu*] Lego:

*Si minus haec, Neptune, tuis infundimus iris.*

Si minus haec evomimus digna tuis iris. Si non satis digna sunt vindicibus undis tuis, quae imprecamur: tu, o Battare flumen ades, et trade diluvio fluminum nostros dolores, hoc est agros nostros: quorum amissione dolemus: ut amores nostros, quem amamus. SCALIGER. Similia idem supra ad v. 1. Ante oculos habebat Scaliger scripturam vulgatam: nam vulgatum dicere licebit, quod in vetere editione ante Aldinas, excepta Mutinensi, omni, et in nonnullis post Aldinas, ut Lugd. 1529. Bas. 1543. denique in codd. Bas. Vrat. II. Voss. II. legitur:

*Si minus* heu *Neptune* tuis *infundimus* aris:

quod Domitius ita interpretatur: *minus infundimus. minus damus o neptune tuis altaribus quam debeamus.* Gloss. V. I. similiter: *si non tantum sacrificamus tibi ut velis audire vota nostra.* similiter Badius, Boxhornius; eodemque redit Salmasii explicatio, qui ita locum Arnoldo explicabat: Si, quod infundimus, minus fuerit, tu saltim, Battare, fac sis, ut rura fiant flumina, quoniam ferum mare, invito Neptuno, fieri nequeunt. Addebat: Nullum sacrificium aris datum sine libamentis, de quibus *infundere* et *fundere* usurpatur. Ferrem fortasse, etsi, ut libere dicam, prorsus importuna est mentio sacrificii, et contraria consilio carminis huius: omnia verbis peragit poeta. Praeterea aliud est in Mutinensi Aldinisque:

*Si minus* haec (vel *hec*) *N.* tuis *infundimus* auris:

addicentibus libris scriptis. nam *haec,* vel *hec,* in Petav. Thuan. itemque, ut

puto, in Medic. apud Heinsium et Burmannum, tum in meis Paris. II. IV. Angl. Voss. I. si f. s. August. Mon. I. II. Vrat. I. *auris* Petav. Thuan. Med. Leid. et mei, quos dixi, omnes: nisi quod in Vossiano I. diserte monente Vossio, et in Paris. III. Anglic. Lasseno testante, *aris* legitur. Et sic mixtam ex vulgata et Aldina scripturam nonnulli, sed recentiores, et inferioris ordinis, ut Venetae 1544. 1555. 1558. Basil. 1561. et Pithoeus, exhibuerunt: *Si minus* haec *N. tuis inf.* aris. Sed restituendum erat illud ex libris probatissimae fidei, *haec* — *auris*, assumpta praeclara Heinsii correctione *tuas* pro eo, quod in libris est omnibus, *tuis*. Ut est a me restitutum in Museo Rhenano, quum de Battaro disserebam, et a Putschio, qui tamen ita haec edi curavit: *tuas in fundimus aures*. Valde memorabilis locus eo, quod interpolatum esse a manu satis antiqua patet. Scilicet quum falleret librarium antiqua forma *auris*, *tuas* mutatum est in *tuis*; deinde ab aliis *auris* in *aris*; denique rursus ab aliis *haec* in *heu*. Sententia planissima: si minus Neptunus accipit haec vota nostra, tu, o Battare, fac ut illa curae sint fluminibus. *minus*, ut alibi, fere idem valet, quod negatio simplex. Noster Ecl. v. 74. *numquid* minus *aurea promo*? id est, *non aurea*. Et Heinsianae quidem emendationis praestantiam etiam Eichstadius perspexerat, qui *hei* legit, non *haec*, aliumque loci nexum, aliam sententiam infert. Et perspexerat Wernsdorfius, sed mutat sententiam, tentatque aliud, in Addendis, Poet. Lat. Min. To. IV. P. II. p. 829.

Ciceronis locum, de Oratore II. LXXXVII. *ut illi non* infundere in aures tuas *orationem*, *sed in animo videantur inscribere*: idem ille Heinsius contulit. Alibi non facile hoc obvium, *infundere in aures*; et incertum est, utrum Cato Neptunum nolle audire, an hoc significet, non perventura esse ad aures Neptuni vota: sed illud magis probabile. Similia sunt, apud Plautum, *Non* — *tua dicta nunc in aures recipio* Cistell. II. I, 34. apud Virgilium, *Cur mea dicta negat duras demittere in auris*, Aen. IV. 428. et de quo statim dicturus sum, *immittere in aures*. Idem Heinsius de insolentia dictionis, *infundimus aures*, omissa semel praepositione, brevem admonitionem fecit, cuius una particula sive Burmanni sive operarum negligentia suo mota loco, eiusdemque Heinsii ad versum 55. disputationi attexta est. Ac primo confert exemplum ipsius Catonis nostri, v. 108. (Ecl. 5.)

vos *nunc* arridet *ocellis*.

Deinde eumdem usum cerni, vel eamdem insolentiam, in verbo *incidere* animadvertit, qua de re se ipsum ad Ovid. Halieut. v. 10. et Iuretum ad Symmach. Lib. II. Ep. 22. et Lib. V. Ep. 85. laudat. Symmachi exemplis etiam Wernsdorfius utitur, parum considerate. Quodsi de hoc usu non meliores Symmacho auctores testarentur, profecto subscriberem

Deinde quod hanc quam vult exsistere *Syrtim*, poeta *sororem* dicit *Libycae*, audacter dictum est, addendum exemplis eiusdem elegantiae a Valckenario in Eleg. Catulli Callim. p. 160. sq. collectis: *comae sorores*; et ex Plauto *hanc per dexteram, perque hanc sororem laevam*; et quum una pugna *soror*, *ἀδελφή*, dicitur alterius pugnae. Unum etiam intermiscet Valckenarius ab hac re prorsus alienum, Eurip. Orest. 222. Platonis locum, *ἄλλον ὁρῶμεν λόγον τούτου ἀδελφὸν γνήσιον*, ad Valckenarii disputationem addit Huschkius Anal. crit. p. 62. Et *positos ex ordine fratres*, de libris, ex Ovidii Trist. I. I, 107. ad hunc Catonis locum Arnoldus. Non aliena sunt, quae Victorius habet Var. L. XXIII. v. ut ex Aeschylo: *λιγνὺν μέλαιναν, αἰόλην πυρὸς κάσιν*, Sept. 494. ubi alia monstrat Blomfieldius. Sed illos omnes superavit, felicissime excogitata atque exornata imagine, Aristophanes in Nubibus, ubi Nubes comoediam ire, tamquam Electram aliquam, et quaerere *fratrem* suum, Daetalenses, fingit:

*γνώσεται γάρ, ἤνπερ ἴδῃ, τἀδελφοῦ τὸν βόστρυχον.*

v. 536. Cum Plauti ioco comparant versum Moreti 28. *Interdum fessae succedit laeva sorori, Alternatque vices.* Ad eamdem imaginem redeunt ista admodum faceta, *fratrare*, *fraterculare*, *sororiare*, de mammis.

Est aliquid insolentiae in eo, quod unam tantum Syrtim in Africa novit, vel certe unam tantum videtur nosse Cato, quum duae sint, quae vulgo maior et minor vocantur. Ergo proprie *Libycarum soror* dicendum erat. Nimirum liberum hoc lectori poeta relinquit, utram velit de duabus cogitare. Mirum est commentum, quod nollem placuisset Putschio, Arnoldi, iungentis *soror altera*, et interpretantis: quum duae sint Syrtes sorores in Africa, *Syrtis ista ex agro iam exorta erit altera, id est, secunda soror, sive socia, et quasi tertia Syrtis. Barbaras Syrtes* dixit etiam Horatius Carm. II. VI, 3. *Libycas* non unus.

V. 54. TRISTIUS HOC, MEMINI, REVOCASTI BATTARE CARMEN. Versus intercalaris. Observat Cato tristes Battari modos. En, inquit, revocasti tristiores modos illos, quos olim te canere fistula tua memini. Nam sequitur canentem Catonem fistula Battari. Cf. sup. pag. 21. et infra monenda ad v. 71.

In Gallicanis, qui sunt Petavianus et Thuaneus, Heinsio teste, *revocasses* legebatur: at Burmannus ex iisdem, et ex Mediceo, *revocasset* profert. Et in Thuaneo *reuocasset* legi certum est Vossii Lasseniique testimonio; et sic in August. Mon. I. II. Vrat. I. in Romana I. cod. Bas. Ven. Achat. et Mutin. Contra *reuocasses* in Anglicano, Pa-

ris. II. III. et nisi fallor, IV. tum in Romana II. et Vrat. II. *reuocasse* Venetae Rub. Iens. cum Vicent. Voss. II. et reliquo grege suo. *reuocasti*, quod versus 71. verum esse evincit, primum restitutum in Ascensianis et Aldinis. et sic nunc in exemplo Lips. Venetae Iens. a manu Gl. Quae manus etiam distinxit recte: *Tr. hoc* : *memini* : *reuocasti* etc. nam vulgo nulla hic in libris distinctio. Sic *memini* inseritur ab Ovidio Fast. IV. 377. *Tertia lux, memini, ludis erat.* Non capio Wernsdorfium, qui *revocasses* aptius putat, et *memini* positum esse pro *existimo,* vel *credo.*

*T. haec memini* Rom. I. cod. Bas. Mutin. *hec* Ven. Achat. sed *hoc* Rom. II. etc.

V. 55. 6. NIGRO MULTA MARI DICUNT PORTENTA etc.

*Nigro multa*] dixit *portenta monstra,* ut Cicero *tibicini modi*, *ancile scutum*, *recte iaculum* etc. SCALIG. Cicero in Oratore LVIII, 198. *rete iaculum*, apud Plautum; *ancile scutum* nescio unde. Eamdem in sententiam Lindenbruchius in exemplo Guelferb. edit. Scal. 1595. locum annotavit Lucilii lib. XV. ap. Nonium v. *Corbita*:

*Multa homines portenta in Homero versificata*
*Monstra putant.*

Ego *monstra ac portenta* novi ex Lucretio IV. 594. V. 843. *monstra portenta* qui dixerit, novi neminem. De Lucilio idem, quod Lindenbruchius, sentiebat Mercerus, cuius haec sunt Not. in Nonium p. 208. *in Homeri*) *sic libri*, *recte.* ἐν τοῖς ὁμήρου. portenta monstra, *ut* monstrum exemplum, *in Plauto; et sexcenta huiusmodi.* Illud fortasse vere, *in Homeri,* si quidem haec re vera scriptura librorum est; de altera observatione dubito, quum neque Plautus, cuius locum Mercero obversari eum puto, qui est Asin. II. II, 23. quicquam probet, neque Lucilium, si ibi *portenta monstra* iungatur, quam praebeat sententiam, intelligam. Quamquam etiam Scaligerum memini alicubi ita iungere verba Lucilii. Lucilius, nisi fallor, quae *portenta* Homerus describat, ut Cyclopem, ficta esse ab Homero omnia dicit: errare, si qui ea *monstra* fuisse vera putent. Utut sit de Lucilio, in Catone res est planissima. *Monstra,* quod vidit Badius, ac vidisset Scaliger, nisi interdum obsoletorum amator atque insolentiae esset supra modum, interpretatio est, ut utar proprio hac in re vocabulo, verbi ante positi *portenta.* Poterat alio modo, ea figura, quam palillogiam, vel aliis vocant nominibus, ita scribi: *multa dicunt* monstra *natare*, monstra *repentinis* etc. vel sic: *dicunt* portenta *natare*, portenta *repentinis* etc. qua figura noster supra usus est v. 2. 3. *Monstra*, *portenta*, ut verba sunt fere idem significantia, ita promiscue usurpantur de beluis marinis. Nisi *portenta* paullo

fuerit exquisitius. *monstra natantia* omnes noverunt ex Horatio: cf. ibi intpp. *monstrorum corpora* Manilius V. 191. de mortuis. *portenta* Propertius dicit III. xxii, 27. 8. *At non squamoso labuntur ventre cerastae*, *Itala* portentis *nec furit unda novis*. Addantur mox laudandi Pedo Albinovanus, Seneca. Idem est, quum *immania* Neptuni *armenta*, *et turpis phocas* dicit Virgilius Georg. IV. 394. 5. Itaque recte vetustae nonnullae, vel pleraeque, inde ab Veneta Achatis, et recentiores fere omnes, etiam Scaligeranae, contra mentem Scaligeri, post *natare* incidunt colo, vel commate. In Aldinis, et nonnullis aliis, male sic: — *portenta natare Monstra*, *repentinis* etc.

De sensu ne quis erret, observandum est, novam a versu 55. usque ad v. 62. imprecationem institui, non confundendam cum ea, quae proxime antecessit. Non vult enim, ut ager primo *Syrtis* fiat, deinde ex Syrti *ferum mare*, sed ut aut *Syrtis*, aut *ferum* turbinibus procellisque, ac beluis, *mare*. Igitur in eo quidem consistit, ut *migret Neptunus in arva*, sed quum illic *Syrtin* fieri voluisset, inhabilem navigationi propter vada arenasque, nunc mare vult fieri aliis rebus periculosum navigaturo. Servat etiam Cato, ut ex v. 60. patet, imaginem combusti ante agri.

Praecipue autem in beluis moratur, quae infestum reddere nautis novum mare debeant, quoniam haec inprimis atrox, et facta ad incutiendum terrorem imago est. *Nigro* displicebat Heinsio, qui: *Pigro*, inquit, opinor. id est glaciato vel inmoto: de mari enim Oceano sive Atlantico id veteres credidisse. Atque eam in rem multos auctores laudat, ut Senecam Rhet. Suasoria I. *Stat immotum mare, et quasi deficientes in suo fine natura pigra moles*, *novae ac terribiles figurae*, *magna etiam Oceano portenta*, *quae profunda ista vastitas nutrit*, etc. Pedonem Albinovanum, apud eumdem Senecam, de navigatione Drusi Germanici: *Nunc illum pigris immania monstra sub undis Qui ferat Oceanum*, *qui saevas undique pristes*, *Aequoreosque canes* etc. Itaque Heinsius, si recte capio mentem eius, de versu 58. *Haec* agat *infesto Neptunus c. tr.* beluas Neptunum arcessere longinquo itinere ex mari Atlantico, sive ex Oceano. Non satis probabiliter; et *agat* mox explicabitur a nobis. Optime *Nigro*, modo recte accipiatur. *Nigro mari*, ut bene Domitius et Badius, est *tumente*, *turbato mari*, non *in mari nigro*. Paullo post magis perspicue: *furenti ponto*. Beluae quum superficiem maris petunt, id imminentis tempestatis signum esse, ad Horat. Carm. I. iii, 18. Mitscherlichius observat ex itinerariis nescio quibus. Certe veterum hanc fuisse opinionem scio, beluas, cete, quum plerumque cubent in fundo maris, quod de κήτεσι Oppianus Halieut. V. 47. sq. diserte tradit, nonnunquam, turbato mari, sursum agi cum flucti-

bus, natare, emergere. Apposite Plinius H. N. IX. III. de beluis maris Indici: *Sed in mari belluae circa solstitia maxime visuntur. Tunc illic ruunt turbines, tunc imbres, tunc deiectae montium iugis procellae ab imo vertunt maria, pulsatasque ex profundo belluas cum fluctibus volvunt*, etc. Igitur Cato, ut alia imprecatur mirabilia, portentosa, ita hoc quoque in mari illo, quod vult ex suo agro fieri, accidere iubet. At Horatius loco isto, *Qui siccis oculis monstra natantia*, *Qui vidit mare turbidum*, sive *turgidum*, non unam, puto, imaginem, turbati maris, enatantiumque eodem tempore monstrorum, sed diversa tempore locoque terricula proponere voluit. Apponam Pomponii Sabini explicationem: *Multa portenta sub signo cancri in mense Maii emergunt e mari rubro*, *ut ait Plinius. tunc tempestas oritur*, *ut opprimantur beluae. Has delphines fugientes*, *signa sunt nautis tempestatis.* Quae prave distincta leguntur in edit. Oporini, et in Virgilii editionib. Basil. H. P. 1561. Non dissimile est, quod laudatus a me Plinius de beluis maris Indici narrat, idemque de praesagiis delphinorum nonnulla lib. XVIII. extr. ubi ista eo modo coniungat Plinius, quo Pomponius coniungit, locum invenio nullum.

*Nigr* erasa ultima littera Monac. I. Fuit autem *Nigra* ut est in Monac. II. *Nigro* caeteri. Deinde Mon. II. verba *natare Monstra* usque ad *terrentia* omittit. Augustanus: *Nigrotumultamari dicent portantanatare* et *dicent* Petav. Medic. Voss. I. Paris. II. III. IV. Angl. V. 56. *terrencia* August. *terentia* Veneta Rub. et Vicent. quod in eo verbo perpetuum harum duarum vitium.

V. 57. QUOM SUBITO EMERSERE FURENTI CORPORA PONTO. *Quom* Angl. *corpore* Thuan. testantibus Burmanno et Is. Vossio, itemque Lasseno, qui tamen supra scriptum esse *a* testatur. Id fortasse a manu recenti post Vossii Heinsiique tempora adscriptum fuit. *corpore* etiam Paris. II. *furentia* Vrat. II. *pontho* Mon. II.

Silius Ital. XI. 482. in re alia, sed tamen de eodem monstrorum genere:

subito emicuere *per undas*
*Ad murmur cete toto exsultantia* ponto.

In Catulli loco,

*Emersere feri candenti e gurgite voltus*,

quid Burmannus invenerit ita versui Catonis simile, ut Catulliana respexisse Catonem coniiciat, non perspicio equidem. An beluas ibi marinas describi a Catullo arbitrabatur? Sane ita visum est olim Antonio Parthenio et Alexandro Guarino. At melior eidem Guarino, atque unice vera interpretatio in mentem venit, esse versum hunc cum versu sequente nectendum:

*Emersere feri candenti e gurgite voltus,*
*Aequoreae monstrum Nereides admirantes.*

*Nereides*, *feri vultus*, appositive, ut ille ait. Et egregie *feri*, hoc est, efferati admiratione ac stupore. Neque illud verum est, quod perhibent Burmannus et Wernsdorfius, *corpora* proprie dici monstra marina. Quam in rem quod Burmannus Ovidium Trist. I. II. 39. laudat, mira est aut negligentia aut infelicitate usus. Magis aptum Wernsdorfius exemplum ponit e Ciri v. 451. *Aequoreae pestes, immania* corpora *ponti.* Verum quicquid hoc observationis est, dilabetur, ubi accuratius usum loquendi examinaveris. *Corpora* monstra marina neque saepius neque magis proprie, quam alia animalia, non exceptis hominibus, dicuntur: dicuntur autem ea, quae excellunt aliquo modo, ut vastitate, aut pulchritudine, aut deformitate. E. g. ut de pulchritudine exemplum afferam, in Ciri v. 202. de puellis in aves mutatis: *vos, o pulcherrima quondam corpora.*

Multus est Arnoldus de artificio huius versus, quod ille partim in vocalibus, partim in alternis dactylis et spondeis ponit. Est sane gravis versus concursu vocalium grandius sonantium.

*virenti* pro *furenti* coni. Heinsius.

V. 58. HAEC AGAT INFESTO NEPTUNUS CAECA TRIDENTI. Coniunctam hic versus cum versu 59. sententiam habet. *agit* Mon. I. II. *aget* Norimb. 1492. vitiose. In Vrat. I. hoc verbum deest. *infesta* Petav. Thuan. August. et reliqui, quorum notitiam habeo, codices scripti praeter Paris. IV. omnes, cum omni editione prisca, praeter Mutinensem. *infessa* Vrat. I. *infesto* Par. IV. Mut. Ascensianae, Argent. Aldinae, et inde reliquae. et *infesto* fecit Gloss. V. I. Badius: *tridenti. s. baculo regali*: *infesto. alii referentes ad fuscinam fecerunt infesta. s. fuscina tridenti. caeca* in August. et haud dubie aliis, ut in Romana I. *coeca* in Mut. Est autem epitheton scite positum. *caeca*, caeco impetu. Vastae moles illae non consulto eunt, sed fere fluctibus tractuque maris feruntur: Plinius H. N. IX. extr. Oppianus Hal. V. 62. sqq.

V. 59. ATRUM CONVERTENS AESTUM MARIS UNDIQUE VENTIS.

*Atrum convertens*] Lego, *converrens*, συνεπισύρων. *Atrum aestum*, ut μέλαινα φρίξ poetis. SCALIG. Igitur Scaliger de superficie tantum maris cogitabat, quam venti dum radunt, ac verrunt, illam quam φρῖκα dicimus, efficiunt. Aliud iubet versus qui praecedit, quocum hic structura nexus est, *agat convertens.* Monstra Neptunus *agit*, i. e. sursum agit, dum ventis undique *convertit aestum maris.* Fluctus maris,

id enim est *aestus*, usitatissima vocabuli huius potestate, et quidem *ater* aestus, quoniam iam turbatum fingitur mare: igitur fluctus maris quum *convertuntur*, efficitur ut summae fiant, et in superficiem maris veniant, quae ante imae, fundoque maris proximae aquae. Atque eadem via beluae, abreptae fluctus sursum tendentis impetu, ex profundo aguntur. Sed optimus huius rei interpres Plinius est loco sup. laud. ad v. 55. — *procellae* ab imo vertunt *maria*, *pulsatasque ex profundo belluas cum fluctibus volvunt.* *Neptunum*, et stimulari beluas *tridenti*, de suo addidit Cato, tamquam poeta. Coniecturam Scaligeri certatim amplexi sunt, aut eamdem post Scaligerum fecere viri docti, Heinsius ad h. l. Broukhusius ad Propert. II. xii, 44. et Broukhusius quidem confidenter, Heinsius ad h. l. modeste, et ut scribi etiam potuisse *convertens* fateatur. Nempe quum animadvertissent viri docti, oblitteratum esse hic illic *verrere* verbum, proque eo *vertere* repositum a librariis, illi quod suo loco bene atque eleganter dicitur, *exquisitum* per se et ubique esse rati, qui error multas pravas coniecturas peperit, ubicumque fieri posset, inferendum esse verbum *verrere* censuerunt, et vero intulerunt, ubi inferri neque debebat neque poterat. Ut in locum Catonis. Cf. quae Burmannus laudat, Heinsio disputata ad Ovid. Amor. I. ix, 14. Metam. XI. 499. ad Silium XIV. 262. et Burmanno ipsi animadversa in Anth. Lat. T. I. p. 563. Melius diversa distinguit Lachmannus ad Propertii locum illum. Attingam nonnulla. Ad Silium vera est disputatio Heinsii, *verrere* restituentis, sic: *seu retibus aequor verrere.* item recte sentit de Ovidii loco, quo postea ad v. 60. utar, Metam. XI. 499. At in vulgata scriptura Valerii Flacci VIII. 325. quid tandem insulsi est? Immo, si quid in eo loco insulse dictum, illud est, quod amplectitur Heinsius, Aldinum: *Verrentes imum pariter mare.* *Verrunt* venti aliquid ex imo mari, ut arenas; aut *verrunt* summum mare: *imum mare* non *verritur* a ventis, sed *vertitur*. Vel si quando ita loquuti sunt poetae latini, minus accurate loquuti sunt, ut Marcianus Capella, Ennodius, Prudentius apud Heinsium ad Ovid. Met. XI. 499. Et apud Prudentium quidem alii *Vertat* legunt. Marcianus lib. IX. p. 307. ita:

*Et licet indomiti dira procella Noti*
*Spumea Scyllaei verreret ima maris*,
*Delphinas totis sollicitavit aquis*,
*Et melicos cantus bellua grata tulit.*

Valerii Flacci locum quod attinet, ego quae sit Aldinae auctoritas, nescio; hoc scio, perbene dici, quod ibi vulgo legitur:

*Videre*: *inque imum pariter mare protinus omnes*
*Infesto clamore ruunt*:

scilicet venti insinuare se in fundum maris, atque inde sursum volvere fluctus putantur, ut est in nobilissima descriptione apud Virgilium, quam haud dubie ante oculos Valerius Flaccus habuit, *Incubuere mari, totumque a sedibus imis Una Eurusque Notusque ruunt* etc. De Propertio accedo sententiae Lachmanni, vulgatum tuentis:

*Nec nostra Actiacum* verteret *ossa mare,*

verbumque comparantis graecum *κυλίνδει.* Nec Fr. G. Barthii observatio contemnenda est. Certe Propertium ea tantum conditione *verreret* scripturum fuisse existimo, si sermo ibi de mari vehementer commoto esset: at sermo est de tranquillo, in quo ossa non verruntur, sed leni motu volvuntur. Ad Catonem proxime accedunt laudati Heinsio et Burmanno, Virgilius Aen. I. 43.

*Disiecitque rates,* evertitque *aequora* ventis.

Ovidius Fast. III. 591.

*Adsiliunt fluctus, imoque a gurgite pontus*
Vertitur.

Et de usu *tridentis* tali in re cf. Virg. Aen. II. 418.

*saevitque* tridenti
*Spumeus, atque imo Nereus ciet aequora fundo.*

Attius Medea:

*Nisi quas terrestres Pontus strages conciet:*
*Aut forte Triton* fuscina evertens specus,
*Subter radices penitus undanti in freto*
*Molem ex profundo saxeam ad caelum eruit.*

Thuaneus, insolita scribendi brevitate, *c u aestum* habet: cui in margine, explicationis caussa, adscriptum est, Lasseno teste, *conuertens. cutens* Paris. II. *conuertent* Mon. II. *aestum mas undiq*: in Augustano. Denique Romanae, Venetae Achat. et Rub. Vicent. aliae, perverse colon post *maris* inserunt.

V. 60. ET FUSCUM CINEREM CANIS EXHAURIAT UNDIS.

*Et sulcum canis* omisso voc. *cinerem*, Vratisl. I. *cauis* Paris IV. Romanae, Ven. Achatis, et qui e Romanis etiam vitia exprimunt, codices Bas. et Vrat. II. *exauriat* August. *exhauriet* Mon. I. II. Vrat. I. Hic quoque versus nexam cum praecedentibus sententiam habet. Dum *convertitur* mare, sursum aguntur, ita ut conspici oculis possint, arenae, et si quid aliud in fundo maris latet. Ovidius Metam. XI. 499. de ponto:

*Et modo, cum fulvas ex imo verrit arenas,*
*Concolor est illis; Stygia modo nigrior unda.*

Virgilius Georg. III. 240. 1.

*at ima exaestuat unda*
*Vorticibus, nigramque alte subvectat arenam.*

Sophocles Antig. 583. seqq. H.

ὁμοῖον ὥστε ποντίαις
οἶδμα δυσπνόοις ὅταν
Θρῄσσῃσιν ἔρεβος ὕφαλον ἐπιδράμῃ πνοαῖς,
κυλίνδει βυσσόθεν κελαινὰν
θῖνα καὶ δυσάνεμον, et quae seq.

ubi tamen non persuadeo mihi, ἔρεβος ὕφαλον accusativum esse pendentem a verbis οἶδμα ἐπιδράμῃ. Ut enim concedam, ἔρεβος ὕφαλον *fundum maris* esse, non bene οἶδμα, *fluctus*, dicetur *percurrere fundum maris*, vel *incurrere in f. m.* Certe multo magis usitatum alterum est, quod paullo ante ad Catonis versum 59. commemoravi, ut mare primo commoveri intus, tum extollere fluctus dicatur. Itaque, quod recte perspexerat Erfurdtius, ἔρεβος ὕφαλον, *submarina*, si ita dicere liceat, *caligo*, nominativus est. Ea caligo, quum fit tempestas, ventis ingruentibus, ascendit in superficiem maris, fluctusque, qui, tranquillo mari, non sunt nigri, occupat atque inficit nigrore suo. οἶδμα accusativus, pendens ab ἐπιδράμῃ: sed ad κυλίνδει rursus supplendus est οἶδμα nominativus.

Verum ista Ovidii, Virgilii, Sophoclis exempla tamquam similia attuli, non tamquam idem significantia. Cato Neptunum non arenas, sed *fuscum cinerem* eiectare iubet, scilicet cinerem, qui restabat de combusto agro: cf. v. 46. Nemo haec recte intellexit. Gloss. V. I. ex parte non male: *terram nigram de agris nostris.* at vero *cinis* non est terra. Et *exhauriat* plus valet, quam apud poetas illos *verrit*, *subvectat*, κυλίνδει. Vult enim Cato proprie *exhauriri*, et prorsus dispergi cinerem, ut plane nihil restet de agro suo. *canis* undis, i. e. albentibus, spumeis.

V. 61. DICANTUR MEA RURA FERUM MARE. NAUTA CAVETO. *ferrum* Venetae Rub. vitium, quum correctum fuisset in Vicentina, rursus comparet in vitiosis posterioribus, Norimb. 1492. Ven. 1499. *uerum mare* Mut. *mare* deest Vrat. I. *nuta* pro *nauta* Paris. IV. Boxhornius *merum mare* malebat. Sensum iam patefecerunt editores nonnulli antiquiores, ut Rubeus, dum colon ponunt post *rura*: et alterum colon post *mare*. *Ferum Mare* appellatio est, quam Cato impositum iri mari ei, quod vult ex suo agro fieri, auguratur: *Mare ferum*, ut Mare magnum, Mare rubrum, Mare mortuum. Sic supra Syrtin fieri ex agro suo, et vero dici *Syrtin*, volebat:

*Barbara* dicatur *Libycae soror altera* Syrtis.

Deinde quod hanc quam vult exsistere *Syrtim*, poeta *sororem* dicit *Libycae*, audacter dictum est, addendum exemplis eiusdem elegantiae a Valckenario in Eleg. Catulli Callim. p. 160. sq. collectis: *comae sorores*; et ex Plauto *hanc per dexteram, perque hanc sororem laevam*; et quum una pugna *soror*, *ἀδελφή*, dicitur alterius pugnae. Unum etiam intermiscet Valckenarius ab hac re prorsus alienum, Eurip. Orest. 222. Platonis locum, *ἄλλον ὁρῶμεν λόγον τούτου ἀδελφὸν γνήσιον*, ad Valckenarii disputationem addit Huschkius Anal. crit. p. 62. Et *positos ex ordine fratres*, de libris, ex Ovidii Trist. I. I, 107. ad hunc Catonis locum Arnoldus. Non aliena sunt, quae Victorius habet Var. L. XXIII. v. ut ex Aeschylo: *λιγνὺν μέλαιναν, αἰόλην πυρὸς κάσιν*, Sept. 494. ubi alia monstrat Blomfieldius. Sed illos omnes superavit, felicissime excogitata atque exornata imagine, Aristophanes in Nubibus, ubi Nubes comoediam ire, tamquam Electram aliquam, et quaerere *fratrem* suum, Daetalenses, fingit:

*γνώσεται γάρ, ἤνπερ ἴδῃ, τἀδελφοῦ τὸν βόστρυχον.*

v. 536. Cum Plauti loco comparant versum Moreti 28. *Interdum fessae succedit laeva sorori, Alternatque vices.* Ad eamdem imaginem redeunt ista admodum faceta, *fratrare, fraterculare, sororiare*, de mammis.

Est aliquid insolentiae in eo, quod unam tantum Syrtim in Africa novit, vel certe unam tantum videtur nosse Cato, quum duae sint, quae vulgo maior et minor vocantur. Ergo proprie *Libycarum soror* dicendum erat. Nimirum liberum hoc lectori poeta relinquit, utram velit de duabus cogitare. Mirum est commentum, quod nollem placuisset Putschio, Arnoldi, iungentis *soror altera*, et interpretantis: quum duae sint Syrtes sorores in Africa, *Syrtis ista ex agro iam exorta erit altera, id est, secunda soror, sive socia, et quasi tertia Syrtis. Barbaras Syrtes* dixit etiam Horatius Carm. II. VI, 3. *Libycas* non unus.

V. 54. TRISTIUS HOC, MEMINI, REVOCASTI BATTARE CARMEN. Versus intercalaris. Observat Cato tristes Battari modos. En, inquit, revocasti tristiores modos illos, quos olim te canere fistula tua memini. Nam sequitur canentem Catonem fistula Battari. Cf. sup. pag. 21. et infra monenda ad v. 71.

In Gallicanis, qui sunt Petavianus et Thuaneus, Heinsio teste, *revocasses* legebatur: at Burmannus ex iisdem, et ex Mediceo, *revocasset* profert. Et in Thuaneo *reuocasset* legi certum est Vossii Lassenique testimonio; et sic in August. Mon. I. II. Vrat. I. in Romana I. cod. Bas. Ven. Achat. et Mutin. Contra *reuocasses* in Anglicano, Pa-

ris. II. III. et nisi fallor, IV. tum in Romana II. et Vrat. II. *reuocasse* Venetae Rub. Iens. cum Vicent. Voss. II. et reliquo grege suo. *reuocasti*, quod versus 71. verum esse evincit, primum restitutum in Ascensianis et Aldinis. et sic nunc in exemplo Lips. Venetae Iens. a manu Gl. Quae manus etiam distinxit recte: *Tr. hoc* : *memini* : *reuocasti* etc. nam vulgo nulla hic in libris distinctio. Sic *memini* inseritur ab Ovidio Fast. IV. 377. *Tertia lux, memini, ludis erat.* Non capio Wernsdorfium, qui *revocasses* aptius putat, et *memini* positum esse pro *existimo*, vel *credo*.

*T. haec memini* Rom. I. cod. Bas. Mutin. *hec* Ven. Achat. sed *hoc* Rom. II. etc.

V. 55. 6. NIGRO MULTA MARI DICUNT PORTENTA etc.

*Nigro multa*] dixit *portenta monstra*, ut Cicero *tibicini modi*, *ancile scutum*, *recte iaculum* etc. SCALIG. Cicero in Oratore LVIII, 198. *rete iaculum*, apud Plautum; *ancile scutum* nescio unde. Eamdem in sententiam Lindenbruchius in exemplo Guelferb. edit. Scal. 1595. locum annotavit Lucilii lib. XV. ap. Nonium v. *Corbita*:

*Multa homines portenta in Homero versificata*
*Monstra putant.*

Ego *monstra ac portenta* novi ex Lucretio IV. 594. V. 843. *monstra portenta* qui dixerit, novi neminem. De Lucilio idem, quod Lindenbruchius, sentiebat Mercerus, cuius haec sunt Not. in Nonium p. 208. *in Homeri*) *sic libri*, *recte.* ἐν τοῖς ὁμήρου. portenta monstra, *ut* monstrum exemplum, *in Plauto; et sexcenta huiusmodi.* Illud fortasse vere, *in Homeri*, si quidem haec re vera scriptura librorum est; de altera observatione dubito, quum neque Plautus, cuius locum Mercero obversari cum puto, qui est Asin. II. II, 23. quicquam probet, neque Lucilium, si ibi *portenta monstra* iungatur, quam praebeat sententiam, intelligam. Quamquam etiam Scaligerum memini alicubi ita iungere verba Lucilii. Lucilius, nisi fallor, quae *portenta* Homerus describat, ut Cyclopem, ficta esse ab Homero omnia dicit: errare, si qui ea *monstra* fuisse vera putent. Utut sit de Lucilio, in Catone res est planissima. *Monstra,* quod vidit Badius, ac vidisset Scaliger, nisi interdum obsoletorum amator atque insolentiae esset supra modum, interpretatio est, ut utar proprio hac in re vocabulo, verbi ante positi *portenta.* Poterat alio modo, ea figura, quam palillogiam, vel aliis vocant nominibus, ita scribi: *multa dicunt* monstra *natare*, monstra *repentinis* etc. vel sic: *dicunt* portenta *natare*, portenta *repentinis* etc. qua figura noster supra usus est v. 2. 3. *Monstra*, *portenta*, ut verba sunt fere idem significantia, ita promiscue usurpantur de beluis marinis. Nisi *portenta* paullo

fuerit exquisitius. *monstra natantia* omnes noverunt ex Horatio: cf. ibi intpp. *monstrorum corpora* Manilius V. 191. de mortuis. *portenta* Propertius dicit III. xxii, 27. 8. *At non squamoso labuntur ventre cerastae*, *Itala* portentis *nec furit unda novis.* Addantur mox laudandi Pedo Albinovanus, Seneca. Idem est, quum *immania* Neptuni *armenta*, *et turpis phocas* dicit Virgilius Georg. IV. 394. 5. Itaque recte vetustae nonnullae, vel pleraeque, inde ab Veneta Achatis, et recentiores fere omnes, etiam Scaligeranae, contra mentem Scaligeri, post *natare* incidunt colo, vel commate. In Aldinis, et nonnullis aliis, male sic: — *portenta natare Monstra, repentinis* etc.

De sensu ne quis erret, observandum est, novam a versu 55. usque ad v. 62. imprecationem institui, non confundendam cum ea, quae proxime antecessit. Non vult enim, ut ager primo *Syrtis* fiat, deinde ex Syrti *ferum mare,* sed ut aut *Syrtis*, aut *ferum* turbinibus procellisque, ac beluis, *mare.* Igitur in eo quidem consistit, ut *migret Neptunus in arva,* sed quum illic *Syrtin* fieri voluisset, inhabilem navigationi propter vada arenasque, nunc mare vult fieri aliis rebus periculosum navigaturo. Servat etiam Cato, ut ex v. 60. patet, imaginem combusti ante agri.

Praecipue autem in beluis moratur, quae infestum reddere nautis novum mare debeant, quoniam haec inprimis atrox, et facta ad incutiendum terrorem imago est. *Nigro* displicebat Heinsio, qui: *Pigro*, inquit, opinor. id est glaciato vel inmoto: de mari enim Oceano sive Atlantico id veteres credidisse. Atque eam in rem multos auctores laudat, ut Senecam Rhet. Suasoria I. *Stat immotum mare, et quasi deficientes in suo fine natura pigra moles, novae ac terribiles figurae, magna etiam Oceano portenta, quae profunda ista vastitas nutrit*, etc. Pedonem Albinovanum, apud eumdem Senecam, de navigatione Drusi Germanici: *Nunc illum pigris immania monstra sub undis Qui ferat Oceanum, qui saevas undique pristes, Aequoreosque canes* etc. Itaque Heinsius, si recte capio mentem eius, de versu 58. *Haec* agat *infesto Neptunus c. tr.* beluas Neptunum arcessere longinquo itinere ex mari Atlantico, sive ex Oceano. Non satis probabiliter; et *agat* mox explicabitur a nobis. Optime *Nigro*, modo recte accipiatur. *Nigro mari*, ut bene Domitius et Badius, est *tumente, turbato mari,* non *in mari nigro.* Paullo post magis perspicue: *furenti ponto.* Beluae quum superficiem maris petunt, id imminentis tempestatis signum esse, ad Horat. Carm. I. iii, 18. Mitscherlichius observat ex itinerariis nescio quibus. Certe veterum hanc fuisse opinionem scio, beluas, cete, quum plerumque cubent in fundo maris, quod de κήτεσι Oppianus Halieut. V. 47. sq. diserte tradit, nonnunquam, turbato mari, sursum agi cum flucti-

bus, natare, emergere. Apposite Plinius H. N. IX. III. de beluis maris Indici: *Sed in mari belluae circa solstitia maxime visuntur. Tunc illic ruunt turbines, tunc imbres, tunc deiectae montium iugis procellae ab imo vertunt maria, pulsatasque ex profundo belluas cum fluctibus volvunt,* etc. Igitur Cato, ut alia imprecatur mirabilia, portentosa, ita hoc quoque in mari illo, quod vult ex suo agro fieri, accidere iubet. At Horatius loco isto, *Qui siccis oculis monstra natantia, Qui vidit mare turbidum,* sive *turgidum*, non unam, puto, imaginem, turbati maris, enatantiumque eodem tempore monstrorum, sed diversa tempore locoque terricula proponere voluit. Apponam Pomponii Sabini explicationem: *Multa portenta sub signo cancri in mense Maii emergunt e mari rubro, ut ait Plinius. tunc tempestas oritur, ut opprimantur beluae. Has delphines fugientes, signa sunt nautis tempestatis.* Quae prave distincta leguntur in edit. Oporini, et in Virgilii editionib. Basil. H. P. 1561. Non dissimile est, quod laudatus a me Plinius de beluis maris Indici narrat, idemque de praesagiis delphinorum nonnulla lib. XVIII. extr. ubi ista eo modo coniungat Plinius, quo Pomponius coniungit, locum invenio nullum.

*Nigr* erasa ultima littera Monac. I. Fuit autem *Nigra* ut est in Monac. II. *Nigro* caeteri. Deinde Mon. II. verba *natare Monstra* usque ad *terrentia* omittit. Augustanus: *Nigrotumultamari dicent portantanatare* et *dicent* Petav. Medic. Voss. I. Paris. II. III. IV. Angl. V. 56. *terrencia* August. *terentia* Veneta Rub. et Vicent. quod in eo verbo perpetuum harum duarum vitium.

V. 57. QUOM SUBITO EMERSERE FURENTI CORPORA PONTO. *Quom* Angl. *corpore* Thuan. testantibus Burmanno et Is. Vossio, itemque Lasseno, qui tamen supra scriptum esse *a* testatur. Id fortasse a manu recenti post Vossii Heinsiique tempora adscriptum fuit. *corpore* etiam Paris. II. *furentia* Vrat. II. *pontho* Mon. II.

Silius Ital. XI. 482. in re alia, sed tamen de eodem monstrorum genere:

subito emicuere *per undas*
*Ad murmur cete toto exsultantia* ponto.

In Catulli loco,

*Emersere feri candenti e gurgite voltus,*

quid Burmannus invenerit ita versui Catonis simile, ut Catulliana respexisse Catonem coniiciat, non perspicio equidem. An beluas ibi marinas describi a Catullo arbitrabatur? Sane ita visum est olim Antonio Parthenio et Alexandro Guarino. At melior eidem Guarino, atque unice vera interpretatio in mentem venit, esse versum hunc cum versu sequente nectendum:

*Emersere feri candenti e gurgite voltus,*
*Aequoreae monstrum Nereides admirantes.*

*Nereides, feri vultus*, appositive, ut ille ait. Et egregie *feri*, hoc est, efferati admiratione ac stupore. Neque illud verum est, quod perhibent Burmannus et Wernsdorfius, *corpora* proprie dici monstra marina. Quam in rem quod Burmannus Ovidium Trist. I. II. 39. laudat, mira est aut negligentia aut infelicitate usus. Magis aptum Wernsdorfius exemplum ponit e Ciri v. 451. *Aequoreae pestes, immania* corpora *ponti*. Verum quicquid hoc observationis est, dilabetur, ubi accuratius usum loquendi examinaveris. *Corpora* monstra marina neque saepius neque magis proprie, quam alia animalia, non exceptis hominibus, dicuntur: dicuntur autem ea, quae excellunt aliquo modo, ut vastitate, aut pulchritudine, aut deformitate. E. g. ut de pulchritudine exemplum afferam, in Ciri v. 202. de puellis in aves mutatis: *vos, o pulcherrima quondam corpora.*

Multus est Arnoldus de artificio huius versus, quod ille partim in vocalibus, partim in alternis dactylis et spondeis ponit. Est sane gravis versus concursu vocalium grandius sonantium.

*virenti* pro *furenti* coni. Heinsius.

V. 58. HAEC AGAT INFESTO NEPTUNUS CAECA TRIDENTI. Coniunctam hic versus cum versu 59. sententiam habet. *agit* Mon. I. II. *aget* Norimb. 1492. vitiose. In Vrat. I. hoc verbum deest. *infesta* Petav. Thuan. August. et reliqui, quorum notitiam habeo, codices scripti praeter Paris. IV. omnes, cum omni editione prisca, praeter Mutinensem. *infessa* Vrat. I. *infesto* Par. IV. Mut. Ascensianae, Argent. Aldinae, et inde reliquae. et *infesto* fecit Gloss. V. I. Badius: *tridenti. s. baculo regali*: *infesto. alii referentes ad fuscinam fecerunt infesta. s. fuscina tridenti. caeca* in August. et haud dubie aliis, ut in Romana I. *coeca* in Mut. Est autem epitheton scite positum. *caeca*, caeco impetu. Vastae moles illae non consulto eunt, sed fere fluctibus tractuque maris feruntur: Plinius H. N. IX. extr. Oppianus Hal. V. 62. sqq.

V. 59. ATRUM CONVERTENS AESTUM MARIS UNDIQUE VENTIS.

*Atrum convertens*] Lego, *converrens*, συνεπισύρων. *Atrum aestum*, ut μέλαινα φρίξ poetis. SCALIG. Igitur Scaliger de superficie tantum maris cogitabat, quam venti dum radunt, ac verrunt, illam quam φρῖκα dicimus, efficiunt. Aliud iubet versus qui praecedit, quocum hic structura nexus est, *agat convertens*. Monstra Neptunus *agit*, i. e. sursum agit, dum ventis undique *convertit aestum maris*. Fluctus maris,

id enim est *aestus*, usitatissima vocabuli huius potestate, et quidem *ater* aestus, quoniam iam turbatum fingitur mare: igitur fluctus maris quum *convertuntur*, efficitur ut summae fiant, et in superficiem maris veniant, quae ante imae, fundoque maris proximae aquae. Atque eadem via beluae, abreptae fluctus sursum tendentis impetu, ex profundo aguntur. Sed optimus huius rei interpres Plinius est loco sup. laud. ad v. 55. — *procellae* ab imo vertunt *maria*, *pulsatasque ex profundo belluas cum fluctibus volvunt*. *Neptunum*, et stimulari beluas *tridenti*, de suo addidit Cato, tamquam poeta. Coniecturam Scaligeri certatim amplexi sunt, aut eamdem post Scaligerum fecere viri docti, Heinsius ad h. l. Broukhusius ad Propert. II. xii, 44. et Broukhusius quidem confidenter, Heinsius ad h. l. modeste, et ut scribi etiam potuisse *convertens* fateatur. Nempe quum animadvertissent viri docti, oblitteratum esse hic illic *verrere* verbum, proque eo *vertere* repositum a librariis, illi quod suo loco bene atque eleganter dicitur, *exquisitum* per se et ubique esse rati, qui error multas pravas coniecturas peperit, ubicumque fieri posset, inferendum esse verbum *verrere* censuerunt, et vero intulerunt, ubi inferri neque debebat neque poterat. Ut in locum Catonis. Cf. quae Burmannus laudat, Heinsio disputata ad Ovid. Amor. I. ix, 14. Metam. XI. 499. ad Silium XIV. 262. et Burmanno ipsi animadversa in Anth. Lat. T. I. p. 563. Melius diversa distinguit Lachmannus ad Propertii locum illum. Attingam nonnulla. Ad Silium vera est disputatio Heinsii, *verrere* restituentis, sic: *seu retibus aequor verrere*. item recte sentit de Ovidii loco, quo postea ad v. 60. utar, Metam. XI. 499. At in vulgata scriptura Valerii Flacci VIII. 325. quid tandem insulsi est? Immo, si quid in eo loco insulse dictum, illud est, quod amplectitur Heinsius, Aldinum: *Verrentes imum pariter mare*. *Verrunt* venti aliquid ex imo mari, ut arenas; aut *verrunt* summum mare: *imum mare* non *verritur* a ventis, sed *vertitur*. Vel si quando ita loquuti sunt poetae latini, minus accurate loquuti sunt, ut Marcianus Capella, Ennodius, Prudentius apud Heinsium ad Ovid. Met. XI. 499. Et apud Prudentium quidem alii *Vertat* legunt. Marcianus lib. IX. p. 307. ita:

*Et licet indomiti dira procella Noti*
*Spumea Scyllaei verreret ima maris*,
*Delphinas totis sollicitavit aquis*,
*Et melicos cantus bellua grata tulit*.

Valerii Flacci locum quod attinet, ego quae sit Aldinae auctoritas, nescio; hoc scio, perbene dici, quod ibi vulgo legitur:

*Videre*: *inque imum pariter mare protinus omnes*
*Infesto clamore ruunt*:

scilicet venti insinuare se in fundum maris, atque inde sursum volvere fluctus putantur, ut est in nobilissima descriptione apud Virgilium, quam haud dubie ante oculos Valerius Flaccus habuit, *Incubuere mari*, *totumque a sedibus imis Una Eurusque Notusque ruunt* etc. De Propertio accedo sententiae Lachmanni, vulgatum tuentis:

*Nec nostra Actiacum* verteret *ossa mare*,

verbumque comparantis graecum *κυλίνδει*. Nec Fr. G. Barthii observatio contemnenda est. Certe Propertium ea tantum conditione *verreret* scripturum fuisse existimo, si sermo ibi de mari vehementer commoto esset: at sermo est de tranquillo, in quo ossa non verruntur, sed leni motu volvuntur. Ad Catonem proxime accedunt laudati Heinsio et Burmanno, Virgilius Aen. I. 43.

*Disiecitque rates*, evertitque *aequora* ventis.

Ovidius Fast. III. 591.

*Adsiliunt fluctus, imoque a gurgite pontus*
Vertitur.

Et de usu *tridentis* tali in re cf. Virg. Aen. II. 418.

*saevitque* tridenti
*Spumeus, atque imo Nereus ciet aequora fundo.*

Attius Medea:

*Nisi quas terrestres Pontus strages conciet*:
*Aut forte Triton* fuscina evertens specus,
*Subter radices penitus undanti in freto*
*Molem ex profundo saxeum ad caelum eruit.*

Thuaneus, insolita scribendi brevitate, *c u aestum* habet: cui in margine, explicationis caussa, adscriptum est, Lasseno teste, *conuertens*. *cutens* Paris. II. *conuertent* Mon. II. *aestum mas undiq*: in Augustano. Denique Romanae, Venetae Achat. et Rub. Vicent. aliae, perverse colon post *maris* inserunt.

V. 60. ET FUSCUM CINEREM CANIS EXHAURIAT UNDIS.

*Et sulcum canis* omisso voc. *cinerem*, Vratisl. I. *cauis* Paris IV. Romanae, Ven. Achatis, et qui e Romanis etiam vitia exprimunt, codices Bas. et Vrat. II. *exauriat* August. *exhauriet* Mon. I. II. Vrat. I. Hic quoque versus nexam cum praecedentibus sententiam habet. Dum *convertitur* mare, sursum aguntur, ita ut conspici oculis possint, arenae, et si quid aliud in fundo maris latet. Ovidius Metam. XI. 499. de ponto:

*Et modo, cum fulvas ex imo verrit arenas*,
*Concolor est illis*; *Stygia modo nigrior unda*.

Virgilius Georg. III. 240. 1.

*at ima exaestuat unda*
*Vorticibus, nigramque alte subvectat arenam.*

Sophocles Antig. 583. seqq. H.

*ὁμοῖον ὥστε ποντίαις*
*οἶδμα δυσπνόοις ὅταν*
*Θρῄσσῃσιν ἔρεβος ὕφαλον ἐπιδράμῃ πνοαῖς,*
*κυλίνδει βυσσόθεν κελαινὰν*
*θῖνα καὶ δυσάνεμον*, et quae seq.

ubi tamen non persuadeo mihi, *ἔρεβος ὕφαλον* accusativum esse pendentem a verbis *οἶδμα ἐπιδράμῃ*. Ut enim concedam, *ἔρεβος ὕφαλον* *fundum maris* esse, non bene *οἶδμα*, *fluctus*, dicetur *percurrere fundum maris*, vel *incurrere in f. m.* Certe multo magis usitatum alterum est, quod paullo ante ad Catonis versum 59. commemoravi, ut mare primo commoveri intus, tum extollere fluctus dicatur. Itaque, quod recte perspexerat Erfurdtius, *ἔρεβος ὕφαλον*, *submarina*, si ita dicere liceat, *caligo*, nominativus est. Ea caligo, quum fit tempestas, ventis ingruentibus, ascendit in superficiem maris, fluctusque, qui, tranquillo mari, non sunt nigri, occupat atque inficit nigrore suo. *οἶδμα* accusativus, pendens ab *ἐπιδράμῃ*: sed ad *κυλίνδει* rursus supplendus est *οἶδμα* nominativus.

Verum ista Ovidii, Virgilii, Sophoclis exempla tamquam similia attuli, non tamquam idem significantia. Cato Neptunum non arenas, sed *fuscum cinerem* eiectare iubet, scilicet cinerem, qui restabat de combusto agro: cf. v. 46. Nemo haec recte intellexit. Gloss. V. I. ex parte non male: *terram nigram de agris nostris.* at vero *cinis* non est terra. Et *exhauriat* plus valet, quam apud poetas illos *verrit*, *subvectat*, *κυλίνδει*. Vult enim Cato proprie *exhauriri*, et prorsus dispergi cinerem, ut plane nihil restet de agro suo. *canis* undis, i. e. albentibus, spumeis.

V. 61. DICANTUR MEA RURA FERUM MARE. NAUTA CAVETO. *ferrum* Venetae Rub. vitium, quum correctum fuisset in Vicentina, rursus comparet in vitiosis posterioribus, Norimb. 1492. Ven. 1499. *uerum mare* Mut. *mare* deest Vrat. I. *nuta* pro *nauta* Paris. IV. Boxhornius *merum mare* malebat. Sensum iam patefecerunt editores nonnulli antiquiores, ut Rubeus, dum colon ponunt post *rura*: et alterum colon post *mare*. *Ferum Mare* appellatio est, quam Cato impositum iri mari ei, quod vult ex suo agro fieri, auguratur: *Mare ferum*, ut Mare magnum, Mare rubrum, Mare mortuum. Sic supra Syrtin fieri ex agro suo, et vero dici *Syrtin*, volebat:

*Barbara* dicatur *Libycae soror altera* Syrtis.

*Mare ferum* dixit etiam Catullus in Galliambo, sed tamquam commune maris epitheton. Caeterum si quis haec ita distinguenda esse contenderit: *nauta, caveto Rura*, ut compellet nautam poeta, non habeo quo eum refutem. Mirus enim est in Catone amor apostrophes. Sed tamen hic nimius foret figurae istius abusus, quum statim alia sequatur apostrophe v. 63. *Neptune*, et rursus alia v. 64. *Battare.*

V. 62. RURA, QUIBUS DIRAS INDIXIMUS, IMPIA VOTA.
Cf. v. 3. Et hic quoque peccatur nonnihil. *Duras. q. d.* Paris. IV. *Ruras* Romana I. itemque, nisi fallor, Romana II. *induximus* Veneta Achat. Ascens. III. Lugd. 1529. *impia voto* Medic. Sententia aliquantum differt hic versus a versu 3. Namque illic unice intelliguntur dirae priores, quae erant in *Indignatione*; hoc loco non solum illae, sed etiam nuperrimae hae, quas nunc indicit: vel potius hae magis, quam illae.

V. 63. SI MINUS HAEC, NEPTUNE, TUAS INFUNDIMUS AURIS.
*Si minis heu*] Lego:

*Si minus haec, Neptune, tuis infundimus iris.*

Si minus haec evomimus digna tuis iris. Si non satis digna sunt vindicibus undis tuis, quae imprecamur: tu, o Battare flumen ades, et trade diluvio fluminum nostros dolores, hoc est agros nostros: quorum amissione dolemus: ut amores nostros, quem amamus. SCALIGER. Similia idem supra ad v. 1. Ante oculos habebat Scaliger scripturam vulgatam: nam vulgatum dicere licebit, quod in vetere editione ante Aldinas, excepta Mutinensi, omni, et in nonnullis post Aldinas, ut Lugd. 1529. Bas. 1543. denique in codd. Bas. Vrat. II. Voss. II. legitur:

*Si minus* heu *Neptune* tuis *infundimus* aris:

quod Domitius ita interpretatur: *minus infundimus. minus damus o neptune tuis altaribus quam debeamus.* Gloss. V. I. similiter: *si non tantum sacrificamus tibi ut velis audire vota nostra.* similiter Badius, Boxhornius; eodemque redit Salmasii explicatio, qui ita locum Arnoldo explicabat: Si, quod infundimus, minus fuerit, tu saltim, Battare, fac sis, ut rura fiant flumina, quoniam ferum mare, invito Neptuno, fieri nequeunt. Addebat: Nullum sacrificium aris datum sine libamentis, de quibus *infundere* et *fundere* usurpatur. Ferrem fortasse, etsi, ut libere dicam, prorsus importuna est mentio sacrificii, et contraria consilio carminis huius: omnia verbis peragit poeta. Praeterea aliud est in Mutinensi Aldinisque:

*Si minus* haec (vel *hec*) *N.* tuis *infundimus* auris:

addicentibus libris scriptis. nam *haec*, vel *hec*, in Petav. Thuan. itemque, ut

puto, in Medic. apud Heinsium et Burmannum, tum in meis Paris. II. IV. Angl. Voss. I. si f. s. August. Mon. I. II. Vrat. I. *auris* Petav. Thuan. Med. Leid. et mei, quos dixi, omnes: nisi quod in Vossiano I. diserte monente Vossio, et in Paris. III. Anglic. Lasseno testante, *aris* legitur. Et sic mixtam ex vulgata et Aldina scripturam nonnulli, sed recentiores, et inferioris ordinis, ut Venetae 1544. 1555. 1558. Basil. 1561. et Pithoeus, exhibuerunt: *Si minus* haec *N. tuis inf.* aris. Sed restituendum erat illud ex libris probatissimae fidei, *haec — auris*, assumpta praeclara Heinsii correctione *tuas* pro eo, quod in libris est omnibus, *tuis*. Ut est a me restitutum in Museo Rhenano, quum de Battaro disserebam, et a Putschio, qui tamen ita haec edi curavit: *tuas in fundimus aures*. Valde memorabilis locus eo, quod interpolatum esse a manu satis antiqua patet. Scilicet quum falleret librarium antiqua forma *auris*, *tuas* mutatum est in *tuis*; deinde ab aliis *auris* in *aris*; denique rursus ab aliis *haec* in *heu*. Sententia planissima: si minus Neptunus accipit haec vota nostra, tu, o Battare, fac ut illa curae sint fluminibus. *minus*, ut alibi, fere idem valet, quod negatio simplex. Noster Ecl. v. 74. *numquid* minus *aurea promo*? id est, *non aurea*. Et Heinsianae quidem emendationis praestantiam etiam Eichstadius perspexerat, qui *hei* legit, non *haec*, aliumque loci nexum, aliam sententiam infert. Et perspexerat Wernsdorfius, sed mutat sententiam, tentatque aliud, in Addendis, Poet. Lat. Min. To. IV. P. II. p. 829.

Ciceronis locum, de Oratore II. LXXXVII. *ut illi non* infundere in aures tuas *orationem*, *sed in animo videantur inscribere*: idem ille Heinsius contulit. Alibi non facile hoc obvium, *infundere in aures*; et incertum est, utrum Cato Neptunum nolle audire, an hoc significet, non perventura esse ad aures Neptuni vota: sed illud magis probabile. Similia sunt, apud Plautum, *Non — tua dicta nunc in aures recipio* Cistell. II. I, 34. apud Virgilium, *Cur mea dicta negat duras demittere in auris*, Aen. IV. 428. et de quo statim dicturus sum, *immittere in aures*. Idem Heinsius de insolentia dictionis, *infundimus aures*, omissa semel praepositione, brevem admonitionem fecit, cuius una particula sive Burmanni sive operarum negligentia suo mota loco, eiusdemque Heinsii ad versum 55. disputationi attexta est. Ac primo confert exemplum ipsius Catonis nostri, v. 108. (Ecl. 5.)

vos *nunc* arridet *ocellis*.

Deinde eumdem usum cerni, vel eamdem insolentiam, in verbo *incidere* animadvertit, qua de re se ipsum ad Ovid. Halieut. v. 10. et Iuretum ad Symmach. Lib. II. Ep. 22. et Lib. V. Ep. 85. laudat. Symmachi exemplis etiam Wernsdorfius utitur, parum considerate. Quodsi de hoc usu non meliores Symmacho auctores testarentur, profecto subscriberem

Ernesti ad Taciti Hist. III. 29. iudicio, vindicantis usum istum inferioris aetatis scriptoribus. Cf. Drakenb. ad Liv. II. xxx, 13. At de Tacito, aliis, ulterius quaeri poterit; de poetis nulla dubitatio est. Sic optimi. Virgilius Aen. IX. 721. *Bellatorque* animos *deus* incidit. ut ibi Heinsius edidit e Mediceo: et videtur sane hoc prorsus Virgilianae elegantiae esse. vulgo *animo*, ut in Veneta et Mediolanensi Maittairii, et in meis, Mutinensi, Veneta Rubei, Lovaniensi. Lucretius IV. 572. *At quae pars vocum non* auris incidit *ipsas*. Cf. si placet, quos ibi Wakefieldius viros doctos, et ad quos scriptores laudat. *accidit* a Lambino editum, quod sane magis usitatum, e. g. Plauto, Stich. I. ii, 31. *Certo enim mihi paternae vocis sonitus aures accidit.* Sic *allabi* apud Virgilium Aen. IX. 474. *Nuntia Fama ruit, matrisque* adlabitur auris *Euryali.* Plena dictio est apud Attium Nonii p. 39, 6. p. 292, 21. *Vox ad auris accidit.* et apud Lucretium II. 1023. 4. *Nam tibi vehementer nova res molitur* ad auris Accidere. Verumtamen ista exempla omnia, et quae alia eiusdem generis multa numero Gifanius in Collect. Lucret. Heinsius ad Ovid. Metam. VIII. 142. G. I. Vossius, aliique grammatici, etiam antiquiores, ut Iulius Rufin. p. 253. sq. observaverunt. similia sunt Catoni, paria non sunt. Interest enim aliquid inter verba neutra, *ridere, cadere, pendere, salire, vadere,* et verba activa, quae quum iam alium penes se accusativum habeant, difficilius adsciscunt illum accusativum loci. Quare ad Catonem quae faciunt, non multa sunt. Unum alterumque apud Lambinum, qui saepe attigit hoc caput, sed plerumque alia admixta diversa habet: ad Lucret. I. 117. II. 124. ad Horat. Carm. II. vii, 24. Epist. I. xviii, 16. Art. P. 194. Horatius:

*neu quid* medios intercinat actus.

Catullus:

Transfer *omine cum bono*
Limen *aureolos pedes.*

quod ibi Muretus *nove* dictum esse observat, pro, fer pedes trans limen. Apposite Plautus Casina IV. iv, 1.

*Sensim* superattolle limen *pedes*, *nova nupta.*

sic hoc accipiendum haud dubie, non *super attolle.* Lucretius I. 117. de anima:

*An* pecudes alias *divinitus* insinuet se.

Idem II. 124.

*Hoc etiam magis* haec animum te advortere *par est*
Corpora.

Et hoc quidem, *animum advertere,* multorum disputationibus, etiam Ruhnkenii ad Rutilium Lupum p. 77. celebratum est: inter quos Bentleius, si hoc non effecit, quod volebat efficere, *animum advertere* nun-

quam transitive, ut accusativum post se recipiat, dici, id tamen concedendum videtur, raro ita dici. Addo, quod proxime ad Catonem accedit, Plaut. Capt. III. IV, 16.

*Ne tu, quod istic fabuletur,* aures immittas tuas.

Plena dictio apud eumdem, Epid. III. I, 14.

*arvis* coniecit Is. Vossius in marg. ed. Scalig. 1573. *infudimus* Badius edidit tertia editione sua, idque explicat: *si nos infudimus minus tuis aris. i. non satis sacrificavimus nec dedimus ut tale beneficium mereamur.* sed in prioribus recte *infundimus* editum, et in explicatione: *sacrificamus — damus.*

De consilio poetae cf. ad v. 48. et 55. monita. Ut ante mare, ita nunc aquas invocat, et postulat ad evertendum agrum, eas, quae sunt in terra. Atque ut paullo ante v. 48. sqq. non statim accesserat ad imprecationem, sed praefatus erat sollemniter: *Undae, Littora, Accipite has voces*: ita haec, quae v. 63. 4. 5. 6. leguntur, praefationis loco habenda sunt. Dein devovet. Atque ut ibi modi eversionis duo, duae imagines, primo ut *Syrtis* fiat ager, deinde ut *ferum mare*: ita hic omnia ordine persequitur tripartito. Non ut tria ista simul accidant agro, neque ut unum post alterum: sed ut aut hoc accidat, aut illud, aut denique tertium. Prorsus ut in Ibide Ovidii. Commemorat autem primo perniciosa agris, dum redundant, et cursum mutant, flumina: inde a v. 67. deinde nascentes e terra paludes: v. 72. 3. 4. denique remanentia in planitie ex torrentium incursu stagna: v. 76. seqq. Quae omnia accurate distinxit, inserto suis locis versu intercalari, v. 71. 75. Illud iam non amplius in mente habet, quod supra exornatum, combustum iri agrum, antequam inundetur. Certe nulla in his quae sequuntur, usque ad finem, incendii, quod praecesserit, mentio est.

V. 64. BATTARE, FLUMINIBUS TU NOSTROS TRADE DOLORES. *nostris* Mon. I. II. Vrat. I. Non probo Scaligeri explicationem ad versum praeced. propositam. *dolores* proprie dicit Cato eos, quibus ipse propter amissum agrum afficitur, natamque inde indignationem. Committe, inquit, et commenda dolores meos fluminibus, ut ulciscantur factam nobis iniuriam. Ac Battaro hoc mandat, quia ipse non amplius habet adeundi atque exorandi flumina potestatem: Battarus vero habet, restiterat enim in villa. Cf. supra disputata de Battaro. Neptunum ipse implorare Cato poterat; flumina fontesque praesentem adorare decet.

V. 65. NAM TIBI SUNT FONTES, TIBI SEMPER FLUMINA AMICA. Cur *amica* Battaro sint flumina, caussas comminiscitur Wernsdorfius ex sua opinione de *Battaro* garrulo, sive querulo, conviciatore: cf. Addenda

eius, Poet. Lat. Min. To. IV. P. II. p. 829. Alius fortasse dicet, non inquirendum esse eam in caussam curiosius, sed hoc totum explicandum esse e contemplatione vitae rusticae: per quam, dum in solitudine homo commoratur, mutuus oritur inter homines et flumina fontesque, sed montes quoque, ac silvas, amor, mutua familiaritas. Ita est. Quaecumque carmina vitae rusticae descriptiones habent, multis locis caros esse fluminibus, fontibus, montibus arboribusque homines testantur. Absentem vocant flumina fontesque, mortuum lugent, itemque montes atque arbusta. Nota exempla sunt ex poesi bucolica: nam agricolarum pastorumque frequentius cum fluminibus, nemoribus, montibus, commercium, quam aliorum hominum. Quamquam similia etiam de aliis praedicantur hic illic, qui non sunt pastores aut agricolae: ut de Umbrone sacerdote, et medicaminum perito, Virgilius Aen. VII. 759. seq. Nec tamen promiscue omnes ea caritate frui perhibentur, sed qui aliqua aut virtute, aut arte, aut denique fatis, ut amoribus suis, insignes fuerunt: ut Adonis, Daphnis, Bio, Tityrus. Itaque Battarus illud meruerat sua fistulae sive avenae peritia. Moschus III. 77. de Homero et Bione: *ἀμφότεροι παγαῖς πεφιλαμένοι.*

Partem versus huius posteriorem, quum diu me suspensum tenuissent hinc amor elegantiae, hinc librorum auctoritas antiquorum, de quibus constat, omnium, tandem eo conceptam modo dedi, quem Catone haud indignum praescribunt libri. *flumina semper a.*, ut in editione est omni inde a primis temporibus, etiam Mutinensi, et in codd. Bas. Vrat. II. Voss. II. qui codices pendent ab editis, a correctore putaverim, cui hoc suavius accidere ad aures videbatur, invectum. *semper flumina* in Petav. Thuan. Medic. Leid. Paris. II. III. IV. Angl. Aug. Mon. I. II. Vrat. I. De numeris, et de elisione minus, ut multis videbitur, suavi, sed Catoni usitatissima, dico Diss. III.

In Vratisl. I. sic: *tibi semper flumina retro.* et omissi versus duo 66. et 67. Caussa erroris in aperto est.

V. 66. NIL EST QUOD PERDAM ULTERIUS: MERITA OMNIA: DICTIS. *dici* vulgatum in Romanis. codd. Bas. Vrat. II. Voss. II. Veneta Ach. Mut. et caeteris ante Aldinas fere omnibus, in nonnullis etiam post Aldinas, ut in Lugd. 1529. Bas. 1543. Lugd. 1556. Et in antiquissimis quidem sine interpunctione post *ulterius*: quae accessit in Venetis Rub. et Iens. *dixi* nescio unde, sed fortasse Badii inventum est, in Ascensianis, Cronflit. Iunt. Mogunt. 1549. Ven. 1555. Scaligg. Pith. Non video quo sensu. Quis enim perfecto, *dixi*, locus hic, ubi denuo ad devovendum accingitur poeta? Requirebatur *dicam*, vel *dico*. Ego huic certe emendationi vulgatum *dici* praeferrem. Sed aliud monstrant

libri. *dictis* recte Aldinae, et post Aldinas Venet. 1544. 1558. Antv. 1556. Bas. 1561. et quod non multum differt, *ditis* Petav. Thuan. Medic. Helmst. Paris. II. III. IV. Angl. Aug. *dicis* Mon. I. II. Qui ipsum *dictis* habeat, nullum novi manu scriptum praeter Vossianum I. si f. s. et istum MS. qui dicitur Pierii. Sed male Aldinae omnia in unam coniuncta sententiam habent: *Nil est, quod perdam ulterius merita omnia dictis.* Restitui veram distinctionem. Habes versum ea conformatione, eaque verborum collocatione, quam vidimus in v. 41. Nihil est, inquit, quod perdam ulterius dictis meis, ac merita sunt omnia: hoc est, etiamsi atrocissima dicam, nihil dicam, quod non sit meritum. *ulterius*, ut apud Ovidium illo loco: *ulterius nil habet ille mei*, nihil praeter oscula. ut nos: weiter. Ich kann weiter nichts verderben. Quod est desperantis: qui desperat, caussam non habet, cur contineat linguam.

*perdam* Paris. IV. compendio scripturae eo, quod etiam *prodam* valere potest. *ulteris meritam* Thuan. et *meritam* Leid. ap. Burm. et Paris. II. *meritis* Voss. I. diserte testante Vossio. Nisi hic error sit Vossii.

*Nil est quod perdam ulterius*: *merita omnia diras*, coniectura Heinsii; vel sic: *Nil est quo pergam ulterius.* et *pergam* Eichstadius recepit, et *merita omnia dixi.* Putschius: *Nil est, quod perdam ulterius*: *merito omnia dicis. merita omnia dicis* nuper Silligius.

V. 67. FLECTITE CURRENTIS LYMPHAS, VAGA FLUMINA, RETRO. *currentis* ex Thuan. Paris. II. III. Angl. Aug. Mon. I. *currentes* Paris. IV. ut vulgo. Ut taceam recentiores illos, qui *currenteis* edidere. *lymphas* editi omnes inde a Romanis, et *limphas* cod. Bas. ut Aldina I. at *nymphas* Petav. Leid. Paris. III. IV. Aug. Mon. II. vel *nimphas* ut Thuan. Angl. Mon. I. vel denique *nimfas* ut Paris. II. Quam aberrationem fuit quum arripiebant atque exosculabantur, quoties occurreret in libris, viri docti: ut Heinsius ad Ovid. Epist. V. 31. ubi etiam Catoni *nymphas* ex MS. qui haud dubie Petavianus est, restituit. Nunc omnes, puto, ut nuper Doederleinius Synon. et Etymol. Lat. P. II. p. 16. perceperunt, differre aliquid inter *lymphas* et *nymphas*, et esse, ubi illud, esse, ubi hoc debeat poni; denique esse, ubi utrumque scribi potuerit, sed cum aliqua differentia sententiae atque imaginis: licet enim hic illic *lymphae*, sive aquae, substituere incolam aquarum *Nympham.* At librarii, sive quod usitatius ipsis *nympha* nomen fuit, sive quod amoeniorem praebere imaginem videretur, ubique *nymphas* obtruserunt.

*reto* August. *faga* supra adscripto *v*, et omisso voc. *flumina*, Monac. II. In Vratisl. I. omissos esse hunc versum et praecedentem, iam monui. Rursus in Paris. II. simili errore hic *flumina amica* scriptum, et

omissus est versus 68. Recte Putschius Wakefieldium reprehendit, qui ita emendabat: *Flectite*, currentes lymphae! *vaga flumina retro*; vel *Nymphae*; ad Lucret. V. 273. Non tam lymphae flumina, quam flumina flectunt lymphas.

Possit aliquis nonnullis, ut Argent. 1502. Bas. 1543. Venet. 1555. Lugd. 1556. Bas. 1561. praeeuntibus, quae nullam post *retro* distinctionem habent, ita interpungere: *Flectite c. lymphas, vaga flumina: retro Flectite*, etc. Sed alterum simplicius.

V. 68. FLECTITE, ET ADVERSIS RURSUM DIFFUNDITE CAMPIS.

*Et adversi rursum*] veteres editiones, *cursum*. Lego igitur:

— *Et aversi cursum diffundite campis.*

*aversi cursum* παλίστροφοι. Ovidius:

— *aversis solque recurret equis.*

*Diffundere campos*, κατακλύζειν. infra:

— *Diffusos gurgite campos.* SCALIG.

Volebat igitur, *et aversi cursum diffundite campos*. Hic quoque fraudi fuit Scaligero odium Bembi, sive Aldinarum. et quod ne editos quidem libros satis vetustos habebat. Nam *adversi* quod editos inde a Venetis Rub. et Iens. obsedit, nihil est nisi harum Venetarum vitium: *aduersis* in Romanis, Ven. Achat. Mutinensi, tum in Ascensiana III. Aldinis, aliis. atque sic in scriptis, de quibus constat, legitur omnibus, nisi quod *adversus* in Petav. et Angl. *aversis* in Mediceo a m. pr. *aduersi* in Vossiano isto II. cui solet cum Vicentina convenire. Deinde quas veteres editiones *cursum* habere dicit Scaliger, et post Scaligerum Heinsius, eae nullae sunt ante Ascensianas, Cronflit. Iuntinam, Lugd. 1529. Vere veteres: *rursum*, ut Aldinae, reliquae. et *rursum* in scriptis omnibus, praeter Medic. in quo *cursum*, et praeter Leidensem Burmanni, in quo *sursum*. Itaque ab omni parte tutum est *adversis rursum d. campis*. Quod etiam Bembus exhibet loco statim memorando et Wakefieldius ad Lucret. loco paullo ante laud. ut alios taceam. Et est sententia planissima. Scilicet flumen ubi retro flectitur, qui iam *aversi* fuerant campi, rursus *adversi* flumini fiunt. Haec simplicissima ratio explicandi est: paullo aliter Wakefieldius. *campis* dativus, ut supra *dulcis auras diffunditis agris*.

*cursum* fecit etiam Gloss. V. I. *aversis sursum d. campis* coniectura fuit Tollii. Eidem *refundite* placebat, ut narrat Burmannus. *eversis sursum* Heinsii. *adversis sursum* laudat Burmannus ad Propert. II. XII. 33. Idem ibid. et ad Lotichium, frequens hoc esse poetis τοῦ ἀδυνάτου exemplum observat, flumina retro verti ad caput fontis. Sane notum proverbium: ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι πηγαί. Ovidius Epist. V.

31. *Ad fontem Xanthi versa recurret aqua. Xanthe, retro propera: versaeque recurrite lymphae.* Cato autem illud non tamquam ἀδύνατον ponit, sed tamquam insolitum ac portentosum: nam fieri tamen aliquando potest. Wakefieldius comparat Virgilium Aen. IX. 124. 5.

V. 69. INCURRANT AMNES PASSIM RIMANTIBUS UNDIS. Rursus Venetarum Iens. et Rub. vitium, *amnis*, posteriores invasit multas, Vicentinam cum Voss. II. alias, donec *amnes* restitutum est in Ascensianis, Virg. Aldi, Argent. aliis. et sic, *amnes*, in Romanis, cod. Bas. Vrat. II. Ven. Achat. Mut. et in scriptis antiquioribus omnibus. et *amnes* correxit Gloss. V. I. *rimantibus* dedi librorum auctoritate scriptorum, Petaviani, Thuanei, Medicei, Leid. caeterorumque meorum. et sic Aldinae. Quod in vetere editione omni, non excepta Mutinensi, et in codd. Bas. Vrat. II. Voss. II. legitur, *remeantibus*, emendationis speciem habet, ab eo factae, cui ex versibus, qui praecedunt, retro conversi imago fluminis obversaretur. Ut infra nonnulli *relapsa* intulere errore consimili, v. 79. Verum quod nunc dicit, latius patet. Iubentur flumina relicto cursu legitimo hic illic ire, et quidem *passim rimantibus undis*: *passim* enim non solum ad *incurrant* referendum est, sed etiam ad *rimantibus* participium. *rimantibus* usitata significatione: alluunt undae hic illic, appetentes, et quasi quaerentes, quod devorent. Propter *passim* similis est locus Petronii cap. CXXII. v. 131. 2.

*nec vaga passim*
*Flumina per notas ibant morientia ripas.*

hoc est, ut Gronovius Observ. III. XI. interpretatur: et flumina, non morientia per notas ripas, ibant vaga passim. Igitur *vaga flumina* alio sensu Petronius, alio Cato v. 67. ille de exspatiantibus, et suas ripas excedentibus; Cato ibi dum *vaga* alloquitur *flumina*, nondum exspatiantia, sed consuetum cursum, quo errant placide per campos, cogitat.
*remeantibus* exhibet etiam Bembus.

V. 70. NEC NOSTROS SERVIRE SINANT ERRONIBUS AGROS.

*Nec nostros*] In priscis editionibus non legitur *servire*, sed *exire*. quod est verbum alienationum: *exire in ius, exire in potestatem.* Lego autem *erronibus*, non *erroribus*. Veteranos intelligit, quibus eius agri erant assignati. est enim convicium in militem infrequentem, sicut et *Emansor*. Tibullus:

*Ure, Puer, quaeso, tua qui ferus ocia liquit.*
*Atque iterum erronem sub tua signa voca.*

Utcunque igitur erit tolerabilis lectio. Sed ea, quam modo reponam, longe mihi verior videtur:

*Nec nostro exire sinant erronibus agro.*

Optat amnes per totum agrum diffundi, ut omne exeundi iter obsessis militibus intercludatur. Quibus displicebat hiatus ille, *Nec nostro exire*, immutarunt lectionem. SCALIG. Hoc quoque contra Aldinas, sive contra P. Bembum, qui in Libro de Culice Virg. p. 793. ed. Argent. hunc versum, cum tribus qui praecedunt, protulit ita scriptum:

*Nec nostros servire sinant erronibus agros.*

praeclara restitutione, sive ea, quae est Heinsii sententia e codice Bembino, sive ex ingenio facta. Cum Bembo faciunt Aldinae, et post Aldinas Bas. 1543. Venetae 1544. 1555. 1558. Lugd. et Antv. 1556. aliae, nisi quod hae fere omnes, praeter Aldinas, corruptum *erroribus* retinent. *erronibus* agnoscunt etiam Is. Vossius in marg. ed. Scal. 1595. et Heinsius ad Ovid. Epist. XV. 53. Cf. quae ea de voce Burmannus ad h. l. Observandum tamen, liberius Catonem hac voce uti. Sed feliciter. Opponit enim milites, qui domicilium habent nullum, colonis, suas terras colentibus.

*exire* et *erroribus* in omni scripto apud me et Burmannum, etiam in Vossiano I. et in omni libro edito ante Aldinas. Ex uno MS. qui dicitur Pierii, *servire* affertur. At *sinas*, quod in multis mediae aetatis, h. e. eius, quae inter primas et Ascensianas Aldinasque media est, et in Vossiano II. legitur, nihil est nisi Venetarum Iens. et Rub. vitium. Antiquiores et meliores Venetis illis, tum Norimb. Argent. Ascensianae, itemque scripti, *sinant* habent. idque agnoscit Domitius. *sinat* Vrat. II.

Boxhornius, nescio an consulto: *Nec nostris servire sinant erroribus agros.* Heinsio aliquando in mentem venerat *praedonibus*. Vulgatum *exire s. erroribus* ita explicat Tollius: neque sinant nostros agros umquam liberari flexibus suis aut eximi. Similiter ante Domitius. Et quae nuper Silligio ratio explicandi placuit, eam Badius praeit. Quam sit felix emendatio Bembi, clarius patebit sequentia conferenti. Excipiunt hanc imprecationem, ut est a me ad v. 63. monitum, duae aliae, 72. sqq. et 76. sqq. Quarum in utraque mentio fit militum. Quare in hac quoque mentionem fieri militum par erat, aequalitatis caussa.

V. 71. DULCIUS HOC, MEMINI, REVOCASTI BATTARE CARMEN. Versus παράλληλος superiori 54. Sed quaeritur, quum illic sit *Tristius*, cur hic *Dulcius*. Supplet Badius: dulcius, sc. quam aequum est. Ego vero, sive praecedentia spectari putes, sive sequentia, nihil neque in praecedentibus neque in sequentibus video, quod *dulce* sit. Exsecrationes sunt omnia. Scilicet, quod *dulcius* dicit Cato, non respicit sua verba, argumentumque carminis, sed modos fistulae Battari. Inciderat Battarus, dum proximos versus avena sequitur, in modos inprimis

dulces. Exclamat Cato: dulcius hoc carmen revocasti, Battare: memini. memini, quum talia olim modulabaris. Nulla in hac exclamatione castigatio Battari: est tantum acerba temporis ante acti, et pristinae felicitatis, recordatio.

*revocasti* h. l. in libris omnibus, et vera distinctio, *Dulcius hoc* (*memini*) *r. b. c.* in Venetis Rub. et Iens. aut *Dulcius hoc*: *memini*: ut in Norimb. Vicent. cum Voss. II. Veneta 1482. aliae, perperam distinguendo *hoc memini* iungunt.

V. 72. EMANENT SUBITO SICCA TELLURE PALUDES. *Et manent* Petav. Thuan. Med. Leid. Aug. et Vrat. II. *Et manet* Paris. IV. ut apud Lucretium III. 582. *Et manarit* est in libris antiquitus editis. *Emanent* in editis, inde a Romanis. *paludes tellure* inverso ordine, Mon. II.

*subitae* coni. Heins. Scilicet hoc exquisitius quam *subito* adverbium.

V. 73. ET METAT HIC IUNCOS, SPICAS UBI LEGIMUS OLIM. Altera praeclara restitutio Bembi. Et sic editum in Aldinis, Bas. 1543. Ven. 1544. 1555. 1558. Lugd. 1556. Antv. 1556. Bas. 1561. Scaligeranis, reliquis. Vulgo edebatur, inde a Romanis:

*Et metat* hinc miles:

et sic codd. Bas. Vrat. II. Voss. II. *hic miles* in Virg. Aldi et Taurin. 1518. Sed una tamen illud multis annis ante Bembum Aldinasque habuit, Mutinensis. Praeterea quicquid librorum scriptorum antiquorum est, omnes confirmant emendationem Bembi, quam proinde non ex ingenio factam, sed e codice petitam Bembi esse certum est. Differunt libri antiqui in rebus secundariis. Quum enim *hic* sit in Augustano, aliis, in Thuan. Leid. Med. Paris. IV. *hinc* legitur. Deinde *uincos* in Thuan. Paris. II. Angl. aut est scriptum, aut videtur scriptum esse. *iucos* vel *uicos* in Paris. IV. *heic iuncos* cod. qui dicitur Pierii.

Caussam depravationis non male declarat Bembus: *ut videlicet*, *quoniam erat in veteribus exemplaribus* (*quemadmodum mihi videre videor*) *ita haec lexis* MILES *adscripta*, *ut esset extra versum tanquam interpretatio illius pronominis* HIC, *ne pro adverbio acciperetur*, *non doctorum librariorum aliquis quorum mehercule magna quidem copia semper fuit*, *mendum ratus versum ipsum perverterit* —. Igitur *hic* Bembus pronomen esse existimabat. Mihi simplicius videtur alterum. Qui enim haec legerit, *Et metat hic iuncos*, *spicas ubi legimus olim*, quid prius coniiciet quam opposita inter se esse *hic* et *ubi*. Quare *hic* adverbium esse, et ex versu 70. cogitatione supplendum esse *miles* sive *erro* censeo. Quod enim ibi *erronibus* est, pluralis, is non

verus pluralis est, sed unum illum in mente habet, cui cessuram esse suam villam videt; plurali *erronibus* utitur, schemate notissimo, omnique linguae usitatissimo, de quo inter alios Brunckius ad Soph. Oed. R. 366. 1403. cf. Hermanno annotata ad v. 1250. Cuius pluralis, qui interdum multa cum vi ponitur, per se haec ad cogitationem potestas est, ut significetur unus ex aliquo genere sive ordine: ut Antig. 1057. ubi *ταγοὺς* legimus, cogitandus est unus ex ordine *ταγῶν*. et sic fortasse *ἱερῆς* Oed. R. 18. nam vetus quaedam mea opinio est, quam ne nunc quidem abieci, unum tantum ibi sacerdotem senem adesse cum grege puerorum. Itaque hic *κατὰ τὸ νοούμενον metat* scripsit Cato, militem cogitans, futurum agri possessorem. Si cui vehementer placeat *hinc*, non vehementer repugno. *et metat hic iuncos, et metat hinc iuncos*, utrumque bonum. Sed tamen illud est, nisi fallor, usitatius; et fortasse *hinc* natum ex eo, quod olim scriptum *heic* fuit.

Burmanno nescio quis antiquarum editionum amor, et loci Virgiliani Ecl. I. 71. sq. *en quis consevimus agros*, male opportuna recordatio, infelicissimam coniecturam peperere: *Et metat hic miles spicas, ubi sevimus olim.* Tum certe *metet* exspectabatur. Sed quid potest infelicius ea coniectura esse, quae nexum perturbet loci, sententiamque inferat prorsus a mente scriptoris alienam? Verum ita tum elaborabant in Catone Burmannus, et, si volumus fateri id quod verum est, Heinsius, ut securi de mente poetae, experirentur singulis locis, quae posset mutando sententia effici. Multo elegantior est de duabus Wernsdorfii coniecturis posterior: *Et natet hic iuncus, spicas ubi legimus olim.* Quae posset vera videri, nisi obstaret verissima observatio nostra, quam fecimus ad v. 70. Quod in duabus, quae huic *παράλληλοι* sunt, exsecrationibus facit poeta, ut diserte admoneat, nihil esse militem ex praeda sua utilitatis percepturum, id hic quoque facit. Coniectura Wernsdorfii altera erat: *Et metat hic iuncos, spicas ubi legerat olim.*

Monacenses et Vratisl. I. memorabili modo interpolatum exhibent versum: *Et metat hic iuncos. spinas* etc.

Contraria cumulat similiter Ovidius Metam. I. 294.

*Et ducit remos* illic, ubi *nuper ararat.*

V. 74. OCCUBET ARGUTI GRYLLI CAVA GARRULA RANA. Hic aliquid a me novatum est. Editum ubique *Occupet* erat, nisi quod *Occupat* mendose in Veneta Achat. At quid libri scripti antiqui? *Coculet arguti* vel *Coculetarguti*, *Cocul etarguti*, confusis syllabis, Petav. Paris. II. III. August. Mon. I. II. *Cogulet* vel potius, Lasseno teste, *Cogule targuti* Thuan. *Concule* (vel *Contule*) *targuti* Paris. IV. *Conculcent arguti* Medic. *Conchulae ubi a.* Voss. I. *Conculae. et a.* Angl.

*Occulet* Vrat. I. Habes aut perspicue expressam, aut latentem in erroribus, quorum nonnulli manum prodere correctoris videntur, veterem quamdam scripturam *Coculet*. Iam *Coculet* quid est? Ortum ex *Occupet*? Sane limites nullos novit librariorum stupor ac temeritas, et peccatum est saepe incredibili negligentia etiam in usitatissimis vocabulis. Sed fortasse insolentius quoddam, inter *coculet* et *occupet* medium verbum scriptum a Catone fuit. Quare *Occubet* scripsi: unde facile *Oculet* fieri potuit, atque inde *Coculet*. Etsi enim alia exempla verbi *occubare* cum accusativo coniuncti habeo nulla, nihil tamen video, cur illud minus quam *incubo* assumere accusativum possit. Et est *occubet* *γραφικώτερον* quam *occupet*.

De gryllis ex Plinio H. N. XI. xxix. refert Pomponius Sabinus: non prorsus recte. Interest enim aliquid inter locustam et gryllum, de quo aliquid Plinius H. N. XXIX. vi. *cava* recte interpretantur foramina terrae excavatae: ibi enim habitat gryllus. Comparat Wernsdorfius Horatium: *Rusticus urbanum murem mus* paupere *fertur Accepisse* cavo. Et quam *argutus* sit gryllus, novit quicumque stridentem audiverit. Idem epitheton cicadarum est. Virgilius Culice v. 151. Argutis *et cuncta fremunt ardore cicadis.* ad quem locum Lindenbruchius Catonem laudat, et Novium Exodio: *Argutatur quasi cicada.* Carmen de vocibus animalium, Anth. Lat. Lib. V. cxliii. a. vs. 56. *Et grillus grillat*, et vs. 58. Garrula *limosis* rana *coaxat aquis.*

*grilli* Thuan. et caeteri mei antiqui. et sic Paris. IV. aut *gulli. crilli* Medic. In editis *grylli* inde a Romanis, sed *grilli* rursus in Virgilio Aldi, et Aldinis. *cana* Voss. I. *conchylae et* tamquam coniecturam adscripsit Is. Vossius in marg. ed. Scal. 1573.

Simili colore Ovidius Metam. I. 299. in descriptione diluvii: *Et modo qua graciles gramen carpsere capellae*, *Nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocae.*

V. 75. **TRISTIUS HOC RURSUM DICAT MEA FISTULA CARMEN.** *dicat* editi omnes cum codd. Bas. Vrat. II. Voss. II. et sic Vrat. I. Fortasse recte. Certe melius quam *dicit*, quod est in Petav. Thuan. Paris. II. III. IV. Angl. August. Mon. I. II. et *rursus dicit* in Mediceo ap. Burm. De re, et quid sit *rursum*, supra monitum pag. 22. et ad versum 14. Non celabo tamen, quod mihi postea in mentem venit, fortasse propius esse ad veteres libros accedendum, ita: *Tristius hoc rursum* dixit *mea fistula carmen.* ut *mea fistula* fistula sit Battari, et sententia planissime respondeat versibus illis: *Tristius hoc*, *memini*, *revocasti B. c. Dulcius hoc*, *memini*, *revocasti B. c.* Sane tum egregie sibi inter se respondebunt *Tristius hoc* — *Dulcius hoc* — *Tri-*

Ernesti ad Taciti Hist. III. 29. iudicio, vindicantis usum istum inferioris aetatis scriptoribus. Cf. Drakenb. ad Liv. II. xxx, 13. At de Tacito, aliis, ulterius quaeri poterit; de poetis nulla dubitatio est. Sic optimi. Virgilius Aen. IX. 721. *Bellatorque* animos *deus* incidit. ut ibi Heinsius edidit e Mediceo: et videtur sane hoc prorsus Virgilianae elegantiae esse. vulgo *animo*, ut in Veneta et Mediolanensi Maittairii, et in meis, Mutinensi, Veneta Rubei, Lovaniensi. Lucretius IV. 572. *At quae pars vocum non* auris incidit *ipsas*. Cf. si placet, quos ibi Wakefieldius viros doctos, et ad quos scriptores laudat. *accidit* a Lambino editum, quod sane magis usitatum, e. g. Plauto, Stich. I. ii, 31. *Certo enim mihi paternae vocis sonitus aures accidit*. Sic *allabi* apud Virgilium Aen. IX. 474. *Nuntia Fama ruit, matrisque* adlabitur auris *Euryali*. Plena dictio est apud Attium Nonii p. 39, 6. p. 292, 21. *Vox ad auris accidit*. et apud Lucretium II. 1023. 4. *Nam tibi vehementer nova res molitur* ad auris Accidere. Verumtamen ista exempla omnia, et quae alia eiusdem generis multa numero Gifanius in Collect. Lucret. Heinsius ad Ovid. Metam. VIII. 142. G. I. Vossius, aliique grammatici, etiam antiquiores, ut Iulius Rufin. p. 253. sq. observaverunt. similia sunt Catoni, paria non sunt. Interest enim aliquid inter verba neutra, *ridere, cadere, pendere, salire, vadere,* et verba activa, quae quum iam alium penes se accusativum habeant, difficilius adsciscunt illum accusativum loci. Quare ad Catonem quae faciunt, non multa sunt. Unum alterumque apud Lambinum, qui saepe attigit hoc caput, sed plerumque alia admixta diversa habet: ad Lucret. I. 117. II. 124. ad Horat. Carm. II. vii, 24. Epist. I. xviii, 16. Art. P. 194. Horatius:

*neu quid* medios intercinat actus.

Catullus:

Transfer *omine cum bono*
Limen *aureolos pedes*.

quod ibi Muretus *nove* dictum esse observat, pro, fer pedes trans limen. Apposite Plautus Casina IV. iv, 1.

*Sensim* superattolle limen *pedes*, *nova nupta*.

sic hoc accipiendum haud dubie, non *super attolle*. Lucretius I. 117. de anima:

*An* pecudes alias *divinitus* insinuet se.

Idem II. 124.

*Hoc etiam magis* haec animum te advortere *par est*
Corpora.

Et hoc quidem, *animum advertere,* multorum disputationibus, etiam Ruhnkenii ad Rutilium Lupum p. 77. celebratum est: inter quos Bentleius, si hoc non effecit, quod volebat efficere, *animum advertere* nun-

quam transitive, ut accusativum post se recipiat, dici, id tamen concedendum videtur, raro ita dici. Addo, quod proxime ad Catonem accedit, Plaut. Capt. III. iv, 16.

*Ne tu, quod istic fabuletur,* aures immittas tuas.

Plena dictio apud eumdem, Epid. III. i, 14.

*arvis* coniecit Is. Vossius in marg. ed. Scalig. 1573. *infudimus* Badius edidit tertia editione sua, idque explicat: *si nos infudimus minus tuis aris. i. non satis sacrificavimus nec dedimus ut tale beneficium mereamur.* sed in prioribus recte *infundimus* editum, et in explicatione: *sacrificamus — damus.*

De consilio poetae cf. ad v. 48. et 55. monita. Ut ante mare, ita nunc aquas invocat, et postulat ad evertendum agrum, eas, quae sunt in terra. Atque ut paullo ante v. 48. sqq. non statim accesserat ad imprecationem, sed praefatus erat sollemniter: *Undae, Littora, Accipite has voces*: ita haec, quae v. 63. 4. 5. 6. leguntur, praefationis loco habenda sunt. Dein devovet. Atque ut ibi modi eversionis duo, duae imagines, primo ut *Syrtis* fiat ager, deinde ut *ferum mare*: ita hic omnia ordine persequitur tripartito. Non ut tria ista simul accidant agro, neque ut unum post alterum: sed ut aut hoc accidat, aut illud, aut denique tertium. Prorsus ut in Ibide Ovidii. Commemorat autem primo perniciosa agris, dum redundant, et cursum mutant, flumina: inde a v. 67. deinde nascentes e terra paludes: v. 72. 3. 4. denique remanentia in planitie ex torrentium incursu stagna: v. 76. seqq. Quae omnia accurate distinxit, inserto suis locis versu intercalari, v. 71. 75. Illud iam non amplius in mente habet, quod supra exornatum, combustum iri agrum, antequam inundetur. Certe nulla in his quae sequuntur, usque ad finem, incendii, quod praecesserit, mentio est.

V. 64. BATTARE, FLUMINIBUS TU NOSTROS TRADE DOLORES. *nostris* Mon. I. II. Vrat. I. Non probo Scaligeri explicationem ad versum praeced. propositam. *dolores* proprie dicit Cato eos, quibus ipse propter amissum agrum afficitur, natamque inde indignationem. Committe, inquit, et commenda dolores meos fluminibus, ut ulciscantur factam nobis iniuriam. Ac Battaro hoc mandat, quia ipse non amplius habet adeundi atque exorandi flumina potestatem: Battarus vero habet, restiterat enim in villa. Cf. supra disputata de Battaro. Neptunum ipse implorare Cato poterat; flumina fontesque praesentem adorare decet.

V. 65. NAM TIBI SUNT FONTES, TIBI SEMPER FLUMINA AMICA. Cur *amica* Battaro sint flumina, caussas comminiscitur Wernsdorfius ex sua opinione de *Battaro* garrulo, sive querulo, conviciatore: cf. Addenda

eius, Poet. Lat. Min. To. IV. P. II. p. 829. Alius fortasse dicet, non inquirendum esse eam in caussam curiosius, sed hoc totum explicandum esse e contemplatione vitae rusticae: per quam, dum in solitudine homo commoratur, mutuus oritur inter homines et flumina fontesque, sed montes quoque, ac silvas, amor, mutua familiaritas. Ita est. Quaecumque carmina vitae rusticae descriptiones habent, multis locis caros esse fluminibus, fontibus, montibus arboribusque homines testantur. Absentem vocant flumina fontesque, mortuum lugent, itemque montes atque arbusta. Nota exempla sunt ex poesi bucolica: nam agricolarum pastorumque frequentius cum fluminibus, nemoribus, montibus, commercium, quam aliorum hominum. Quamquam similia etiam de aliis praedicantur hic illic, qui non sunt pastores aut agricolae: ut de Umbrone sacerdote, et medicaminum perito, Virgilius Aen. VII. 759. seq. Nec tamen promiscue omnes ea caritate frui perhibentur, sed qui aliqua aut virtute, aut arte, aut denique fatis, ut amoribus suis, insignes fuerunt: ut Adonis, Daphnis, Bio, Tityrus. Itaque Battarus illud meruerat sua fistulae sive avenae peritia. Moschus III. 77. de Homero et Bione: *ἀμφότεροι παγαῖς πεφιλαμένοι.*

Partem versus huius posteriorem, quum diu me suspensum tenuissent hinc amor elegantiae, hinc librorum auctoritas antiquorum, de quibus constat, omnium, tandem eo conceptam modo dedi, quem Catone haud indignum praescribunt libri. *flumina semper a.*, ut in editione est omni inde a primis temporibus, etiam Mutinensi, et in codd. Bas. Vrat. II. Voss. II. qui codices pendent ab editis, a correctore putaverim, cui hoc suavius accidere ad aures videbatur, invectum. *semper flumina* in Petav. Thuan. Medic. Leid. Paris. II. III. IV. Angl. Aug. Mon. I. II. Vrat. I. De numeris, et de elisione minus, ut multis videbitur, suavi, sed Catoni usitatissima, dico Diss. III.

In Vratisl. I. sic: *tibi semper flumina retro.* et omissi versus duo 66. et 67. Caussa erroris in aperto est.

V. 66. NIL EST QUOD PERDAM ULTERIUS: MERITA OMNIA: DICTIS. *dici* vulgatum in Romanis, codd. Bas. Vrat. II. Voss. II. Veneta Ach. Mut. et caeteris ante Aldinas fere omnibus, in nonnullis etiam post Aldinas, ut in Lugd. 1529. Bas. 1543. Lugd. 1556. Et in antiquissimis quidem sine interpunctione post *ulterius*: quae accessit in Venetis Rub. et Iens. *dixi* nescio unde, sed fortasse Badii inventum est, in Ascensianis, Cronflit. Iunt. Mogunt. 1549. Ven. 1555. Scaligg. Pith. Non video quo sensu. Quis enim perfecto, *dixi*, locus hic, ubi denuo ad devovendum accingitur poeta? Requirebatur *dicam*, vel *dico*. Ego huic certe emendationi vulgatum *dici* praeferrem. Sed aliud monstrant

libri. *dictis* recte Aldinae, et post Aldinas Venet. 1544. 1558. Antv. 1556. Bas. 1561. et quod non multum differt, *ditis* Petav. Thuan. Medic. Helmst. Paris. II. III. IV. Angl. Aug. *dicis* Mon. I. II. Qui ipsum *dictis* habeat, nullum novi manu scriptum praeter Vossianum I. si f. s. et istum MS. qui dicitur Pierii. Sed male Aldinae omnia in unam coniuncta sententiam habent: *Nil est, quod perdam ulterius merita omnia dictis.* Restitui veram distinctionem. Habes versum ea conformatione, eaque verborum collocatione, quam vidimus in v. 41. Nihil est, inquit, quod perdam ulterius dictis meis, ac merita sunt omnia: hoc est, etiamsi atrocissima dicam, nihil dicam, quod non sit meritum. *ulterius*, ut apud Ovidium illo loco: *ulterius nil habet ille mei*, nihil praeter oscula. ut nos: weiter. Ich kann weiter nichts verderben. Quod est desperantis: qui desperat, caussam non habet, cur contineat linguam.

*perdam* Paris. IV. compendio scripturae eo, quod etiam *prodam* valere potest. *ulteris meritam* Thuan. et *meritam* Leid. ap. Burm. et Paris. II. *meritis* Voss. I. diserte testante Vossio. Nisi hic error sit Vossii.

*Nil est quod perdam ulterius: merita omnia diras*, coniectura Heinsii; vel sic: *Nil est quo pergam ulterius.* et *pergam* Eichstadius recepit, et *merita omnia dixi.* Putschius: *Nil est, quod perdam ulterius: merito omnia dicis. merita omnia dicis* nuper Silligius.

V. 67. FLECTITE CURRENTIS LYMPHAS, VAGA FLUMINA, RETRO. *currentis* ex Thuan. Paris. II. III. Angl. Aug. Mon. I. *currentes* Paris. IV. ut vulgo. Ut taceam recentiores illos, qui *currenteis* edidere. *lymphas* editi omnes inde a Romanis, et *limphas* cod. Bas. ut Aldina I. at *nymphas* Petav. Leid. Paris. III. IV. Aug. Mon. II. vel *nimphas* ut Thuan. Angl. Mon. I. vel denique *nimfas* ut Paris. II. Quam aberrationem fuit quum arripiebant atque exosculabantur, quoties occurreret in libris, viri docti: ut Heinsius ad Ovid. Epist. V. 31. ubi etiam Catoni *nymphas* ex MS. qui haud dubie Petavianus est, restituit. Nunc omnes, puto, ut nuper Doederleinius Synon. et Etymol. Lat. P. II. p. 16. perceperunt, differre aliquid inter *lymphas* et *nymphas*, et esse, ubi illud, esse, ubi hoc debeat poni; denique esse, ubi utrumque scribi potuerit, sed cum aliqua differentia sententiae atque imaginis: licet enim hic illic *lymphae*, sive aquae, substituere incolam aquarum *Nympham.* At librarii, sive quod usitatius ipsis *nympha* nomen fuit, sive quod amoeniorem praebere imaginem videretur, ubique *nymphas* obtruserunt.

*reto* August. *faga* supra adscripto *v*, et omisso voc. *flumina*, Monac. II. In Vratisl. I. omissos esse hunc versum et praecedentem, iam monui. Rursus in Paris. II. simili errore hic *flumina amica* scriptum, et

omissus est versus 68. Recte Putschius Wakefieldium reprehendit, qui ita emendabat: *Flectite*, currentes lymphae! *vaga flumina retro*; vel *Nymphae*; ad Lucret. V. 273. Non tam lymphae flumina, quam flumina flectunt lymphas.

Possit aliquis nonnullis, ut Argent. 1502. Bas. 1543. Venet. 1555. Lugd. 1556. Bas. 1561. praeeuntibus, quae nullam post *retro* distinctionem habent, ita interpungere: *Flectite c. lymphas, vaga flumina: retro Flectite*, etc. Sed alterum simplicius.

V. 68. FLECTITE, ET ADVERSIS RURSUM DIFFUNDITE CAMPIS.

*Et adversi rursum*] veteres editiones, *cursum*. Lego igitur:

— *Et aversi cursum diffundite campis.*

*aversi cursum* παλίστροφοι. Ovidius:

— *aversis solque recurret equis.*

*Diffundere campos*, κατακλύζειν. infra:

— *Diffusos gurgite campos.* SCALIG.

Volebat igitur, *et aversi cursum diffundite campos*. Hic quoque fraudi fuit Scaligero odium Bembi, sive Aldinarum. et quod ne editos quidem libros satis vetustos habebat. Nam *adversi* quod editos inde a Venetis Rub. et Iens. obsedit, nihil est nisi harum Venetarum vitium: *aduersis* in Romanis, Ven. Achat. Mutinensi, tum in Ascensiana III. Aldinis, aliis. atque sic in scriptis, de quibus constat, legitur omnibus, nisi quod *adversus* in Petav. et Angl. *aversis* in Mediceo a m. pr. *aduersi* in Vossiano isto II. cui solet cum Vicentina convenire. Deinde quas veteres editiones *cursum* habere dicit Scaliger, et post Scaligerum Heinsius, eae nullae sunt ante Ascensianas, Cronflit. Iuntinam, Lugd. 1529. Vere veteres: *rursum*, ut Aldinae, reliquae. et *rursum* in scriptis omnibus, praeter Medic. in quo *cursum*, et praeter Leidensem Burmanni, in quo *sursum*. Itaque ab omni parte tutum est *adversis rursum d. campis*. Quod etiam Bembus exhibet loco statim memorando et Wakefieldius ad Lucret. loco paullo ante laud. ut alios taceam. Et est sententia planissima. Scilicet flumen ubi retro flectitur, qui iam *aversi* fuerant campi, rursus *adversi* flumini fiunt. Haec simplicissima ratio explicandi est: paulio aliter Wakefieldius. *campis* dativus, ut supra *dulcis auras diffunditis agris*.

*cursum* fecit etiam Gloss. V. I. *aversis sursum d. campis* coniectura fuit Tollii. Eidem *refundite* placebat, ut narrat Burmannus. *eversis sursum* Heinsii. *adversis sursum* laudat Burmannus ad Propert. II. XII. 33. Idem ibid. et ad Lotichium, frequens hoc esse poetis τοῦ ἀδυνάτου exemplum observat, flumina retro verti ad caput fontis. Sane notum proverbium: ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι πηγαί. Ovidius Epist. V.

31. *Ad fontem Xanthi versa recurret aqua. Xanthe, retro propera: versaeque recurrite lymphae.* Cato autem illud non tamquam ἀδύνατον ponit, sed tamquam insolitum ac portentosum: nam fieri tamen aliquando potest. Wakefieldius comparat Virgilium Aen. IX. 124. 5.

V. 69. INCURRANT AMNES PASSIM RIMANTIBUS UNDIS. Rursus Venetarum Iens. et Rub. vitium, *amnis*, posteriores invasit multas, Vicentinam cum Voss. II. alias, donec *amnes* restitutum est in Ascensianis, Virg. Aldi, Argent. aliis. et sic, *amnes*, in Romanis, cod. Bas. Vrat. II. Ven. Achat. Mut. et in scriptis antiquioribus omnibus. et *amnes* correxit Gloss. V. I. *rimantibus* dedi librorum auctoritate scriptorum, Petaviani, Thuanei, Medicei, Leid. caeterorumque meorum. et sic Aldinae. Quod in vetere editione omni, non excepta Mutinensi, et in codd. Bas. Vrat. II. Voss. II. legitur, *remeantibus*, emendationis speciem habet, ab eo factae, cui ex versibus, qui praecedunt, retro conversi imago fluminis obversaretur. Ut infra nonnulli *relapsa* intulere errore consimili, v. 79. Verum quod nunc dicit, latius patet. Iubentur flumina relicto cursu legitimo hic illic ire, et quidem *passim rimantibus undis*: *passim* enim non solum ad *incurrant* referendum est, sed etiam ad *rimantibus* participium. *rimantibus* usitata significatione: alluunt undae hic illic, appetentes, et quasi quaerentes, quod devorent. Propter *passim* similis est locus Petronii cap. CXXII. v. 131. 2.

*nec vaga passim*
*Flumina per notas ibant morientia ripas.*

hoc est, ut Gronovius Observ. III. XI. interpretatur: et flumina, non morientia per notas ripas, ibant vaga passim. Igitur *vaga flumina* alio sensu Petronius, alio Cato v. 67. ille de exspatiantibus, et suas ripas excedentibus; Cato ibi dum *vaga* alloquitur *flumina*, nondum exspatiantia, sed consuetum cursum, quo errant placide per campos, cogitat.

*remeantibus* exhibet etiam Bembus.

V. 70. NEC NOSTROS SERVIRE SINANT ERRONIBUS AGROS.

*Nec nostros*] In priscis editionibus non legitur *servire*, sed *exire*. quod est verbum alienationum: *exire in ius, exire in potestatem.* Lego autem *erronibus*, non *erroribus*. Veteranos intelligit, quibus eius agri erant assignati. est enim convicium in militem infrequentem, sicut et *Emansor*. Tibullus:

*Ure, Puer, quaeso, tua qui ferus ocia liquit.*
*Atque iterum erronem sub tua signa voca.*

Utcunque igitur erit tolerabilis lectio. Sed ea, quam modo reponam, longe mihi verior videtur:

*Nec nostro exire sinant erronibus agro.*

Optat amnes per totum agrum diffundi, ut omne exeundi iter obsessis militibus intercludatur. Quibus displicebat hiatus ille, *Nec nostro exire*, immutarunt lectionem. SCALIG. Hoc quoque contra Aldinas, sive contra P. Bembum, qui in Libro de Culice Virg. p. 793. ed. Argent. hunc versum, cum tribus qui praecedunt, protulit ita scriptum:

*Nec nostros servire sinant erronibus agros.*

praeclara restitutione, sive ea, quae est Heinsii sententia e codice Bembino, sive ex ingenio facta. Cum Bembo faciunt Aldinae, et post Aldinas Bas. 1543. Venetae 1544. 1555. 1558. Lugd. et Antv. 1556. aliae, nisi quod hae fere omnes, praeter Aldinas, corruptum *erroribus* retinent. *erronibus* agnoscunt etiam Is. Vossius in marg. ed. Scal. 1595. et Heinsius ad Ovid. Epist. XV. 53. Cf. quae ea de voce Burmannus ad h. l. Observandum tamen, liberius Catonem hac voce uti. Sed feliciter. Opponit enim milites, qui domicilium habent nullum, colonis, suas terras colentibus.

*exire* et *erroribus* in omni scripto apud me et Burmannum, etiam in Vossiano I. et in omni libro edito ante Aldinas. Ex uno MS. qui dicitur Pierii, *servire* affertur. At *sinas*, quod in multis mediae aetatis, h. e. eius, quae inter primas et Ascensianas Aldinasque media est, et in Vossiano II. legitur, nihil est nisi Venetarum Iens. et Rub. vitium. Antiquiores et meliores Venetis illis, tum Norimb. Argent. Ascensianae, itemque scripti, *sinant* habent. idque agnoscit Domitius. *sinat* Vrat. II.

Boxhornius, nescio an consulto: *Nec nostris servire sinant erroribus agros.* Heinsio aliquando in mentem venerat *praedonibus.* Vulgatum *exire s. erroribus* ita explicat Tollius: neque sinant nostros agros umquam liberari flexibus suis aut eximi. Similiter ante Domitius. Et quae nuper Silligio ratio explicandi placuit, eam Badius praeit. Quam sit felix emendatio Bembi, clarius patebit sequentia conferenti. Excipiunt hanc imprecationem, ut est a me ad v. 63. monitum, duae aliae, 72. sqq. et 76. sqq. Quarum in utraque mentio fit militum. Quare in hac quoque mentionem fieri militum par erat, aequalitatis caussa.

V. 71. DULCIUS HOC, MEMINI, REVOCASTI BATTARE CARMEN. Versus παράλληλος superiori 54. Sed quaeritur, quum illic sit *Tristius*, cur hic *Dulcius.* Supplet Badius: dulcius, sc. quam aequum est. Ego vero, sive praecedentia spectari putes, sive sequentia, nihil neque in praecedentibus neque in sequentibus video, quod *dulce* sit. Exsecrationes sunt omnia. Scilicet, quod *dulcius* dicit Cato, non respicit sua verba, argumentumque carminis, sed modos fistulae Battari. Inciderat Battarus, dum proximos versus avena sequitur, in modos inprimis

dulces. Exclamat Cato: dulcius hoc carmen revocasti, Battare: memini. memini, quum talia olim modulabaris. Nulla in hac exclamatione castigatio Battari: est tantum acerba temporis ante acti, et pristinae felicitatis, recordatio.

*revocasti* h. l. in libris omnibus, et vera distinctio, *Dulcius hoc* (*memini*) *r. b. c.* in Venetis Rub. et Iens. aut *Dulcius hoc*: *memini*: ut in Norimb. Vicent. cum Voss. II. Veneta 1482. aliae, perperam distinguendo *hoc memini* iungunt.

V. 72. EMANENT SUBITO SICCA TELLURE PALUDES. *Et manent* Petav. Thuan. Med. Leid. Aug. et Vrat. II. *Et manet* Paris. IV. ut apud Lucretium III. 582. *Et manarit* est in libris antiquitus editis. *Emanent* in editis, inde a Romanis. *paludes tellure* inverso ordine, Mon. II.

*subitae* coni. Heins. Scilicet hoc exquisitius quam *subito* adverbium.

V. 73. ET METAT HIC IUNCOS, SPICAS UBI LEGIMUS OLIM. Altera praeclara restitutio Bembi. Et sic editum in Aldinis, Bas. 1543. Ven. 1544. 1555. 1558. Lugd. 1556. Antv. 1556. Bas. 1561. Scaligeranis, reliquis. Vulgo edebatur, inde a Romanis:

*Et metat* hinc miles:

et sic codd. Bas. Vrat. II. Voss. II. *hic miles* in Virg. Aldi et Taurin. 1518. Sed una tamen illud multis annis ante Bembum Aldinasque habuit, Mutinensis. Praeterea quicquid librorum scriptorum antiquorum est, omnes confirmant emendationem Bembi, quam proinde non ex ingenio factam, sed e codice petitam Bembi esse certum est. Differunt libri antiqui in rebus secundariis. Quum enim *hic* sit in Augustano, aliis, in Thuan. Leid. Med. Paris. IV. *hinc* legitur. Deinde *uincos* in Thuan. Paris. II. Angl. aut est scriptum, aut videtur scriptum esse. *iucos* vel *uicos* in Paris. IV. *heic iuncos* cod. qui dicitur Pierii.

Caussam depravationis non male declarat Bembus: *ut videlicet, quoniam erat in veteribus exemplaribus* (*quemadmodum mihi videre videor*) *ita haec lexis* MILES *adscripta, ut esset extra versum tanquam interpretatio illius pronominis* HIC, *ne pro adverbio acciperetur, non doctorum librariorum aliquis quorum mehercule magna quidem copia semper fuit, mendum ratus versum ipsum perverterit* —. Igitur *hic* Bembus pronomen esse existimabat. Mihi simplicius videtur alterum. Qui enim haec legerit, *Et metat hic iuncos, spicas ubi legimus olim,* quid prius coniiciet quam opposita inter se esse *hic* et *ubi.* Quare *hic* adverbium esse, et ex versu 70. cogitatione supplendum esse *miles* sive *erro* censeo. Quod enim ibi *erronibus* est, pluralis, is non

verus pluralis est, sed unum illum in mente habet, cui cessuram esse suam villam videt; plurali *erronibus* utitur, schemate notissimo, omnique linguae usitatissimo, de quo inter alios Brunckius ad Soph. Oed. R. 366. 1403. cf. Hermanno annotata ad v. 1250. Cuius pluralis, qui interdum multa cum vi ponitur, per se haec ad cogitationem potestas est, ut significetur unus ex aliquo genere sive ordine: ut Antig. 1057. ubi *ταγούς* legimus, cogitandus est unus ex ordine *ταγῶν*. et sic fortasse *ἱερῆς* Oed. R. 18. nam vetus quaedam mea opinio est, quam ne nunc quidem abieci, unum tantum ibi sacerdotem senem adesse cum grege puerorum. Itaque hic *κατὰ τὸ νοούμενον metat* scripsit Cato, militem cogitans, futurum agri possessorem. Si cui vehementer placeat *hinc*, non vehementer repugno. *et metat hic iuncos, et metat hinc iuncos*, utrumque bonum. Sed tamen illud est, nisi fallor, usitatius; et fortasse *hinc* natum ex eo, quod olim scriptum *heic* fuit.

Burmanno nescio quis antiquarum editionum amor, et loci Virgiliani Ecl. I. 71. sq. *en quis consevimus agros*, male opportuna recordatio, infelicissimam coniecturam peperere: *Et metat hic miles spicas, ubi sevimus olim.* Tum certe *metet* exspectabatur. Sed quid potest infelicius ea coniectura esse, quae nexum perturbet loci, sententiamque inferat prorsus a mente scriptoris alienam? Verum ita tum elaborabant in Catone Burmannus, et, si volumus fateri id quod verum est, Heinsius, ut securi de mente poetae, experirentur singulis locis, quae posset mutando sententia effici. Multo elegantior est de duabus Wernsdorfii coniecturis posterior: *Et natet hic iuncus, spicas ubi legimus olim.* Quae posset vera videri, nisi obstaret verissima observatio nostra, quam fecimus ad v. 70. Quod in duabus, quae huic *παράλληλοι* sunt, exsecrationibus facit poeta, ut diserte admoneat, nihil esse militem ex praeda sua utilitatis percepturum, id hic quoque facit. Coniectura Wernsdorfii altera erat: *Et metat hic iuncos, spicas ubi legerat olim.*

Monacenses et Vratisl. I. memorabili modo interpolatum exhibent versum: *Et metat hic iuncos. spinas* etc.

Contraria cumulat similiter Ovidius Metam. I. 294.

*Et ducit remos* illic, ubi *nuper ararat.*

V. 74. OCCUBET ARGUTI GRYLLI CAVA GARRULA RANA. Hic aliquid a me novatum est. Editum ubique *Occupet* erat, nisi quod *Occupat* mendose in Veneta Achat. At quid libri scripti antiqui? *Coculet arguti* vel *Coculetarguti*, *Cocul etarguti*, confusis syllabis, Petav. Paris. II. III. August. Mon. I. II. *Cogulet* vel potius, Lasseno teste, *Cogule targuti* Thuan. *Concule* (vel *Contule*) *targuti* Paris. IV. *Conculcent arguti* Medic. *Conchulae ubi a.* Voss. I. *Conculae. et a.* Angl.

*Occulet* Vrat. I. Habes aut perspicue expressam, aut latentem in erroribus, quorum nonnulli manum prodere correctoris videntur, veterem quamdam scripturam *Coculet*. Iam *Coculet* quid est? Ortum ex *Occupet*? Sane limites nullos novit librariorum stupor ac temeritas, et peccatum est saepe incredibili negligentia etiam in usitatissimis vocabulis. Sed fortasse insolentius quoddam, inter *coculet* et *occupet* medium verbum scriptum a Catone fuit. Quare *Occubet* scripsi: unde facile *Occulet* fieri potuit, atque inde *Coculet*. Etsi enim alia exempla verbi *occubare* cum accusativo coniuncti habeo nulla, nihil tamen video, cur illud minus quam *incubo* assumere accusativum possit. Et est *occubet* γραφικώτερον quam *occupet*.

De gryllis ex Plinio H. N. XI. xxix. refert Pomponius Sabinus: non prorsus recte. Interest enim aliquid inter locustam et gryllum, de quo aliquid Plinius H. N. XXIX. vi. *cava* recte interpretantur foramina terrae excavatae: ibi enim habitat gryllus. Comparat Wernsdorfius Horatium: *Rusticus urbanum murem mus* paupere *fertur Accepisse* cavo. Et quam *argutus* sit gryllus, novit quicumque stridentem audiverit. Idem epitheton cicadarum est. Virgilius Culice v. 151. Argutis *et cuncta fremunt ardore cicadis.* ad quem locum Lindenbruchius Catonem laudat, et Novium Exodio: *Argutatur quasi cicada.* Carmen de vocibus animalium, Anth. Lat. Lib. V. cxliii. a. vs. 56. *Et grillus grillat*, et vs. 58. Garrula *limosis* rana *coaxat aquis.*

*grilli* Thuan. et caeteri mei antiqui. et sic Paris. IV. aut *gulli.* *crilli* Medic. In editis *grylli* inde a Romanis, sed *grilli* rursus in Virgilio Aldi, et Aldinis. *cana* Voss. I. *conchylae et* tamquam coniecturam adscripsit Is. Vossius in marg. ed. Scal. 1573.

Simili colore Ovidius Metam. I. 299. in descriptione diluvii: *Et modo qua graciles gramen carpsere capellae*, *Nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocae.*

V. 75. **TRISTIUS HOC RURSUM DICAT MEA FISTULA CARMEN.** *dicat* editi omnes cum codd. Bas. Vrat. II. Voss. II. et sic Vrat. I. Fortasse recte. Certe melius quam *dicit*, quod est in Petav. Thuan. Paris. II. III. IV. Angl. August. Mon. I. II. et *rursus dicit* in Mediceo ap. Burm. De re, et quid sit *rursum*, supra monitum pag. 22. et ad versum 14. Non celabo tamen, quod mihi postea in mentem venit, fortasse propius esse ad veteres libros accedendum, ita: *Tristius hoc rursum* dixit *mea fistula carmen.* ut *mea fistula* fistula sit Battari, et sententia planissime respondeat versibus illis: *Tristius hoc*, *memini*, *revocasti B. c. Dulcius hoc*, *memini*, *revocasti B. c.* Sane tum egregie sibi inter se respondebunt *Tristius hoc* — *Dulcius hoc* — *Tri-*

*stius hoc rursum. mea fistula* autem Cato perbene dicere potuit de fistula Battari: canit enim Battarus iussu Catonis domini.

*rursus* enotavi ex Veneta 1482. *phystula* Veneta Iens. infelici hellenismi studio. *dic ah*, vel *age dic*, vel *dic*, *i*, *mea fistula*, c. coniecturae Heinsii. *dicit* recepit Putschius.

V. 76. PRAECIPITENT ALTIS FUMANTES MONTIBUS IMBRES. MSS. aliquot *fumantes*. quod non absurdum adeo, ac prima fronte adparet. Videmus enim e decidente per alta praecipitia aquarum vi quasi quemdam fumum oriri. TOLLIUS ap. Burm. *fumantes* Petav. Thuan. Med. Leid. Voss. I. caeterique mei, et sic vulgo editum, etiam in Mutinensi. *spumantes* Aldinae cum MS. q. d. Pierii, Bas. 1543. Ven. 1544. 1555. 1558. Lugd. 1556. Bas. 1561. Scaligg. Pith. et recentiores, praeter Putschium. Tritum est, ac vulgare, *spumantes*, si comparetur cum altero. Vota facit Cato, ut de montibus *imbres*, h. e. torrentes ex imbribus nati, vel multo imbre aucti, atque exuberantes, irruant in planitiem. Nam de torrentibus sermonem esse, tum proxima, *praecipitent*, et *altis montibus*, monstrant, tum res ipsa docet, quandoquidem insolitam atque repentinam inundationem poeta sibi postulat. Iam, ut paullo explicatius dicam, quod Tollius indicat, torrentes dum praecipites ruunt de montibus, subinde pars aquae, per vehementiam deiectus, quoniam graviore deiectu cadunt, quae de alto cadunt, vel quoniam coarctatur et impeditur non satis pervio alveo flumen, eliditur, et in aerem spargitur, ut quasi pluvia quaedam, sed ea tenuissima, exsistat, quae pluvia pulveris, aut nubeculae, fumive, imaginem praebet. Tritum est, *fumum* dici de rebus, quae similitudinem habent fumi. Ut quum Lucretius VI. 458. sq. montis vicina cacumina coelo *fumare* dicit *adsidue fulvae nubis caligine crassa*, et Virgilius nunc *tenuem nebulam* coniungit *fumosque volucris*, Georg. II. 217. nunc *fumantis pulvere campos* dicit Aen. XI. 908. et rursus alibi *undas* attribuit *fumo*, Aen. II. 609. VIII. 257. Ad nostram rem unice facit Ovidius Metam. I. 569. ss.

*per quae Peneus, ab imo*
*Effusus Pindo, spumosis volvitur undis,*
*Deiectuque gravi tenues agitantia fumos*
*Nubila conducit, summasque adspergine silvas*
*Impluit, et sonitu plus quam vicina fatigat.*

Quem locum aliis mixtum laudatus a Burmanno ad nostrum Catonis locum Burmannus patruus habet ad Quintilian. XII. x. p. 1103. et ad Lucan. VII. 193. Aliis mixtum, inquam: quae enim ibi disputat Burmannus omnia, et quae alia profert scriptorum exempla, prorsus mihi diversa

ab eo, quod Ovidius scribit, videntur. Scilicet est etiam illud verum, de quo ibi Burmannus, et rursus ad Valer. Fl. VIII. 452. disputat, emittere flumina, et mare, nebulas quasdam, et auram, quae e longinque deprehendi possit: verum ea communis marium fluminumque, etiam leni lapsu procurrentium, proprietas est, diversa ab eo, quod Peneum Ovidius, Cato imbres suos facere significat. *Praecipitare* verbum proprium de vehementiore aquarum, imbris maxime de coelo decidentis, lapsu. Pacuvius, nam Pacuvium esse alibi monstravi, apud Ciceronem de Orat. III. xxxix.

*Grando mista imbri largifluo subita praecipitans cadit.*

Valerius Aedituus, ut in vetustioribus consistam, apud Gellium XIX. ix. Anth. Lat. III. ccxlii.

*Aut imber coelo candidus praecipitans.*

Cicero Somn. Scip. c. v. *sicut ubi Nilus ad illa, quae Catadupa nominantur,* praecipitat ex altissimis montibus. Cf. Virg. Aen. IX. 670. Lucret. VI. 291. I. 251. 2. quo tamen loco *praecipitavit* est significatione activa. Locos, ubi neutrum est, magno numero congessit G. I. Vossius de Anal. III. iii. p. 13. Neque tamen rarum est alterum. Et reperitur *praecipitatur,* ubi aliquis exspectet *praecipitat,* apud Varronem: *Ubi rivus* praecipitatur *in nemore, deorsum rapitur, atque offensus aliquo a scopulo lapidoso, albicatur.* Nonius p. 75, 22. Sed fortasse ibi discrimen facit, quod *praecipitari* simpliciter properandi notionem habet. Similis etiam Catoni locus est Lucretii I. 282. ss.

*Ut quom mollis aquae fertur natura repente*
*Flumine abundanti, quod largis* imbribus *auget*
Montibus ex altis *magnus decursus aquai.*

verum hoc differt, quod Lucretius de flumine torrentibus aucto, Cato non de flumine, sed tantum de torrentibus agit: nam de fluminibus dictum est exsecratione quae praecedit.

*Praecipitae* Thuan. Ex Vossiano I. Vossius enotavit hoc: *fumante. hymbres* antiquissimae, inde a Romanis, pleraeque. *ymbres* Mon. I. II. Vrat. I. Ven. Achat. sed *imbres* in August. Thuan. et caeteris Parisinis, tum in Mut. Ven. Iens. Virg. Aldi, Aldinis. Fuit quum hoc verum et antiquum videbatur nonnullis, *ymber*: ut L. Carrioni ad Valer. Fl. I. 82. In Vicent. admodum vitiose: *fumentes montis hymbres.* Eodem vitio eadem Cul. 165. *montis orbes.* pro *montibus orbes.*

V. 77. ET LATE TENEANT DIFFUSO GURGITE CAMPOS. *diffuso* et in Thuan. caeterisque scriptis meis, praeter Vossianum II. omnibus, nisi quod in Mon. II. *diffusa,* et in Romana utraque, codd. Bas. Vrat. II. Ven. Achat. Mut. Aldinis, et recentioribus. *diffusos*

nihil est nisi Venetarum Rub. Iens. vitium, communicatum cum Vossiano II. Vicentina, aliis: sed tamen imposuit Burmanno, et ipsi Scaligero ad v. 68. Magis usitate *diffusus gurges*, quam *diffusi campi*. Et magis ad morem Catonianum. Ita supra: *Littora, quae dulcis auras diffunditis agris*, et *lymphas — diffundite campis.*

*teneat* Paris. IV. *campo* Mut. Coniectura Heinsii: *Et lato teneant diffusos gurgite campos.*

V. 78. QUI DOMINIS INFESTA MINANTES STAGNA RELINQUANT.

*Quis dominis*] *Qui dominis*. SCALIG. Obversabatur Scaligero vulgata editorum ante Aldinas omnium, et codicum novitiorum, scriptura:

*Quis dominis infesta minantes stagna relinquant*:

vel *relinquunt* ut in Mutin. et Argent. 1502. et Vratisl. II. sed in quo a manu sec. *relinquant*. Praeterea *stagne* in Ven. Achat. *domini* in Virgilio Aldi. Huius vulgatae scripturae unam explicationem proponam, non prorsus ineptam, Domitii: *Minantes. i. milites : qui minantes nobis terreantur talibus imbribus : et cogantur relinquere meos agros.* Itaque *quis* Domitius referebat ad *imbres*. Altera scriptura, permira illa, eo maxime, quod, quum manifesto falsa sit, tamen quomodo oriri potuerit, non liquet, Aldinarum est:

*Quique domos infesta minantes stagna relinquunt*:

*relinquun* Aldina II. Ea in libris, qui nunc exstant, parum praesidii habet: erat in cod. q. d. Pierii, in cod. Helmst. apud Wernsdorfium, et in Vossiano I. si f. s. Deinde ex Aldinis venit in Venetas 1541. 1555. 1558. Basil. II. P. 1561. Quid verum esset, egregie divinavit Scaliger. *Qui dominis* Medic. ap. Burmannum, et, quod idem est, *Quid dominis* Petav. Thuan. Paris. II. III. IV. August. Monac. I. II. Vratisl. I. In uno Anglicano, quod miror, *Quis* erat. *relinquunt* male iidem omnes, et *relincunt* August. *Qui*, intell. *imbres* ex v. 76. quem pronominis usum illustro Diss. III. de genere dicendi Catoniano. Habes accuratam et valde luculentam descriptionem, breviter a me indicatam ad v. 67. Incipit poeta ab eo, ut iubeat inundationem fieri, aquarum vi a montium iugis in planitiem incurrentium. Ea inundatione totam regionem, neque suum tantum agrum, sed etiam aliorum agros, et omnino omnem, quam longe patet, planitiem invadi atque occupari iubet. Hoc est, quod dicit: *et late teneant diffuso gurgite campos.* Quum vero eiusmodi inundatio non soleat diuturna esse: solent enim tam repente immissae aquae paullatim decrescere, mox dilabi et absorberi, campi revirescere, et rursus admittere pastorem, agricolam: Cato portentum addit, ut imbres infusi non absorbeantur, sed passim colligantur

in unum, et *stagna relinquant.* Ea stagna *infesta dominis,* h. e. omnibus in regione illa agrorum possessoribus, et de imbribus addit *minantes,* quia significat effusum iri stagna in agros cultos, id quod de suo agro diserte dicit: *unde,* id est, e quibus stagnis, *elapsa meos agros pervenerit unda. dominis* iungo cum verbis *infesta stagna,* sed est etiam idem vocabulum *dominis* cogitando supplendum ad *minantes.*

Vulgatum illud, quod primo loco commemoravi, servatum in multis, ut in Basil. 1543. in Scaligeranis, Pithoei, Boxhornii, Burmanni: et in his quidem omnibus *Queis* legitur, ex vulgato illa aetate more. *Qui,* Scaligeri inventum, unus edidit Arnoldus, sed ut alia repetit Scaligerana, non sentiens, ut puto, quam illud egregium esset. Heinsius varia luserat: *Quin dumis,* vel etiam, ut Burmannus refert, *Qui dumos, infesta inaratis stagna relinquant,* vel *relinquat*; vel *minantes, minantis,* factum esse ex *hamatis*; posse etiam *insessa* legi pro *infesta.* Wernsdorfius legit: *Quos* sc. campos *domini infestos, mirantes stagna, relinquant, Unde relapsa meos a. perv. unda.* versum alterum pendere a *mirantes.* Unde Eichstadius: *Quin domino infesti mirantes stagna relinquant.* Putschius edidit: *Queis domini infesti mirantes stagna relinquant, Unde relapsa* etc. approbante nuperrime Sillígio, qui tamen *Quis* scribendum esse monet: atque ex horum opinione *infesti* est *infestati*: quod vereor ut exemplis comprobari satis idoneis queat.

Confundi inter se *qui, quid, quis,* neque per se mirum est, et hoc loco, quomodo fuerint confusa, patet. Ex *Qui dominis,* male duplicata *d* littera, *Quid dominis* factum; deinde ab eo, qui sensum esse in *Quid* nullum intelligeret, *Quis,* quod ille aut ad sequens *dominis,* aut ad *imbres,* ut Domitius, referebat. Placet, quum nihil impediat, e Culice locum perstringere hac opportunitate, in quo eadem confusio. Cul. 207. sqq.

*Effigies ad eum culicis devenit, et illi*
*Tristis ab eventu cecinit convicia mortis.*
*Inquit*: Quid meritus, *ad quae delatus acerbas*
*Cogor adire vices*?

Sic Heynius, *Quid meritus,* e Scaligeranis, aliis. Ego hoc in Virgilio Aldi reperio, et apud Badium. Non est autem verum, quod refert Heynius, *quis meritis* esse in *vett. edd.* Nam in Venetis Achat. Rub. Mutinensi, Vicentina *Inquit*: *quid meritis*: legitur. Et sic non solum in cod. Bas. et Voss. II. sed etiam in Vossiano 81. Augustano, et haud dubie in Petaviano et Thuaneo, quamquam ex his nihil annotavit Vossius; idemque fuit in membrana Contii apud Scaligerum. *quis meritis,* quae vera haud dubie scriptura, propria videtur Aldinis esse.

Igitur hic *quis* mutatum in *quid* fuit librariorum vel criticorum culpa. Memorabile est, in Augustano ita legi: *In quidquid meritis* vel *In quid quid m.* Fateor autem valde insolentem esse verbi *Inquit* collocationem. Quam ita corrigebat Scaliger: *Quis meritis, inquit.* Praeterea observanda erit collocatio haec: *quis meritis.* Fortasse non magni momenti est, sed tamen nondum dictum ab alio novi, quod ego mihi observare visus sum, poetas latinos, quum *quis* dicunt pro *quibus,* aut absolute dicere, ut Cul. 121. 143. aut, ubi nomen addunt, id non statim addere, sed alio interposito vocabulo. Catullus Epith. P. et Th. 80. Quis *angusta* malis *quum moenia vexarentur.* Coma Beren. 37. Quis *ego pro* factis *c. r. c.* El. ad Manl. 13. *Accipe,* quis *merser fortunae* fluctibus *ipse.* Virgilius in Catalectis: *Pro* quis *omnia* honoribus *haec necesse Priape Praestare.* Cf. Virg. Aen. VII. 799. Horat. Serm. I. iv, 130. Quod si quis obiiciat, propter metri necessitatem eo modo esse locis istis omnibus disposita verba, at ego non habeo certos locos, ubi, permittente metro, contrarium fiat, et vocem *quis* proximo statim loco nomen sequatur suum. Id quod tamen fieri videmus in forma pronominis altera: Propert. II. xxviii, 43. *Pro quibus optatis* Ovid. Amor. II. viii, 21. et Priap. lxxxii. Burm. *Pro quibus officiis* Trist. III. xi, 49. *Pro quibus inventis.* *Pro quibus beneficiis* in oratione C. Cottae ap. Sallust. p. 1000. ed. Cort. contra in epistola Pompeii p. 965. *pro quis,* absolute, id est sine nomine. Quaeritur, an eius observationis usus sit aliquis in scriptoribus prosae orationis, e. c. in Sallustio, qui qua lege nunc *quis* scripserit, nunc *quibus,* nemini facile appareat. Nisi recentiores editores invenerint legem: quod ignoro. Pronominis *quis* proxime coniuncti cum nomine suo haec tantum exempla inveni apud Sallustium: Iugurth. lxxx. 3. *quis adiutoribus* Fragm. p. 999. *in quis omnibus.* et quater *quis rebus,* Iug. vii. 7. lxxxii. 2. xcvi. 4. cv. 1. quum tamen *quibus rebus* scribatur Catil. xxxi. 1. xxxii. 2. xlvi. 1. Iugurth. vi. 2. Neque illud scio an exploraverit aliquis, quid sit, quod in Iugurtha saepissime *quis,* in Catilina tam raro praebent codices: quod iam miratus est Cortius ad Catil. xxxvii. 3. cf. idem ad Iugurth. lxxx. 5. In Catilina bis *quis,* ex edit. Cortii, xxxvii. 3. lviii. 16. Venit mihi in mentem, *quibus rebus,* forma pleniore, Sallustium scripsisse in novae sententiae initio, Catil. xxxi. 1. xlvi. 1. Iug. vi. 2. lxxxii. 2. cv. 1. *quis rebus,* ubi sententia praecedentibus annectitur secundaria, Iug. vii. 7. xcvi. 4. Quod restat, Catil. xxxii. 2. *quibus rebus posset,* ea in dictione fortasse usu convenerat inter scriptores, ut scriberent *quibus rebus,* non *quis*: cf. Ciceronis et Cornelii N. loci apud Cortium. Librariis non multum tribuo: qui partim ubique vulgatum *quibus* reposuere, partim quod

usurpari a Sallustio intellexissent, *quis*, etiam iis locis intrusere, ubi retinendum erat *quibus*.

V. 79. UNDE ELAPSA MEOS AGROS PERVENERIT UNDA.

*Unde relapsa*] Veteres editiones: *Unde elapsa*. Malim ergo legere:

*Unde elapsa meos agros pervenerit unda,*
*Dicetur nostris in finibus advena arator?*
*Advena, civili qui semper crimine crevit?*

Nam non *Piscetur*, ut in recentioribus, sed *Discetur* legitur in illis antiquis. Unde, inquit, ego deduxi fluvios, et irrigavi agros meos, in illis finibus, vel intra illos fines, quos ego colui, dicetur esse advena dominus? Simile est Virgilianum:

*Impius haec tam culta novalia miles habebit?*
*Barbarus has segetes?* SCALIG.

Haec nemini placebunt, ac sunt prorsus aliena. Consistendum est in eo verborum ordine nexuque, quem nos instituimus post alios: ut a *Piscetur* nova incipiat oratio. *Unde* i. e. e stagnis. Male Gloss. V. I. *a quibus montibus*.

*relapsa* correctio mala, auctoritate nulla, nisi aliquid MS. qui d. Pierii tribuas. Invenitur in Virgilio Aldi, Taurin. 1518. Basil. 1543. Mogunt. 1549. Lugd. 1556. in Scaligeranis, apud Pithoeum, et apud recentiores omnes. Id qui primus excogitavit, quem ipsum puto Aldum esse, quum metro succurrere vellet, quo laborare vulgatum *Unde lapsa* videret, non solum a libris iusto discessit longius, sed etiam a sensu loci aberravit, memor, ut puto, parum opportune eorum, quae supra legerat, *Flectite currentes lymphas vaga flumina retro*, et *remeantibus undis*. At nostro loco non de relabentibus aquis agitur, sed de elabentibus e stagnis. *Unde lapsa* omnis liber antiquitus editus, inde a Romanis, et scripti tam recentiores, qui sunt Basil. Vratisl. II. Voss. II. quam veteres, Mediceus et Leid. ap. Burmannum, Thuaneus, caeteri Parisini, Angl. August. (in quo *Und elapsa*), praeter Monacenses et Vratisl. I. in quibus *Unde elapsa*, quod postea exhibuere Ascensianae, Aldinae, Iuntina, Lugd. 1529. Venetae 1544. 1555. 1558. Basil. 1561. Heinsius quum scriptos apud se *elapsa* habere dicit, non intelligitur, qui hi sint scripti et falli videtur Heinsius: Thuaneus certe non est, in quo *lapsa* esse diserte testatur Vossius; de Petaviano non constat. Fortasse in Petaviano et Thuaneo ita erat, ut in Augustano: *Und elapsa*.

Unum quaeri posse video, quid sit *pervenerit*. Id Badius per coniunctivum explicat: *unde. i. e quibus stagnis: unda elapsa. i. effluens: pervenerit agros meos. i. veniat per agros meos.* Ego futurum

esse censeo, quod dicitur exactum, pro futuro primo positum, sed cum vi singulari, ut videatur sibi poeta iam factum videre id, quod imprecatur. Ut *ardet* v. 52. Commodum accidit, ut apud ipsum poetam nostrum aliud exstet variatae structurae exemplum, mixtum cum futuro altero futurum exactum, sed ita mixtum, ut idem, quod modo dicebam, sententiae discrimen observetur, Ecl. 10. sqq. *In quibus illa pedis n. v.* ponet, *Aut roseis d. viridem* decerpserit *uvam*: — *Aut inter varios V. st. flores Membra* reclinarit, *teneramque* illiserit *herbam, Et secreta meos* etc.

Heinsius aliquando opinabatur: *Unde illapsa meos agros perverterit unda.*

V. 80. PISCETUR NOSTRIS IN FINIBUS ADVENA ARATOR. Respondent haec supra scriptis in praecedente imprecatione: *Et metat hic iuncos,* etc. Ac vide, quam bellum sit antitheton *piscetur* — *arator.* Miles, qui araturus venerat, ut est apud Lucanum I. 344. 5.

*Quae sedes erit emeritis? quae rura dabuntur,*
*Quae noster veteranus aret?*

obruta aquis rura reperit, ut piscaturam exercere debeat, si quid inde fiat lucri. Similiter Ovidius, quem ad v. 73. laudavimus, Metam. I. 294. Vim antitheti perverterunt viri docti: Scaliger, de quo vidimus; Boxhornius, cuius coniecturam, *Visetur,* recepere Dilherrus, Arnoldus; denique Salmasius, cuius coniectura fuit *advena raptor. Visetur* placebat etiam Heinsio, qui pro eo *Viscetur* fuisse scriptum putabat, ut mox *viscam* pro *visam* in codice Petaviano. At Heinsius tamen resipuit, addit enim: *Sed nihil mutandum, cum scripti pro vulgata stent.* Et de sensu loci ita refert, non male: Devovet agros inundationi imbrium, qui stagna relinquant in mediis agris, ut arator advena illic piscaturam exerceat. Scire velim, quae sint illae antiquae, in quibus *Discetur* legi dicit Scaliger: *Piscetur* libri, de quibus nobis constat, tam scripti, quam editi, omnes, nisi quod *Pascetur* in Ven. 1488. *advenena* Monac. II.

In hoc versu, et in sequente, desinit exsecratio tertia. Tertiam dico earum, quas poeta ab aquis in terra repetit. Et omnino ab hoc inde loco usque ad finem carminis non amplius imprecatur Cato, sed indignatur, lamentatur, vale dicit agro, Lydiae.

V. 81. ADVENA, CIVILI QUI SEMPER CRIMINE CREVIT. *creauit* August. *Advena* cum contemptu, ut supra *errones.* Perpetuo inter se comparantur hoc carmine colonus, sui agri possessor legitimus, et miles, qui sedem non habet, vagus, qui vivit ex rapto. Loquitur autem non

de certo quodam milite, sed de uno, quisquis ille sit, e genere militum. Propterea *semper* addit. Quasi dicat: piscetur ille, qui meo agro potietur, miles, quod genus semper civili crimine crevit. Et quod dicit *civili crimine,* non tam bellum civile ipsum, quam belli civilis caussam, nascentem ex ambitione atque avaritia discordiam dicit. Paullo post: *Tuque inimica tui semper discordia civis.*

Verba a *crimine* usque ad alterum *semper* omittit Mon. II. Burmannus, quem offendebat *crimine,* quae vox statim v. 82. recurrit, tentat *civili — turbine*, vel *sanguine.* Est sane aliquid inconcinni in repetitione: verum id nos leniore sustulimus remedio. *crimine crevit* allitteratio.

V. 82. O MALE DEVOTI, PRAETORUM CRIMINA, AGELLI.

*Pratorum crimina*] Lego *raptorum.* ut malae fidei possessores, et alieni insessores denotet. SCALIGER. *praetorum crimine* Aldus. scripti apud me *pratorum crimina. raptorum* Scaliger. an forte, *praedonum*? sed vera scriptura est *praetorum crimen agelli,* ut sit epexegesis. sic infra, *felix nomen agelli,* quod Scaliger non recte accepit. nam *agellos,* non *agellum,* passim vocat hanc villam. HEINSIUS. Heinsii ad h. l. disputationem, levi verborum traiectione correctam dedi; apud Burmannum aliquid in ea turbatum est contra mentem Heinsii. Scilicet Heinsius sua non continuo scripta reliquerat, sed dispersa, adscripta hic illic marginibus librorum: unde ea collegit ac disposuit Burmannus. *praetorum* inter libros scriptos unus, vel duo: Mediceus ap. Burmannum, et Vossianus I. si f. s. tum Aldina II. a. 1534. (et haec quidem *Praetorum* cum littera mai.) MS. q. d. Pierii, margo Antverp. atque inde marg. Scalig. et Pithoei, Wernsdorfius, Putschius; et sic nunc in exemplo Lips. V. I. legitur, *praetorum crimine,* a manu, cum glossa: *crimine magistratuum. raptorum* Dilherrus et Arnoldus e coni. Scaligeri. *pratorum* in reliquis omnibus, tam scriptis, ut Petav. Thuan. etc. quam editis, inde a Romanis, etiam in Aldina I. a. 1517. et reliquis, nisi quod *parcarum,* quae est manifesta correctio, in Monac. I. Vratisl. I. legitur. Praeterea in Augustano *O maledeuoto* scriptum erat, sed quod statim ipse librarius emendavit, et in *i* mutavit; *mali* in Mutinensi. Deinde *crimina* in vulgatis ante Aldinas, et in scriptis, praeter Mon. I. et Vrat. I. omnibus, etiam in Mediceo, ut coniicio: nam turbavit aliquid in hoc codice Burmannus. *crimine* Mon. I. Vrat. I. Iensonianum exemplar a manu Gloss. Aldina utraque, et ex recentioribus Ven. 1544. 1555. 1558. Bas. 1561. Scaligg. Pith. al.

In his illud ponimus tamquam certum, quod etiam Heinsius intellexit, et Boxhornius, unice verum esse *praetorum.* Deinde quod recentioribus placuit, *crimine,* negamus ferri posse. Nempe nihil apud nostrum of-

fensionis habet, eamdem brevi spatio bis inferri vocem: monebimus infra, et passim locos, qui hac de caussa vitiosi vel Heinsio videbantur, vel Burmanno, vindicavimus. At eodem casu positam repeti, et duobus versibus continuis inferri tam inter se similia atque aequalia, *civili crimine, praetorum crimine*, id vero inconcinnum atque ieiunum, etiam Catoni. Quare sapienter alii nominativum, vel vocativum, reponendum esse censuerunt, ut sit epexegesis, sive appositio. Sic Salmasius, Burmanno referente, legebat *raptorum crimen*, et Heinsius *praetorum crimen*, quod edidit Wernsdorfius. Mirum vero, *crimen* maluisse viros doctos quam, quod librorum auctoritate tantum non omnium comprobatur, *crimina*. Fortasse haeserunt in elisione: de qua satis nos infra Diss. III. *crimina* etiam volebat Scaliger, nisi fallor. Aptissimus autem pluralis *crimina*, quum statim sequatur pluralis *agelli*. Bona est Heinsii ad h. l. observatio, sic solere Catonem *agellos* dicere suos, non *agellum*. Cf. v. 45. *nostros agellos* et *agros* v. 52. *nostros agros* v. 70. *meos agros* v. 79. et rursus *agelli* ex vera Heinsii interpretatione, v. 90. Add. Ecl. 1. 8. 20. Quam vim habeat pluralis *crimina*, an forte continuatam criminationem, et iterum iterumque inferendam praetoribus significet, nolim quaeri curiosius. Nam etsi plerumque aliquam eiusmodi plurali vim ad augendam rei magnitudinem inesse sentias, non semper tamen accurate definiri verbisque explicari potest, quae illa vis sit; et sunt loci, quibus nihil scriptores illo plurali aliud, nisi pleniorem quemdam sonum, aut ab insolentia elegantiam, aut commoditatem metri, quaesivisse dicas. Ovidius, Porsono ad Eurip. Orest. 1051. laudatus, quum dicit *clypeum, laevae gestamina nostrae*, an magno pondere clypeum dicere voluerit, incertum est: eodem iure, si licuisset per metrum, *gestamen* scripsisset, ut est apud Virgilium: *clipeum, magni gestamen Abantis*. Addam locos nonnullos Propertii. II. iv, 15. *Nam cui non ego sum fallaci* praemia *vati*? IV. i, 10. *Unus erat fratrum* maxima regna *focus*. Et in his quidem duobus locis satis aperta numeri pluralis vis est. Significat se non semel, nec leviter, sed saepe, et cum multo pecuniae damno, praedam factum esse vatum: quod nos dicimus, eine Melkkuh. In altero loco manifesta est oppositio, *unus focus, maxima regna*. Cf. II. xxv, 48. *Una sit et cuivis femina* multa mala. Ovidius Ibide v. 222. *Quaeque dies Ibin*, publica damna, *tulit*. Contra apud eumdem Propertium I. ii, 32. Taedia *dum miserae sint tibi luxuriae*, nullam *taedia* pluralis propriam vim habet, sed apte sibi respondent *taedia* et *luxuriae*, ut apud Catonem *crimina* et *agelli*. II. xxxii, 2. mihi quoque prae vulgato *facti crimina lumen habet*, emendatio placet Heinsii, *facti lumina crimen habent*. Amatores quum puellas, blanda appellatione, *sua gaudia, suas delicias, suos amores*,

appellant, in ea appellatione primitus haud dubie propriam pluralis vim suam obtinebat, sive hoc sibi voluerit, varias in una puella inesse illecebras, et multa posse ex una puella gaudia capi, quem in sensum noster infra: *Gaudia semper enim tua me meminisse licebit*; sive illud, quod etiam fortius, amatori puellam esse instar gaudiorum omnium: at hoc non semper cogitaverunt scriptores. Habent enim hoc loquutiones eiusmodi, ut multo usu propriam vim suam amittant, et nihil ut restet nisi blandimentum. cf. Ecl. 20. 45.

Iam de *praetoribus* videndum est. Quam in rem quae Boxhornius disputat, qui de agro agi creditoribus Catonis addicto sibi persuaserat, etsi perinepta sunt, id tamen boni habent, quod ille de veris ac proprie dictis *praetoribus* agi h. l. intellexit. Nam quod Putschio in mentem venit, *praetores* a Catone dici belli civilis duces, quam etiam meam olim opinionem fuisse fateor, ut Sulla maxime significetur, qui dividi agros veteranis iussit: eam dudum repudiavi. Aliquid illa praesidii habet in etymologia, a *praeeundo*: verum hoc leve est. Ut enim concedas, antiquissimis temporibus *praetorem* dictum esse, vel dici potuisse, belli ducem, Catonis aetate dudum alius invaluerat usus loquendi. Antiquum usum illum quae referre videntur apud scriptores optimae aetatis, ut inveniuntur nonnulla, omnia, nisi fallor, suam quamdam explicationem legemque habent. Ut quum *praetores* appellantur a scriptoribus latinis duces, *στρατηγοί*, Graecorum, Carthaginiensium, cuius generis locos attingit Gronovius ad Liv. XXI. III, 4. non sequitur, *praetores* etiam appellatos esse duces Romanorum. Neque Asconius in Verrin. Act. II. lib. I. XIV. quo idem utitur Gronovius, aliud probat nisi hoc unum, fuisse *praetorium, cohortem praetoriam,* loquutiones multo usu a longo inde tempore sancitas, et quasi stabiles, etiam de eo, qui non esset *praetor* re vera. Quem autem nonnulli huc referunt, Iuvenalem X. 36. sqq. *Quid si vidisset* Praetorem *curribus altis Exstantem,* etc. quum ipse, iam diffidens aliis, per opportunitatem colloquii conviviique, quo ille me excipit singulis hebdomadibus, Heinrichio proposuissem, ille statim, ut est totius antiquitatis peritissimus, Iuvenalem vero tamquam familiarem secum habet, adhibendum esse eiusdem poetae locum alterum, XI. 191. ss. *similisque triumpho Praeda caballorum Praetor* sedet, neque de vero triumpho, aut duce belli, cogitandum esse, sed magistratum describi praesidem ludi, ornamentis triumphalibus, monuit. Igitur, si nihil aliud, admodum obscure ac perplexe loquentem haberemus Catonem, si *praetores* dixisset duces belli. Addo aliud. Ponam aliquantisper, *praetorem* posse ducem belli dici: tamen nunquam ita acceptum fuit, ut *praetorem* dicerent quemvis belli ducem, sed ut eum, qui esset magistratus, ad bellum gerendum legitime constitutus. Asco-

nius l. l. *Veteres enim* omnem magistratum *cui pareret exercitus, praetorem appellaverunt.* Similiter Marius Victorinus apud Gronovium l. l. Ut ab hac parte *praetor,* ea significatione, respondeat nostro vocabulo General, Feldherr. Iam vide quam hoc parum aptum esset, si devotos agros suos Cato diceret crimini esse den Generalen, den Feldherren. Dicendum erat, den Machthabern, den Grossen, potentum, vel tale quippiam. Qui enim variis temporibus conturbavere rempublicam, istasque odiosas agrorum divisiones fieri iussere, id non ex munere fecerunt, sed imperio militari eam in rem abusi sunt. Itaque hanc explicationem nulla ex parte tuearis. Haud dubie simplex ille Cato *praetores* proprie dixit, usitata significatione, atque ita ut intelligeretur ab omnibus. Quos vero *praetores*? aut quem *praetorem*? Ad eam rem duas inveniri posse responsiones video: unam ex vulgari opinione, alteram ex mea paullo post proponenda. Nempe si, quae vulgaris opinio, agi hoc loco de agro militibus assignato statuas, *praetores* esse debent magistratus qui agris dividendis praeerant. Iam vero hi magistratus, quod non diserte commemorat diligens caeteroqui de coloniis scriptor, Sigonius, aut plerumque, aut quoniam de hoc ambigere me, neque ipsum collecta habere omnia fateor, tamen nonnunquam potestate fuere praetoria. Sic decemviri isti Rulliani: Cic. de lege agr. II. XIII. In quibus si hoc aliquid inusitati fuisset, vehementius indignantem Ciceronem videremus. Nunc illud indignatur, quod potestatem illis det Rullus *verbo praetoriam,* re vera *regiam.* Paullo post lex agraria Iulia Vigintiviros agro metiundo dividendo iussit *potestate praetoria* esse: cf. Fragm. legis in Goesii Auctoribus R. A. p. 351. Sueton. August. IV. Quod si quis obiiciat, de agris plebi dividendis utroque loco, non de militaribus coloniis, sermonem esse, et Sullam fortasse quum agros veteranis divideret, alium modum sequutum esse: ego de modo, quo Sulla usus sit, nihil habeo compertum, sed tamen eum, vel eos, quos huic negotio praefecit Sulla, cur potestate minus quam *praetoria* fuisse putemus, nulla caussa est. Sic iussu Caesaris Q. Valerium Orcam missum reperio, legatum *pro praetore*: Cic. Epist. Fam. XIII. IV. et V. Minus constat de Cluvii et de Rutilii negotio ac potestate, ibid. Epist. VII. VIII. Agrorum divisioni ei, quae Virgilium attigit, praeerat, qui totam regebat provinciam, Asinius Pollio: si fides Servii Donatique locis, de quibus Heynius in Vita Virgilii ad annum 713. disputat. Ut aptissime Cato *praetorem* accusare, sive *praetores,* videatur. Verumtamen mea ab hac diversa opinio est. Demonstravi in Vita Catonis, vel quoniam *demonstravi* non audeo dicere, quum res in coniectura posita sit, quantumvis probabili, demonstrare studui e Suetonio, bis spoliatum Catonem, hoc est, agrum primo abiudicatum Catoni actione iudiciali, coram praetore,

tum esse assignatum militibus. Atque illius prioris facti meminit Cato hoc versu: *O male devoti*, praetorum crimina, *agelli*. *Praetorum*, usitata significatione, ut significet iudicem suum, praetorem provinciae suae. Egregie hanc in sententiam *devoti*, quod non est perditi, amissi, in universum, sed proprie damnati, destinati iacturae: quamdiu enim ager abiudicatus tantum Catoni, non domino assignatus novo erat, poterat non penitus amissus videri. Observandus etiam pluralis *praetorum*: de quo plurali monitum obiter ad v. 73. re vera unus tantum praetor fuit haud dubie, qui abiudicavit agrum Catoni. Nisi per duos annos, et a diversis praetoribus, caussa agitata Catonis fuerit.

V. 83. TUQUE INIMICA TUI SEMPER DISCORDIA CIVIS.

*Tuque inimica tui*] Et Virgilius:

— *en quo discordia cives*
*Perduxit miseros* — SCAL.

Eumdem locum annotaverat Badius. Observetur vis *que* particulae. Scilicet quum hoc versu *discordiam* accusat *civilem*, id non idem est quod versu praeced. questus erat. In unum coniungit duo diversa facinora, quibus factum, ut ipse penitus atque in perpetuum spoliatus sit agro suo: prius, quo abiudicatus fuit legitimo domino ager; alterum, quo assignatus militibus.

*discrimina cernis* Medic. *cuius* Vratisl. I. *tui* — *civis* in omnibus, etiam Aldinis, pro quo Heinsius et Wernsdorfius malebant *tuo* — *civi*. Non male Putschius eo tuetur genitivum, quod *discordia* προσωποποιεῖται. Vel sic tamen fatendum est, rarius esse *inimicus* cum genitivo, quam alterum. Veluti in Epistolis Ciceronis quae dicuntur ad Familiares, saepius me *inimicus* cum dativo legere memini, cum genitivo ne semel quidem. Sed est tamen hoc alibi, maxime in superlativo: Orat. de Provinciis consul. v, 11. *inimicissimum ordinis equestris, bonorumque omnium*. ibid. VIII, 18. *inimicissimus et ipsius, et fratris eius, Africani*. Unde illud *cum suis inimicissimis* ibid. IX, 21. quemadmodum *mei familiarissimi* dicitur, et *suam benevolentem* Plaut. Cistell. II. III, 43. *tui benevolentis* Trin. I. II, 8.

V. 84. 85. EXSUL EGO, INDEMNATUS, EGENS, MEA R. R. etc.

*Exsul* in nulla ante Scaligeranas et Pith. reperio. *Exul* in antiquioribus omnibus, et in Augustano, scriptisque, ut puto, caeteris. Deinde *indemnatus* in editione omni et in scriptis recentioribus; *indamnatus* in Medic. Paris. III. IV. Angl. August. *indampnatus* in Thuan. Leid. et quod idem est, *egomdampnatus* in Paris. II. *indempnatus* in Mon. I. II.

Vrat. I. Praeterea de interpunctione quaeritur, utrum distinguendum post *ego*, an iungendum sit *Exsul indemnatus*. Placet cum distinctione, ut est in Vratisl. I. in Romana I. cod. Bas. Ven. Achat. tum in Virg. Aldi, Aldinis, et recentioribus. Est enim hoc fortius, et placet asyndeton, *exsul, indemnatus, egens*. Attius Medea ap. Nonium p. 12, 9. *Exsul, inter hostis, exspes, expers, desertus, vagus*. Seneca Medea v. 20. 1. *per urbes erret ignotas egens, Exsul, pavens, invisus, incerti laris*. Ovidius Ibide v. 113. *Exsul, inops erres*. Sallust. Catil. xxxiii. *miseri, egentes, — — expertes*. Iugurth. xiv, 17. *exsul patria, domo, solus et — egens*. ubi nonnulla etiam asyndeto memorabilia laudat Cortius. Et si quis asyndeti in substantivis exemplum expetat, Pacuvius Periboea ap. Nonium p. 3. *metus, egestas, moeror, senium, exsiliumque et senectus*. *indemnatus* contra Heinsium, qui *Exsul ego, en damnatus* correxerat, Burmannus tuetur loco Ciceronis apposito, in Verrem lib. V. c. vi. *ut quam damnatis servis crucem fixeras, hanc* indemnatis *civibus Romanis reservares*. Poterat aptiorem, et qui propius accedere ad rem Catonis videtur, de Lege agraria c. R. Orat. II. xxi. *L. Sulla quum bona* indemnatorum *civium funesta illa auctione sua venderet, et se praedam suam diceret vendere, tamen ex hoc loco vendidit*. Quamquam, ut ego Catonem accipiendum esse monui, incertum est, utrum *indemnatus* magis priorem iniuriam, iniquitate illatam praetoris, an hoc spectet, quod sua iura devolvi ad militem videt.

V. 85. *funesta* Mon. II. *prelia* Vrat. II. *praelia* Mediol. 1501. Virg. Aldi, Taur. 1518. marg. Lugd. 1529. et Venetar. 1544. 1555. 1558. In fine autem cod. Angl. Romanae, Veneta Achat. et inter recentiores Burmannus interrogationem faciunt: non bene, ut arbitror. cf. ad v. 87. Ad sententiam aptus Lucanus I. 341. in oratione Caesaris:

*His saltem longi, non cum duce,* praemia belli
*Reddantur.*

Lepidus ap. Sallustium in Fragmentis Hist. lib. I. *Verum ego seditiosus, uti Sulla ait, qui* praemia turbarum *queror*. et ubi de veteranis, paullo post: *egregia scilicet* mercede, *cum relegati in paludes et silvas, contumeliam atque invidiam suam,* praemia *penes paucos intelligerent*.

Caeterum hic illud reputandum est, quod pag. 14. docuimus de scena carminis: *φαντασία* elegantissima. Non amplius est in medio agro suo: dicit enim *reliqui, mea rura reliqui*. Pro quo *relinquam* erat in cod. Leidensi ap. Burm. quod et ipsum haud absurdum foret, si adhiberetur interrogatio. Sed auctoritas eius codicis plane nulla est.

V. 86. HINC EGO DE TUMULO MEA RURA NOVISSIMA VISAM. Occupat stationem in loco edito: hoc est, fingit se occupare. Qui locus, *tumulum* dicit Cato, in parte agri Catoniani extrema situs erat. nam pertinuisse locum ad agrum Catonis, non fuisse extra fines Catonis, ex v. 91. intelligitur, ubi poeta capellis pabula eius tumuli, vel, ut ibi dicit, *montis, nota* commendat. Et credibile est, apud hunc tumulum totum carmen cani. Etsi neque haec insuavis imago erit, si quis poetam longius longiusque recedere inter canendum statuat, sed pedetentim. Ab hoc autem versu usque ad finem carminis persistere in summo tumulo, h. e. colle, sive ut v. 91. dicit, *monte,* putandus est. *Hinc,* inquit, *de tumulo visam novissima rura mea,* i. e. extremum agrum meum. Omnia visere iam non potest; et mox, si ulterius abierit, nihil se visurum esse dicit. *novissima* eo modo, quo a me acceptum est, iam accepit Badius, sed addit duas alias explicationes, quarum una apta est ad versum 93. *Ego visam hinc — mea rura novissima. i. extremos fines eorum: aut visam novissima. i. novissime aut novissimo de tumulo mea rura.*

*Hinc* in meis omnibus, nullus *Hic.* Moneo contra Heinsium, qui *Hinc* proprium esse Aldinis putabat. *Tunc* volebat Boxhornius. Deinde *cumulo* vitium est editorum ante Aldinas, itemque scriptorum recentiorum. sed *tumulo* est in scriptis antiquioribus omnibus, in Mutinensi, Virg. Aldi, Taur. 1518. Ascens. II. III. et in exemplo Lips. V. I. a manu Gloss. Et *tumulo* non solum Badius legebat, ut docet expositio eius, sed etiam ante Badium Domitius: intelligunt enim tumulum, sive sepulcrum, Bianoris: de quo errore cf. infra dicenda Diss. I. De sepulcro cogitabat etiam aliquando Burmannus, et annotaverat locum, ut tum videbatur, similem, Anth. Lat. IV. CCCLV. sed recte mutat sententiam.

*te tumulo* Medic. In Augustano ita: *detumulamae arura n. u. viscam* cod. Petavianus, testante Heinsio ad v. 80. *nisam* Paris. IV. Signum interrogandi addunt Angl. Romana I. Ven. Achat. et nuper Arnoldus, Wernsdorfius, Putschius.

V. 87. HINC IBO IN SILVAS: OBSTABUNT IAM MIHI COLLES.

*Hinc ibo in silvas*] Interrogative seu ἐρωτηματικῶς haec omnia legenda sunt. Nec mihi, inquit, adire licebit campos, tanquam colles mihi obstent, aut montes? SCALIG. ῥητορικώτερον quam pro hoc poeta. Simpliciter, sine interrogatione: si longius abiero, inquit, veniam in silvas; et colles, montes, obstabunt, quominus conspiciam campos meos: voce tantum attingere meos campos, iisque vale dicere potero, non item oculis. Quare persistam aliquantisper in hoc colle, sive tumulo, ut oculis videam campos, dum vale dico. Scaligero obsequuti interrogatio-

nem in *silvas* fecerunt Arnoldus, Wernsdorfius, Putschius. Angl. etiam in *colles*.

*Hic* Vratisl. I. *Hinc cibo* Paris. II. *Hinc ego* Mon. II. sed mutatum in *ibo*. *abstabunt* idem.

V. 88. OBSTABUNT MONTES. CAMPOS AUDIRE LICEBIT. Sic et editi omnes ante Badium et Aldinas, et scripti tam Burmanni, Petav. Thuan. Med. Voss. et Leidensis, quam mei, duobus exceptis, omnes. Scilicet in Ascensianis I. et II. nam de tertia dubito; ap. Cronflit. in Aldinis, Bas. 1543. Lugd. 1529. Venetis 1544. 1555. 1558. Lugd. et Antv. 1556. Bas. H. P. 1561. apud Scaligerum, Pithoeum, et in recentioribus ita legitur:

*campos* nec adire *licebit.*

Aldinis non multum tribuerim hoc loco, quum facilis in promptu sit suspicio, ex Ascensianis illud devenisse in Aldinas. Badius vero interpretatur locum ex ea scriptura; unde sumpserit ipsam, non addit, neque commemorat vulgatam *c. audire l.* E scriptis unus cum Badio Aldinisque faciebat Voss. I. si f. sil. Nam Anglicanus non multum iuvat, in quo *campos adire l.* Utut sit, (sive inveniatur in libro aliquo, sive non inveniatur,) suo se vitio prodit ac perdit inficeta correctio. Non perceperat corrector venustatem Catonianam. Tollenda est post *licebit* distinctio maior, quae antiquos libros obtinet, paucis exceptis, ut Veneta Achat. et Veneta Iens. quarum illa colon, haec nullam interpunctionem habet, non consulto, sed casu utraque. Pendent a verbo *audire* duo versus qui sequuntur, eo modo, quem supra declaravi ad v. 30. *campos audire licebit*: *dulcia rura valete* etc. Eadem constructio verbi *licere* in Ciri v. 10. *In quo iure meas utinam requiescere Musas, Et leviter blandum liceat deponere morem.* cf. ibid. 90. 443. sqq. Add. Cato ipse, Dir. 103. si ibi verum sit, ut potest verum esse, *licebit.* Manil. I. 25. ibique Bentlei.

Illud *Obstabunt montes,* ut a me explicatum est ad v. 87. iam recte accipiebat Gloss. V. I. qui adscripsit: *ut mea rura videre non possim. licebat* Vrat. I.

V. 89. DULCIA RURA VALETE. Hoc igitur illud vale est, quod campos etiam tum percepturos esse dicit, quum ipse tam longe digressus fuerit, ut non amplius conspicere campos possit. Itaque significat, se digredientem iterum iterumque hoc modo vale dicturum esse ruribus. Id vale autem praecipit hoc loco, dum est in conspectu ruris. Tum v. 95. iterum atque ultimum vale dicit: hoc est, ultimum, in conspectu ruris.

*lycida* Mon. I. *licida* Mon. II. *lidia* Angl. Paris. II. Bas. Prae-

terea in Bas. inter *valete* et particulam *et* aliquantum spatii est, in quo aliquid videtur erasum esse. Fortasse aberraverat librarius, et statim delevit errorem.

V. 90. ET CASTI FONTES, ET FELIX NOMEN AGELLI.

*Et felix nomen agelli*] Graecanice enunciatum, *nomen agelli*, hoc est, *agellus*. Aeschynes *σὺ δὲ τὸ μὲν Θηβαίων ὄνομα, καὶ τὸ τῆς δυστυχεστάτης συμμαχίας ἐνοχλεῖς ἀεὶ λέγων* etc. Albinovanus in Epicedio Drusi:

*Fluminaque, et fontes, et nomina magna locorum.*

Caecilius Comicus:

*Nomen virginis, nisi mirum est, deintegravit.* SCAL.

Scaligero adhaeret Acidalius ad Vell. Pat. II. LXIX. p. 1007. ed. Ruhnk. Adhaerebat etiam Burmannus ad Anthol. Lat. T. I. p. 605. 6. at nostrum ad locum amplectitur Heinsii explicationem, quam ille ad v. 82. proposuit, ubi verba Heinsii nos quoque exhibuimus. Et sane hoc tutissimum est, amplexique sunt Heinsii explicationem Wernsdorfius et Wakefieldius ad Lucret. I. 231. pag. 53. Cf. de hac appositione sive epexegesi Burmanno observata ad h. l. Heins. et Cort. ad Lucan. I. 313. Idem ante Heinsium senserat G. Canterus Novar. Lect. II. x. p. 551. T. III. Thes. Grut. ubi hoc, *felix nomen agelli*, comparat cum Virgiliano *Silvius Albanum nomen*, et cum Tibullo III. IV, 61. *nec fidum femina nomen*, aliisque locis. Ut nonnihil ego quoque conferam, in Ciri v. 224. quod in cod. Basil. Veneta Rub. Vicentina et Vossiano II. est, *sacrum caput — alumna*, praefero haud cunctanter scripturae Aldinae *alumnae*. Huc etiam refero Culicis locum v. 399. *Et violae omne genus*: *hic est et Spartica myrtus*: nam sic ibi scribendum haud dubie e scriptis meis tam antiquis quam recentioribus, et antiquitus editis. non, ut traiecta sunt verba apud Heynium, *Et violae genus omne hic est, et Sp. m.* De epitheto tantum *myrti* quaeritur, utrum tenendum sit *Spartica*, quod mihi, si formam spectes, haud indignum poeta iuvene, et quantum ad rem attinet, egregie communitum loco Catulli Epith. P. et Th. 89. videtur; an sit aliquid tentandum. In Augustano *hic est etispartica* legitur, et sic, *et ispartica*, aut in Petaviano aut in Thuaneo, aut in utroque, invenerat Vossius; *et partica* in Vossiano 81. Constat tamen non minus usitatum alterum loquendi genus esse, de quo ad nostrum Catonis locum Scaliger, et usitatum quidem non solum poetis, sed etiam aliis scriptoribus, ut in Oratione pro domo XVII, 43. *proscriptionis miserrimum nomen illud*; neque est in Catonis loco quicquam, quod explicationi obstet Scaligeri, praeter illud Heinsio observatum, quod Cato *agellos*, non *agellum*, vocare villam suam solet:

esse censeo, quod dicitur exactum, pro futuro primo positum, sed cum vi singulari, ut videatur sibi poeta iam factum videre id, quod imprecatur. Ut *ardet* v. 52. Commodum accidit, ut apud ipsum poetam nostrum aliud exstet variatae structurae exemplum, mixtum cum futuro altero futurum exactum, sed ita mixtum, ut idem, quod modo dicebam, sententiae discrimen observetur, Ecl. 10. sqq. *In quibus illa pedis n. v.* ponet, *Aut roseis d. viridem* decerpserit *uvam*: — *Aut inter varios V. st. flores Membra* reclinarit, *teneramque* illiserit *herbam, Et secreta meos* etc.

Heinsius aliquando opinabatur: *Unde illapsa meos agros perverterit unda.*

V. 80. PISCETUR NOSTRIS IN FINIBUS ADVENA ARATOR. Respondent haec supra scriptis in praecedente imprecatione: *Et metat hic iuncos,* etc. Ac vide, quam bellum sit antitheton *piscetur* — *arator.* Miles, qui araturus venerat, ut est apud Lucanum I. 344. 5.

*Quae sedes erit emeritis? quae rura dabuntur,*
*Quae noster veteranus aret?*

obruta aquis rura reperit, ut piscaturam exercere debeat, si quid inde fiat lucri. Similiter Ovidius, quem ad v. 73. laudavimus, Metam. I. 294. Vim antitheti perverterunt viri docti: Scaliger, de quo vidimus; Boxhornius, cuius coniecturam, *Visetur,* recepere Dilherrus, Arnoldus; denique Salmasius, cuius coniectura fuit *advena raptor.* *Visetur* placebat etiam Heinsio, qui pro eo *Viscetur* fuisse scriptum putabat, ut mox *viscam* pro *visam* in codice Petaviano. At Heinsius tamen resipuit, addit enim: *Sed nihil mutandum, cum scripti pro vulgata stent.* Et de sensu loci ita refert, non male: Devovet agros inundationi imbrium, qui stagna relinquant in mediis agris, ut arator advena illic piscaturam exerceat. Scire velim, quae sint illae antiquae, in quibus *Discetur* legi dicit Scaliger: *Piscetur* libri, de quibus nobis constat, tam scripti, quam editi, omnes, nisi quod *Pascetur* in Ven. 1488. *advenena* Monac. II.

In hoc versu, et in sequente, desinit exsecratio tertia. Tertiam dico earum, quas poeta ab aquis in terra repetit. Et omnino ab hoc inde loco usque ad finem carminis non amplius imprecatur Cato, sed indignatur, lamentatur, vale dicit agro, Lydiae.

V. 81. ADVENA, CIVILI QUI SEMPER CRIMINE CREVIT. *creauit* August. *Advena* cum contemptu, ut supra *errones.* Perpetuo inter se comparantur hoc carmine colonus, sui agri possessor legitimus, et miles, qui sedem non habet, vagus, qui vivit ex rapto. Loquitur autem non

de certo quodam milite, sed de uno, quisquis ille sit, e genere militum. Propterea *semper* addit. Quasi dicat: piscetur ille, qui meo agro potietur, miles, quod genus semper civili crimine crevit. Et quod dicit *civili crimine,* non tam bellum civile ipsum, quam belli civilis caussam, nascentem ex ambitione atque avaritia discordiam dicit. Paullo post: *Tuque inimica tui semper discordia civis.*

Verba a *crimine* usque ad alterum *semper* omittit Mon. II. Burmannus, quem offendebat *crimine,* quae vox statim v. 82. recurrit, tentat *civili — turbine*, vel *sanguine*. Est sane aliquid inconcinni in repetitione: verum id nos leniore sustulimus remedio. *crimine crevit* allitteratio.

V. 82. **O MALE DEVOTI, PRAETORUM CRIMINA, AGELLI.**

*Pratorum crimina*] Lego *raptorum*. ut malae fidei possessores, et alieni insessores denotet. SCALIGER. *praetorum crimine* Aldus. scripti apud me *pratorum crimina. raptorum* Scaliger. an forte, *praedonum*? sed vera scriptura est *praetorum crimen agelli,* ut sit epexegesis. sic infra, *felix nomen agelli,* quod Scaliger non recte accepit. nam *agellos,* non *agellum,* passim vocat hanc villam. HEINSIUS. Heinsii ad h. l. disputationem, levi verborum traiectione correctam dedi; apud Burmannum aliquid in ea turbatum est contra mentem Heinsii. Scilicet Heinsius sua non continuo scripta reliquerat, sed dispersa, adscripta hic illic marginibus librorum: unde ea collegit ac disposuit Burmannus. *praetorum* inter libros scriptos unus, vel duo: Mediceus ap. Burmannum, et Vossianus I. si f. s. tum Aldina II. a. 1534. (et haec quidem *Praetorum* cum littera mai.) MS. q. d. Pierii, margo Antverp. atque inde marg. Scalig. et Pithoei, Wernsdorfius, Putschius; et sic nunc in exemplo Lips. V. I. legitur, *praetorum crimine,* a manu, cum glossa: *crimine magistratuum. raptorum* Dilherrus et Arnoldus e coni. Scaligeri. *pratorum* in reliquis omnibus, tam scriptis, ut Petav. Thuan. etc. quam editis, inde a Romanis, etiam in Aldina I. a. 1517. et reliquis, nisi quod *parcarum,* quae est manifesta correctio, in Monac. I. Vratisl. I. legitur. Praeterea in Augustano *O maledeuoto* scriptum erat, sed quod statim ipse librarius emendavit, et in *i* mutavit; *mali* in Mutinensi. Deinde *crimina* in vulgatis ante Aldinas, et in scriptis, praeter Mon. I. et Vrat. I. omnibus, etiam in Mediceo, ut coniicio: nam turbavit aliquid in hoc codice Burmannus. *crimine* Mon. I. Vrat. I. Iensonianum exemplar a manu Gloss. Aldina utraque, et ex recentioribus Ven. 1544. 1555. 1558. Bas. 1561. Scaligg. Pith. al.

In his illud ponimus tamquam certum, quod etiam Heinsius intellexit, et Boxhornius, unice verum esse *praetorum.* Deinde quod recentioribus placuit, *crimine,* negamus ferri posse. Nempe nihil apud nostrum of-

fensionis habet, eamdem brevi spatio bis inferri vocem: monebimus infra, et passim locos, qui hac de caussa vitiosi vel Heinsio videbantur, vel Burmanno, vindicavimus. At eodem casu positam repeti, et duobus versibus continuis inferri tam inter se similia atque aequalia, *civili crimine, praetorum crimine,* id vero inconcinnum atque ieiunum, etiam Catoni. Quare sapienter alii nominativum, vel vocativum, reponendum esse censuerunt, ut sit epexegesis, sive appositio. Sic Salmasius, Burmanno referente, legebat *raptorum crimen,* et Heinsius *praetorum crimen,* quod edidit Wernsdorfius. Mirum vero, *crimen* maluisse viros doctos quam, quod librorum auctoritate tantum non omnium comprobatur, *crimina.* Fortasse haeserunt in elisione: de qua satis nos infra Diss. III. *crimina* etiam volebat Scaliger, nisi fallor. Aptissimus autem pluralis *crimina,* quum statim sequatur pluralis *agelli.* Bona est Heinsii ad h. l. observatio, sic solere Catonem *agellos* dicere suos, non *agellum.* Cf. v. 45. *nostros agellos* et *agros* v. 52. *nostros agros* v. 70. *meos agros* v. 79. et rursus *agelli* ex vera Heinsii interpretatione, v. 90. Add. Ecl. 1. 8. 20. Quam vim habeat pluralis *crimina,* an forte continuatam criminationem, et iterum iterumque inferendam praetoribus significet, nolim quaeri curiosius. Nam etsi plerumque aliquam eiusmodi plurali vim ad augendam rei magnitudinem inesse sentias, non semper tamen accurate definiri verbisque explicari potest, quae illa vis sit; et sunt loci, quibus nihil scriptores illo plurali aliud, nisi pleniorem quemdam sonum, aut ab insolentia elegantiam, aut commoditatem metri, quaesivisse dicas. Ovidius, Porsono ad Eurip. Orest. 1051. laudatus, quum dicit *clypeum, laevae gestamina nostrae,* an magno pondere clypeum dicere voluerit, incertum est: eodem iure, si licuisset per metrum, *gestamen* scripsisset, ut est apud Virgilium: *clipeum, magni gestamen Abantis.* Addam locos nonnullos Propertii. II. IV, 15. *Nam cui non ego sum fallaci* praemia *vati?* IV. I, 10. *Unus erat fratrum* maxima regna *focus.* Et in his quidem duobus locis satis aperta numeri pluralis vis est. Significat se non semel, nec leviter, sed saepe, et cum multo pecuniae damno, praedam factum esse vatum: quod nos dicimus, eine Melkkuh. In altero loco manifesta est oppositio, *unus focus, maxima regna.* Cf. II. XXV, 48. *Una sit et cuivis femina* multa mala. Ovidius Ibide v. 222. *Quaeque dies Ibin,* publica damna, *tulit.* Contra apud eumdem Propertium I. II, 32. Taedia *dum miserae sint tibi luxuriae,* nullam *taedia* pluralis propriam vim habet, sed apte sibi respondent *taedia* et *luxuriae,* ut apud Catonem *crimina* et *agelli.* II. XXXII, 2. mihi quoque prae vulgato *facti crimina lumen habet,* emendatio placet Heinsii, *facti lumina crimen habent.* Amatores quum puellas, blanda appellatione, *sua gaudia, suas delicias, suos amores,*

appellant, in ea appellatione primitus haud dubie propriam pluralis vim suam obtinebat, sive hoc sibi voluerit, varias in una puella inesse illecebras, et multa posse ex una puella gaudia capi, quem in sensum noster infra: *Gaudia semper enim tua me meminisse licebit*; sive illud, quod etiam fortius, amatori puellam esse instar gaudiorum omnium: at hoc non semper cogitaverunt scriptores. Habent enim hoc loquutiones eiusmodi, ut multo usu propriam vim suam amittant, et nihil ut restet nisi blandimentum. cf. Ecl. 20. 45.

Iam de *praetoribus* videndum est. Quam in rem quae Boxhornius disputat, qui de agro agi creditoribus Catonis addicto sibi persuaserat, etsi perinepta sunt, id tamen boni habent, quod ille de veris ac proprie dictis *praetoribus* agi h. l. intellexit. Nam quod Putschio in mentem venit, *praetores* a Catone dici belli civilis duces, quam etiam meam olim opinionem fuisse fateor, ut Sulla maxime significetur, qui dividi agros veteranis iussit: eam dudum repudiavi. Aliquid illa praesidii habet in etymologia, a *praeeundo*: verum hoc leve est. Ut enim concedas, antiquissimis temporibus *praetorem* dictum esse, vel dici potuisse, belli ducem, Catonis aetate dudum alius invaluerat usus loquendi. Antiquum usum illum quae referre videntur apud scriptores optimae aetatis, ut inveniuntur nonnulla, omnia, nisi fallor, suam quamdam explicationem legemque habent. Ut quum *praetores* appellantur a scriptoribus latinis duces, στρατηγοί, Graecorum, Carthaginiensium, cuius generis locos attingit Gronovius ad Liv. XXI. III, 4. non sequitur, *praetores* etiam appellatos esse duces Romanorum. Neque Asconius in Verrin. Act. II. lib. I. XIV. quo idem utitur Gronovius, aliud probat nisi hoc unum, fuisse *praetorium, cohortem praetoriam,* loquutiones multo usu a longo inde tempore sancitas, et quasi stabiles, etiam de eo, qui non esset *praetor* re vera. Quem autem nonnulli huc referunt, Iuvenalem X. 36. sqq. *Quid si vidisset* Praetorem *curribus altis Exstantem,* etc. quum ipse, iam diffidens aliis, per opportunitatem colloquii conviviique, quo ille me excipit singulis hebdomadibus, Heinrichio proposuissem, ille statim, ut est totius antiquitatis peritissimus, Iuvenalem vero tamquam familiarem secum habet, adhibendum esse eiusdem poetae locum alterum, XI. 191. ss. *similisque triumpho Praeda caballorum Praetor* sedet, neque de vero triumpho, aut duce belli, cogitandum esse, sed magistratum describi praesidem ludi, ornamentis triumphalibus, monuit. Igitur, si nihil aliud, admodum obscure ac perplexe loquentem haberemus Catonem, si *praetores* dixisset duces belli. Addo aliud. Ponam aliquantisper, *praetorem* posse ducem belli dici: tamen nunquam ita acceptum fuit, ut *praetorem* dicerent quemvis belli ducem, sed ut eum, qui esset magistratus, ad bellum gerendum legitime constitutus. Asco-

nius l. l. *Veteres enim* omnem magistratum *cui pareret exercitus, praetorem appellaverunt.* Similiter Marius Victorinus apud Gronovium l. l. Ut ab hac parte *praetor,* ea significatione, respondeat nostro vocabulo General, Feldherr. Iam vide quam hoc parum aptum esset, si devotos agros suos Cato diceret crimini esse den Generalen, den Feldherren. Dicendum erat, den Machthabern, den Grossen, potentum, vel tale quippiam. Qui enim variis temporibus conturbavere rempublicam, istasque odiosas agrorum divisiones fieri iussere, id non ex munere fecerunt, sed imperio militari eam in rem abusi sunt. Itaque hanc explicationem nulla ex parte tuearis. Haud dubie simplex ille Cato *praetores* proprie dixit, usitata significatione, atque ita ut intelligeretur ab omnibus. Quos vero *praetores*? aut quem *praetorem*? Ad eam rem duas inveniri posse responsiones video: unam ex vulgari opinione, alteram ex mea paullo post proponenda. Nempe si, quae vulgaris opinio, agi hoc loco de agro militibus assignato statuas, *praetores* esse debent magistratus qui agris dividendis praeerant. Iam vero hi magistratus, quod non diserte commemorat diligens caeteroqui de coloniis scriptor, Sigonius, aut plerumque, aut quoniam de hoc ambigere me, neque ipsum collecta habere omnia fateor, tamen nonnunquam potestate fuere praetoria. Sic decemviri isti Rulliani: Cic. de lege agr. II. xiii. In quibus si hoc aliquid inusitati fuisset, vehementius indignantem Ciceronem videremus. Nunc illud indignatur, quod potestatem illis det Rullus *verbo praetoriam,* re vera *regiam.* Paullo post lex agraria Iulia Vigintiviros agro metiundo dividendo iussit *potestate praetoria* esse: cf. Fragm. legis in Goesii Auctoribus R. A. p. 351. Sueton. August. iv. Quod si quis obiiciat, de agris plebi dividendis utroque loco, non de militaribus coloniis, sermonem esse, et Sullam fortasse quum agros veteranis divideret, alium modum sequutum esse: ego de modo, quo Sulla usus sit, nihil habeo compertum, sed tamen eum, vel eos, quos huic negotio praefecit Sulla, cur potestate minus quam *praetoria* fuisse putemus, nulla caussa est. Sic iussu Caesaris Q. Valerium Orcam missum reperio, legatum *pro praetore*: Cic. Epist. Fam. XIII. iv. et v. Minus constat de Cluvii et de Rutilii negotio ac potestate, ibid. Epist. vii. viii. Agrorum divisioni ei, quae Virgilium attigit, praeerat, qui totam regebat provinciam, Asinius Pollio: si fides Servii Donatique locis, de quibus Heynius in Vita Virgilii ad annum 713. disputat. Ut aptissime Cato *praetorem* accusare, sive *praetores,* videatur. Verumtamen mea ab hac diversa opinio est. Demonstravi in Vita Catonis, vel quoniam *demonstravi* non audeo dicere, quum res in coniectura posita sit, quantumvis probabili, demonstrare studui e Suetonio, bis spoliatum Catonem, hoc est, agrum primo abiudicatum Catoni actione iudiciali, coram praetore,

tum esse assignatum militibus. Atque illius prioris facti meminit Cato hoc versu: *O male devoti, praetorum crimina, agelli. Praetorum,* usitata significatione, ut significet iudicem suum, praetorem provinciae suae. Egregie hanc in sententiam *devoti,* quod non est perditi, amissi, in universum, sed proprie damnati, destinati iacturae: quamdiu enim ager abiudicatus tantum Catoni, non domino assignatus novo erat, poterat non penitus amissus videri. Observandus etiam pluralis *praetorum*: de quo plurali monitum obiter ad v. 73. re vera unus tantum praetor fuit haud dubie, qui abiudicavit agrum Catoni. Nisi per duos annos, et a diversis praetoribus, caussa agitata Catonis fuerit.

V. 83. TUQUE INIMICA TUI SEMPER DISCORDIA CIVIS.

*Tuque inimica tui*] Et Virgilius:

— *en quo discordia cives*
*Perduxit miseros* — SCAL.

Eumdem locum annotaverat Badius. Observetur vis *que* particulae. Scilicet quum hoc versu *discordiam* accusat *civilem*, id non idem est quod versu praeced. questus erat. In unum coniungit duo diversa facinora, quibus factum, ut ipse penitus atque in perpetuum spoliatus sit agro suo: prius, quo abiudicatus fuit legitimo domino ager; alterum, quo assignatus militibus.

*discrimina cernis* Medic. *cuius* Vratisl. I. *tui* — *civis* in omnibus, etiam Aldinis, pro quo Heinsius et Wernsdorfius malebant *tuo* — *civi.* Non male Putschius eo tuetur genitivum, quod *discordia* προσωποποιεῖται. Vel sic tamen fatendum est, rarius esse *inimicus* cum genitivo, quam alterum. Veluti in Epistolis Ciceronis quae dicuntur ad Familiares, saepius me *inimicus* cum dativo legere memini, cum genitivo ne semel quidem. Sed est tamen hoc alibi, maxime in superlativo: Orat. de Provinciis consul. v, 11. *inimicissimum ordinis equestris, bonorumque omnium.* ibid. viii, 18. *inimicissimus et ipsius, et fratris eius, Africani.* Unde illud *cum suis inimicissimis* ibid. ix, 21. quemadmodum *mei familiarissimi* dicitur, et *suam benevolentem* Plaut. Cistell. II. iii, 43. *tui benevolentis* Trin. I. ii, 8.

V. 84. 85. EXSUL EGO, INDEMNATUS, EGENS, MEA R. R. etc.

*Exsul* in nulla ante Scaligeranas et Pith. reperio. *Exul* in antiquioribus omnibus, et in Augustano, scriptisque, ut puto, caeteris. Deinde *indemnatus* in editione omni et in scriptis recentioribus; *indamnatus* in Medic. Paris. III. IV. Angl. August. *indampnatus* in Thuan. Leid. et quod idem est, *egomdampnatus* in Paris. II. *indempnatus* in Mon. I. II.

Vrat. I. Praeterea de interpunctione quaeritur, utrum distinguendum post *ego*, an iungendum sit *Exsul indemnatus*. Placet cum distinctione, ut est in Vratisl. I. in Romana I. cod. Bas. Ven. Achat. tum in Virg. Aldi, Aldinis, et recentioribus. Est enim hoc fortius, et placet asyndeton, *exsul, indemnatus, egens*. Attius Medea ap. Nonium p. 12, 9. *Exsul, inter hostis, exspes, expers, desertus, vagus*. Seneca Medea v. 20. 1. *per urbes erret ignotas egens, Exsul, pavens, invisus, incerti laris*. Ovidius Ibide v. 113. *Exsul, inops erres*. Sallust. Catil. XXXIII. *miseri, egentes, — — expertes*. Iugurth. XIV, 17. *exsul patria, domo, solus et — egens*. ubi nonnulla etiam asyndeto memorabilia laudat Cortius. Et si quis asyndeti in substantivis exemplum expetat, Pacuvius Periboea ap. Nonium p. 3. *metus, egestas, moeror, senium, exsiliumque et senectus*. *indemnatus* contra Heinsium, qui *Exsul ego, en damnatus* correxerat, Burmannus tuetur loco Ciceronis apposito, in Verrem lib. V. c. VI. *ut quam damnatis servis crucem fixeras, hanc* indemnatis *civibus Romanis reservares*. Poterat aptiorem, et qui propius accedere ad rem Catonis videtur, de Lege agraria c. R. Orat. II. XXI. *L. Sulla quum bona* indemnatorum *civium funesta illa auctione sua venderet, et se praedam suam diceret vendere, tamen ex hoc loco vendidit*. Quamquam, ut ego Catonem accipiendum esse monui, incertum est, utrum *indemnatus* magis priorem iniuriam, iniquitate illatam praetoris, an hoc spectet, quod sua iura devolvi ad militem videt.

V. 85. *funesta* Mon. II. *prelia* Vrat. II. *praelia* Mediol. 1501. Virg. Aldi, Taur. 1518. marg. Lugd. 1529. et Venetar. 1544. 1555. 1558. In fine autem cod. Angl. Romanae, Veneta Achat. et inter recentiores Burmannus interrogationem faciunt: non bene, ut arbitror. cf. ad v. 87. Ad sententiam aptus Lucanus I. 341. in oratione Caesaris:

*His saltem longi, non cum duce,* praemia belli
*Reddantur.*

Lepidus ap. Sallustium in Fragmentis Hist. lib. I. *Verum ego seditiosus, uti Sulla ait, qui* praemia turbarum *queror*. et ubi de veteranis, paullo post: *egregia scilicet* mercede, *cum relegati in paludes et silvas, contumeliam atque invidiam suam,* praemia *penes paucos intelligerent*.

Caeterum hic illud reputandum est, quod pag. 14. docuimus de scena carminis: *φαντασία* elegantissima. Non amplius est in medio agro suo: dicit enim *reliqui, mea rura reliqui*. Pro quo *relinquam* erat in cod. Leidensi ap. Burm. quod et ipsum haud absurdum foret, si adhiberetur interrogatio. Sed auctoritas eius codicis plane nulla est.

V. 86. HINC EGO DE TUMULO MEA RURA NOVISSIMA VISAM. Occupat stationem in loco edito: hoc est, fingit se occupare. Qui locus, *tumulum* dicit Cato, in parte agri Catoniani extrema situs erat. nam pertinuisse locum ad agrum Catonis, non fuisse extra fines Catonis, ex v. 91. intelligitur, ubi poeta capellis pabula eius tumuli, vel, ut ibi dicit, *montis, nota* commendat. Et credibile est, apud hunc tumulum totum carmen cani. Etsi neque haec insuavis imago erit, si quis poetam longius longiusque recedere inter canendum statuat, sed pedetentim. Ab hoc autem versu usque ad finem carminis persistere in summo tumulo, h. e. colle, sive ut v. 91. dicit, *monte,* putandus est. *Hinc,* inquit, *de tumulo visam novissima rura mea,* i. e. extremum agrum meum. Omnia visere iam non potest; et mox, si ulterius abierit, nihil se visurum esse dicit. *novissima* eo modo, quo a me acceptum est, iam accepit Badius, sed addit duas alias explicationes, quarum una apta est ad versum 93. *Ego visam hinc — mea rura novissima. i. extremos fines eorum: aut visam novissima. i. novissime aut novissimo de tumulo mea rura.*

*Hinc* in meis omnibus, nullus *Hic.* Moneo contra Heinsium, qui *Hinc* proprium esse Aldinis putabat. *Tunc* volebat Boxhornius. Deinde *cumulo* vitium est editorum ante Aldinas, itemque scriptorum recentiorum. sed *tumulo* est in scriptis antiquioribus omnibus, in Mutinensi, Virg. Aldi, Taur. 1518. Ascens. II. III. et in exemplo Lips. V. I. a manu Gloss. Et *tumulo* non solum Badius legebat, ut docet expositio eius, sed etiam ante Badium Domitius: intelligunt enim tumulum, sive sepulcrum, Bianoris: de quo errore cf. infra dicenda Diss. I. De sepulcro cogitabat etiam aliquando Burmannus, et annotaverat locum, ut tum videbatur, similem, Anth. Lat. IV. CCCLV. sed recte mutat sententiam.

*te tumulo* Medic. In Augustano ita: *detumulamae arura n. u. viscam* cod. Petavianus, testante Heinsio ad v. 80. *nisam* Paris. IV. Signum interrogandi addunt Angl. Romana I. Ven. Achat. et nuper Arnoldus, Wernsdorfius, Putschius.

V. 87. HINC IBO IN SILVAS: OBSTABUNT IAM MIHI COLLES.

*Hinc ibo in silvas*] Interrogative seu ἐρωτηματικῶς haec omnia legenda sunt. Nec mihi, inquit, adire licebit campos, tanquam colles mihi obstent, aut montes? SCALIG. ῥητορικώτερον quam pro hoc poeta. Simpliciter, sine interrogatione: si longius abiero, inquit, veniam in silvas; et colles, montes, obstabunt, quominus conspiciam campos meos: voce tantum attingere meos campos, iisque vale dicere potero, non item oculis. Quare persistam aliquantisper in hoc colle, sive tumulo, ut oculis videam campos, dum vale dico. Scaligero obsequuti interrogatio-

nem in *silvas* fecerunt Arnoldus, Wernsdorfius, Putschius. Angl. etiam in *colles*.

*Hic* Vratisl. I. *Hinc cibo* Paris. II. *Hinc ego* Mon. II. sed mutatum in *ibo*. *abstabunt* idem.

V. 88. OBSTABUNT MONTES. CAMPOS AUDIRE LICEBIT. Sic et editi omnes ante Badium et Aldinas, et scripti tam Burmanni, Petav. Thuan. Med. Voss. et Leidensis, quam mei, duobus exceptis, omnes. Scilicet in Ascensianis I. et II. nam de tertia dubito; ap. Cronflit. in Aldinis, Bas. 1543. Lugd. 1529. Venetis 1544. 1555. 1558. Lugd. et Antv. 1556. Bas. H. P. 1561. apud Scaligerum, Pithoeum, et in recentioribus ita legitur:

*campos* nec adire *licebit.*

Aldinis non multum tribuerim hoc loco, quum facilis in promptu sit suspicio, ex Ascensianis illud devenisse in Aldinas. Badius vero interpretatur locum ex ea scriptura; unde sumpserit ipsam, non addit, neque commemorat vulgatam *c. audire l.* E scriptis unus cum Badio Aldinisque faciebat Voss. I. si f. sil. Nam Anglicanus non multum iuvat, in quo *campos adire l.* Utut sit, (sive inveniatur in libro aliquo, sive non inveniatur,) suo se vitio prodit ac perdit inficeta correctio. Non perceperat corrector venustatem Catonianam. Tollenda est post *licebit* distinctio maior, quae antiquos libros obtinet, paucis exceptis, ut Veneta Achat. et Veneta Iens. quarum illa colon, haec nullam interpunctionem habet, non consulto, sed casu utraque. Pendent a verbo *audire* duo versus qui sequuntur, eo modo, quem supra declaravi ad v. 30. *campos audire licebit* : *dulcia rura valete* etc. Eadem constructio verbi *licere* in Ciri v. 10. *In quo iure meas utinam requiescere Musas, Et leviter blandum liceat deponere morem.* cf. ibid. 90. 443. sqq. Add. Cato ipse, Dir. 103. si ibi verum sit, ut potest verum esse, *licebit.* Manil. I. 25. ibique Bentlei.

Illud *Obstabunt montes,* ut a me explicatum est ad v. 87. iam recte accipiebat Gloss. V. I. qui adscripsit: *ut mea rura videre non possim. licebat* Vrat. I.

V. 89. DULCIA RURA VALETE. Hoc igitur illud vale est, quod campos etiam tum percepturos esse dicit, quum ipse tam longe digressus fuerit, ut non amplius conspicere campos possit. Itaque significat, se digredientem iterum iterumque hoc modo vale dicturum esse ruribus. Id vale autem praecipit hoc loco, dum est in conspectu ruris. Tum v. 95. iterum atque ultimum vale dicit: hoc est, ultimum, in conspectu ruris.

*lycida* Mon. I. *licida* Mon. II. *lidia* Angl. Paris. II. Bas. Prae-

terea in Bas. inter *valete* et particulam *et* aliquantum spatii est, in quo aliquid videtur erasum esse. Fortasse aberraverat librarius, et statim delevit errorem.

V. 90. ET CASTI FONTES, ET FELIX NOMEN AGELLI.

*Et felix nomen agelli*] Graecanice enunciatum, *nomen agelli*, hoc est, *agellus*. Aeschynes *σὺ δὲ τὸ μὲν Θηβαίων ὄνομα, καὶ τὸ τῆς δυστυχεστάτης συμμαχίας ἐνοχλεῖς ἀεὶ λέγων* etc. Albinovanus in Epicedio Drusi:

*Fluminaque, et fontes, et nomina magna locorum.*

Caecilius Comicus:

*Nomen virginis, nisi mirum est, deintegravit.* SCAL.

Scaligero adhaeret Acidalius ad Vell. Pat. II. LXIX. p. 1007. ed. Ruhnk. Adhaerebat etiam Burmannus ad Anthol. Lat. T. I. p. 605. 6. at nostrum ad locum amplectitur Heinsii explicationem, quam ille ad v. 82. proposuit, ubi verba Heinsii nos quoque exhibuimus. Et sane hoc tutissimum est, amplexique sunt Heinsii explicationem Wernsdorfius et Wakefieldius ad Lucret. I. 231. pag. 53. Cf. de hac appositione sive epexegesi Burmanno observata ad h. l. Heins. et Cort. ad Lucan. I. 313. Idem ante Heinsium senserat G. Canterus Novar. Lect. II. x. p. 551. T. III. Thes. Grut. ubi hoc, *felix nomen agelli*, comparat cum Virgiliano *Silvius Albanum nomen*, et cum Tibullo III. IV, 61. *nec fidum femina nomen*, aliisque locis. Ut nonnihil ego quoque conferam, in Ciri v. 224. quod in cod. Basil. Veneta Rub. Vicentina et Vossiano II. est, *sacrum caput — alumna*, praefero haud cunctanter scripturae Aldinae *alumnae*. Huc etiam refero Culicis locum v. 399. *Et violae omne genus*: *hic est et Spartica myrtus*: nam sic ibi scribendum haud dubie e scriptis meis tam antiquis quam recentioribus, et antiquitus editis. non, ut traiecta sunt verba apud Heynium, *Et violae genus omne hic est, et Sp. m.* De epitheto tantum *myrti* quaeritur, utrum tenendum sit *Spartica*, quod mihi, si formam spectes, haud indignum poeta iuvene, et quantum ad rem attinet, egregie communitum loco Catulli Epith. P. et Th. 89. videtur; an sit aliquid tentandum. In Augustano *hic est etispartica* legitur, et sic, *et ispartica*, aut in Petaviano aut in Thuaneo, aut in utroque, invenerat Vossius; *et partica* in Vossiano 81. Constat tamen non minus usitatum alterum loquendi genus esse, de quo ad nostrum Catonis locum Scaliger, et usitatum quidem non solum poetis, sed etiam aliis scriptoribus, ut in Oratione pro domo XVII, 43. *proscriptionis miserrimum nomen illud*; neque est in Catonis loco quicquam, quod explicationi obstet Scaligeri, praeter illud Heinsio observatum, quod Cato *agellos*, non *agellum*, vocare villam suam solet:

quam in rem collectos a me Catonis locos habes ad v. 82. Nostrum, *felix nomen agelli*, laudat etiam Scaliger ad Tibull. III. iv. 61. sed ita, ut incertum sit, utrum hoc an illo modo acceperit: miscet enim exempla utriusque generis.

*castos* fontes Badius interpretatur puros et limpidos ac sacros. Sacri notio aliena est; reliqua bene. Eumdem in sensum Wakefieldius ad Lucret. l. l. p. 52. 53. Lucretianum *ingenui fontes*, ex Copa versum 15. *Et quae virgineo libata Acheloïs ab amne*, quo tamen loco paullo post *virgineo ab ungue* legendum esse ait, Aeschylum Pers. 613. λιβάσιν ὑδρηλαῖς παρθένου πηγῆς μέτα, ubi ipse μέγα legit, et hunc Catonis versum inter se comparat. Cf. si placet, Aeschyli interpretes. Non aliena ab hac quaestione *Aquae Virginis* appellatio est, quae haud dubie a sua virtute, non ab obscura quadam virguncula, nomen habuit. Ad rem non multum differt Virgilius Culice v. 77.

*Semper opaca novis manantia fontibus antra.*

ubi, sive coniungas *Semper-novis*, sive ad vocem *novis* repetas cogitatione *semper, fontes* intelliguntur. ut Taubmannus ait cum Barthio, qui semper innovantur, succedente aqua ingenua.

V. 91. TARDIUS AH MISERAE DESCENDITE MONTE CAPELLAE. Fingit se abire cum grege suo. Ut ille Virgilii Meliboeus Ecl. I. Ut autem ipse invitus discedit, et moratur in conspectu agrorum suorum, ita morari pecus iubet: tardius descendite, carpite pabula nota, dum licet; mox non licebit. Omnia simplicissima, sed venustissima, et ex intimis pectoris sensibus hausta. *ha* Angl. Romanae cum cod. Bas. Veneta Ach. Vicent. cum Voss. II. Ven. 1482. aliae. *a* Paris. III. Mon. I. *a misere* Parisin. IV. Thuan. *amiserae* August. *amisere* Paris. II. Mon. II. *misere* etiam in Mediceo fuit. *capelle* Mon. II. et Veneta Ach. quae nusquam *ae* habet. *descendente* Rom. I. corrupte. *nostrae* coni. Scriver. ap. Burm.

V. 92. MOLLIA NON ITERUM CARPETIS PABULA NOTA. Nihil variant libri, praeter Venetam Achat. in qua corrupte *itum* pro *iterum*. Heinsius adscripserat: forte *rupis notae*. Itaque volebat *Rupis non iterum c. p. notae.* Similiter Wakefieldius loco paullo ante laudato, ad Lucret. I. 231. p. 53. *Collis non i. c. p. noti.* Scilicet utrumque virum doctum male habebat geminatum epitheton *Mollia — nota.* Multo infelicius Wernsdorfius: *An forte motae scilicet stabulis?* *Notus* epitheton nulla conditione delendum erat, ut in quo vis loci. *Mollia* enim etiam alibi inventurae capellae erant pabula, sed non consueta, non haec pabula. Vulgatum recte agnoscit Broukhusius ad Tibull. III. v, 22. Cf. infra disputanda Diss. III. de epithetis geminatis.

*pabula nota.* Virgilius Georg. IV. 266. de apibus: *fessas ad pabula nota vocantem.* Ciri v. 300. *Dictaeas ageres ad gramina nota capellas.*

V. 93. TUQUE RESISTE PATER. EN PRIMA NOVISSIMA NOBIS.

*Tuque resiste*] Corruptissimus locus, et alieno loco positus. Puto primum eum post hunc versum reponendum:

*Sive eris, et si non, mecum morieris, utrunque:*
*Tuque eris isti par, et prima novissima nobis.*

Deinde ita interpretor: Sive eris, et si non, Graecismus: *ἀμφότερον, ἢ οὖσα, ἢ μὴ οὖσα.* ut illud:

*Ἀμφότερον, ῥητῆρά τ' ἐπῶν πρηκτῆρά τε ἔργων.*

*Tuque eris isti par.* Eris semper compar mihi. idem iugum trahemus, ut iam dixit, *mecum morieris. Isti,* id est, isti homini Comice dictum, pro mihi, δεικτικῶς. Exempla occurrunt apud Terentium, et Plautum. Ut, *isti homini debentur viginti minae.* id est, mihi. Ergo, ut interpretatus sum, ita lego:

*Tuque eris isti par* — pro, *Tuque resiste pater.*

*Et prima novissima*] Nam mecum vives, mecum morieris. Propertius:

*Cynthia prima fuit: Cynthia finis erit.* SCALIGER.

Nihil in his bonae frugis est praeter explicationem versus 96. Scaligeri tamen auctoritate hunc versum post v. 96. *Sive eris* etc. posuit Arnoldus, ita mutatum: *Tuque mihi ipsi par; tu prima, novissima, nobis. Tuque mihi ipsi par* Dilherri lectionem esse dicit.

Difficilis locus, sed magis virorum doctorum dubitationibus quam sua difficultate. Pertractabimus ordine singula. Primo quod in libris tantum non omnibus habetur, *Tuque resiste pater*: tam planum nobis quidem est, dum nexum huius versus cum praecedentibus perpendimus, ut mirer exstitisse, qui aut vehementer corruptum locum, aut quaerendum esse, qui sit *pater,* existimaverint. Intelligendum esse patrem gregis, caprum, vidit Heinsius, qui Catonem v. 131. *Felix taure pater magni gregis,* et v. 134. *Et pater haedorum felix,* ac Petronium laudat, cap. CXXXIII. *tuas hircus pecoris pater ibit ad aras Corniger.* Propius ad Catonem, eademque brevitate Valerius Flaccus I. 89. 90.

*dabit auratis et cornibus igni*
*Colla pater, niveique greges altaria cingent.*

Ut apud Catonem praecedentia, ita apud Flaccum subsequentia declarant, *patrem* intelligendum esse *gregis.* Sic poterat Cato, si placuisset, *ducem* simpliciter appellare caprum: statim quisque percepturus erat, intelligi ducem gregis. Alio tempore Heinsius coniecerat *caper*: non magna mutatione, sed multo festivius atque ad consuetudinem vitae rusticae

accommodatius *pater* est. Antiquissimi interpretes, ut Badius, de *patre* cogitabant poetae ipsius, et sic Gloss. V. I. qui adscripsit: *mane o Maro.* Scriverius apud Burmann. *patrem* putabat Battarum fluvium dici, ut Rhenus *pater* appellatur.

In posteriore versus parte aliquid turbatum est. Libri scripti, Thuan. Petav. Vossian. et Medic. apud Burmannum, meique cuncti, tum editi, exceptis paucis, iisque non antiquis, de quibus statim singulatim dicetur, etiam Aldinae:

*et prima novissima nobis.*

pleraeque cum distinctione maxima post *nobis*, aut cum colo, ut Rom. I. et Ven. Acbat. Ea distinctio nulla est in cod. Angl. Bas. Mutin. Ascensianis, Aldin. I. Lugd. 1529. Ven. 1555. 1558. Bas. H. P. 1561. ut haec iungantur cum sequentibus *Intueor campos.* Quicquid hoc sit, sive iungantur, sive non iungantur, corruptam esse *et* particulam apparet. Quare eam alii tentarunt aliis modis. *haec prima, novissima nobis Int. c.* Virgilius Aldi, Taurinensis, Mogunt. 1549. Francof. 1610. et cum puncto post *nobis* Basil. 1543. Lugd. 1556. *sunt* in margine Basil. 1543. et marg. Francof. 1610. *an* inter varias lectiones apud Arnoldum est, nescio unde. *en*, quod inter omnia facile optimum, Antverpiensis 1556. Scaligeranae, Antv. 1580. Lugd. 1592. Pithoeus, Boxh. Burm. Wernsd. Atque in eo acquiescendum haud dubie, etsi hoc ipsum *en* nihil esse nisi coniecturam censeo, illatam in Scaligeranas, et quidem invito Scaligero, nescio unde, fortasse ex editione Antverpiensi. Sed quantillum hoc mutationis, mutare *et* in *en*. An exempla aliquis desiderat, ut confundi *en*, *et* a librariis credat? Conferat, si exemplis opus in eo, quod si non accidisset, mirum esset, Tibullum IV. vi, 15. et quid ibi sit in libris; Virg. Ecl. VIII. 7. Apud Propertium IV. xi, 13. 4. recte nunc fertur:

*Num minus immites habui Cornelia Parcas?*
*En sum quod digitis quinque levatur onus.*

etsi *en* solus Groninganus, isque non sine litura. Caeteri *Et sum*, quod ferri poterit, ut acceptum est a Scaligero, ut una sit interrogatio, duobus membris: Num minus immites Cornelia Parcas habui? num minus mortua sum? Sed illa interrogatio et responsio maiorem vim varietatemque infert, eoque dignior est hac aevi Augusti elegia. Quamquam est etiam hac in re modus. Idem Propertius IV. vi, 59. 60. haud dubie scripsit:

*At pater Idalio miratus Caesar ab astro:*
*Sum deus, et nostri sanguinis ista fides.*

*en nostri* Palatini apud Gebhardum, narrante Broukhusio, etsi ab ipso Gebhardo Animadv. in Propert. nihil tale observatum reperio. Verum

ut habuerit *en* Palatinus, vel Palatini, cave ne amplectaris. Plus est, nisi fallor, in simplicitate ista maiestatis: sum deus, inquit, et istis rebus gestis sanguis se noster approbat: ego sum deus, et Augustus his factis se sanguinem esse nostrum, hoc est, ipsum quoque deum, probat. In priore versu malim cum Lachmanno *miratur*, sed sensu prorsus diverso: ut sit quasi *mirans ait*. At apud Catonem egregiam et prorsus suam vim habet *en* particula: admonet enim aliquid magni et in quo multum momenti sit, sequuturum esse. Quid autem maius et gravius, quam ultimum intueri poetam campos suos? Itaque haec breviter sententia loci est. Sed hoc exornavit. Dicit enim non *ultimum* vel *novissimum* simpliciter, sed *prima novissima*, vel *prima, novissima* cum distinctione, ut est in prima Aldi, Lugd. 1529. Bas. H. P. 1561. Scaligeranis, Pith. reliquis. Ab iisdem, praeter Aldinam II. et Pithoeum, recte interpunctio abest in fine versus, ut etiam ab aliis nonnullis, quas supra recensui. *prima novissima intueor* quum dicit, significat, diu se haerere in hoc ultimo adspectu camporum suorum, et nunc primum, nunc secundum, nunc tertium, denique quartum et ultimum intueri campos: ut facit qui aegre divellitur ab aliquo adspectu. Eamdem rem ulterius declarat additum versu seq. *longum*. Denique *nobis* non otiosum est; opponit poeta se militi: mihi hic ultimus adspectus camporum est, manet in illis miles.

De productione *Tuque resiste pater*: *en* hi loci sufficiant: Virg. Ecl. IX. 66. X. 69. Aen. I. 668. II. 411. V. 284. XI. 469. Tibull. I. x, 13.

*Desine plura puer, et quod nunc instat agamus.*
*Omnia vincit amor, et nos cedamus amori.*
*Littora iactetur, odiis Iunonis iniquae.*
*Nostrorum obruimur, oriturque miserrima caedes.*
*Olli serva datur, operum haud ignara Minervae.*
*Concilium ipse pater et magna incepta Latinus.*
*Nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis.*

Elegi eos locos, qui per omnia similes sunt ac pares Catonis versui, non quod credam, quae Gifanii videtur Collectan. in Lucret. col. 266. sq. ed. Lucret. Haverc. opinio esse, singulari litteram *r* ad iuvandam productionem praeditam vi fuisse. Neque proprium hoc penthemimeri est, breves producere syllabas. Etsi, exempla si numeres, saepissime fit in penthemimeri productio: et sane haec est, in qua vim inesse plurimam consentaneum est, quum sit caesura versus heroici primaria. Accedit quod, quum saepe in hac sede oratio aut pars orationis terminetur, quod quidem ea ipsa de caussa fit, quia haec caesura primaria est, multam finis sententiae atque interpunctio ad iuvandam productionem vim habent. Quam in rem commode Huschkius ad Tibull. II. II, 5. Ser-

nius l. l. *Veteres enim* omnem magistratum *cui pareret exercitus, praetorem appellaverunt.* Similiter Marius Victorinus apud Gronovium l. l. Ut ab hac parte *praetor,* ea significatione, respondeat nostro vocabulo General, Feldherr. Iam vide quam hoc parum aptum esset, si devotos agros suos Cato diceret crimini esse den Generalen, den Feldherren. Dicendum erat, den Machthabern, den Grossen, potentum, vel tale quippiam. Qui enim variis temporibus conturbavere rempublicam, istasque odiosas agrorum divisiones fieri iussere, id non ex munere fecerunt, sed imperio militari eam in rem abusi sunt. Itaque hanc explicationem nulla ex parte tuearis. Haud dubie simplex ille Cato *praetores* proprie dixit, usitata significatione, atque ita ut intelligeretur ab omnibus. Quos vero *praetores*? aut quem *praetorem*? Ad eam rem duas inveniri posse responsiones video: unam ex vulgari opinione, alteram ex mea paullo post proponenda. Nempe si, quae vulgaris opinio, agi hoc loco de agro militibus assignato statuas, *praetores* esse debent magistratus qui agris dividendis praeerant. Iam vero hi magistratus, quod non diserte commemorat diligens caeteroqui de coloniis scriptor, Sigonius, aut plerumque, aut quoniam de hoc ambigere me, neque ipsum collecta habere omnia fateor, tamen nonnunquam potestate fuere praetoria. Sic decemviri isti Rulliani: Cic. de lege agr. II. XIII. In quibus si hoc aliquid inusitati fuisset, vehementius indignantem Ciceronem videremus. Nunc illud indignatur, quod potestatem illis det Rullus *verbo praetoriam,* re vera *regiam.* Paullo post lex agraria Iulia Vigintiviros agro metiundo dividendo iussit *potestate praetoria* esse: cf. Fragm. legis in Goesii Auctoribus R. A. p. 351. Sueton. August. IV. Quod si quis obiiciat, de agris plebi dividendis utroque loco, non de militaribus coloniis, sermonem esse, et Sullam fortasse quum agros veteranis divideret, alium modum sequutum esse: ego de modo, quo Sulla usus sit, nihil habeo compertum, sed tamen eum, vel eos, quos huic negotio praefecit Sulla, cur potestate minus quam *praetoria* fuisse putemus, nulla caussa est. Sic iussu Caesaris Q. Valerium Orcam missum reperio, legatum *pro praetore*: Cic. Epist. Fam. XIII. IV. et V. Minus constat de Cluvii et de Rutilii negotio ac potestate, ibid. Epist. VII. VIII. Agrorum divisioni ei, quae Virgilium attigit, praeerat, qui totam regebat provinciam, Asinius Pollio: si fides Servii Donatique locis, de quibus Heynius in Vita Virgilii ad annum 713. disputat. Ut aptissime Cato *praetorem* accusare, sive *praetores,* videatur. Verumtamen mea ab hac diversa opinio est. Demonstravi in Vita Catonis, vel quoniam *demonstravi* non audeo dicere, quum res in coniectura posita sit, quantumvis probabili, demonstrare studui e Suetonio, bis spoliatum Catonem, hoc est, agrum primo abiudicatum Catoni actione iudiciali, coram praetore,

tum esse assignatum militibus. Atque illius prioris facti meminit Cato hoc versu: *O male devoti, praetorum crimina, agelli.* *Praetorum,* usitata significatione, ut significet iudicem suum, praetorem provinciae suae. Egregie hanc in sententiam *devoti,* quod non est perditi, amissi, in universum, sed proprie damnati, destinati iacturae: quamdiu enim ager abiudicatus tantum Catoni, non domino assignatus novo erat, poterat non penitus amissus videri. Observandus etiam pluralis *praetorum*: de quo plurali monitum obiter ad v. 73. re vera unus tantum praetor fuit haud dubie, qui abiudicavit agrum Catoni. Nisi per duos annos, et a diversis praetoribus, caussa agitata Catonis fuerit.

V. 83. TUQUE INIMICA TUI SEMPER DISCORDIA CIVIS.

*Tuque inimica tui*] Et Virgilius:

*— en quo discordia cives*
*Perduxit miseros —* SCAL.

Eumdem locum annotaverat Badius. Observetur vis *que* particulae. Scilicet quum hoc versu *discordiam* accusat *civilem*, id non idem est quod versu praeced. questus erat. In unum coniungit duo diversa facinora, quibus factum, ut ipse penitus atque in perpetuum spoliatus sit agro suo: prius, quo abiudicatus fuit legitimo domino ager; alterum, quo assignatus militibus.

*discrimina cernis* Medic. *cuius* Vratisl. I. *tui — civis* in omnibus, etiam Aldinis, pro quo Heinsius et Wernsdorfius malebant *tuo — civi.* Non male Putschius eo tuetur genitivum, quod *discordia* προσωποποιεῖται. Vel sic tamen fatendum est, rarius esse *inimicus* cum genitivo, quam alterum. Veluti in Epistolis Ciceronis quae dicuntur ad Familiares, saepius me *inimicus* cum dativo legere memini, cum genitivo ne semel quidem. Sed est tamen hoc alibi, maxime in superlativo: Orat. de Provinciis consul. v, 11. *inimicissimum ordinis equestris, bonorumque omnium.* ibid. VIII, 18. *inimicissimus et ipsius, et fratris eius, Africani.* Unde illud *cum suis inimicissimis* ibid. IX, 21. quemadmodum *mei familiarissimi* dicitur, et *suam benevolentem* Plaut. Cistell. II. III, 43. *tui benevolentis* Trin. I. II, 8.

V. 84. 85. EXSUL EGO, INDEMNATUS, EGENS, MEA R. R. etc.

*Exsul* in nulla ante Scaligeranas et Pith. reperio. *Exul* in antiquioribus omnibus, et in Augustano, scriptisque, ut puto, caeteris. Deinde *indemnatus* in editione omni et in scriptis recentioribus; *indamnatus* in Medic. Paris. III. IV. Angl. August. *indampnatus* in Thuan. Leid. et quod idem est, *egomdampnatus* in Paris. II. *indempnatus* in Mon. I. II.

Vrat. I. Praeterea de interpunctione quaeritur, utrum distinguendum post *ego*, an iungendum sit *Exsul indemnatus*. Placet cum distinctione, ut est in Vratisl. I. in Romana I. cod. Bas. Ven. Achat. tum in Virg. Aldi, Aldinis, et recentioribus. Est enim hoc fortius, et placet asyndeton, *exsul, indemnatus, egens*. Attius Medea ap. Nonium p. 12, 9. *Exsul, inter hostis, exspes, expers, desertus, vagus*. Seneca Medea v. 20. 1. *per urbes erret ignotas egens, Exsul, pavens, invisus, incerti laris*. Ovidius Ibide v. 113. *Exsul, inops erres*. Sallust. Catil. XXXIII. *miseri, egentes, — — expertes*. Iugurth. XIV, 17. *exsul patria, domo, solus et — egens*. ubi nonnulla etiam asyndeto memorabilia laudat Cortius. Et si quis asyndeti in substantivis exemplum expetat, Pacuvius Periboea ap. Nonium p. 3. *metus, egestas, moeror, senium, exsiliumque et senectus*. *indemnatus* contra Heinsium, qui *Exsul ego, en damnatus* correxerat, Burmannus tuetur loco Ciceronis apposito, in Verrem lib. V. c. VI. *ut quam damnatis servis crucem fixeras, hanc* indemnatis *civibus Romanis reservares*. Poterat aptiorem, et qui propius accedere ad rem Catonis videtur, de Lege agraria c. R. Orat. II. XXI. *L. Sulla quum bona* indemnatorum *civium funesta illa auctione sua venderet, et se praedam suam diceret vendere, tamen ex hoc loco vendidit*. Quamquam, ut ego Catonem accipiendum esse monui, incertum est, utrum *indemnatus* magis priorem iniuriam, iniquitate illatam praetoris, an hoc spectet, quod sua iura devolvi ad militem videt.

V. 85. *funesta* Mon. II. *prelia* Vrat. II. *praelia* Mediol. 1501. Virg. Aldi, Taur. 1518. marg. Lugd. 1529. et Venetar. 1544. 1555. 1558. In fine autem cod. Angl. Romanae, Veneta Achat. et inter recentiores Burmannus interrogationem faciunt: non bene, ut arbitror. cf. ad v. 87. Ad sententiam aptus Lucanus I. 341. in oratione Caesaris:

> *His saltem longi, non cum duce,* praemia belli
> *Reddantur.*

Lepidus ap. Sallustium in Fragmentis Hist. lib. I. *Verum ego seditiosus, uti Sulla ait, qui* praemia turbarum *queror*. et ubi de veteranis, paullo post: *egregia scilicet* mercede, *cum relegati in paludes et silvas, contumeliam atque invidiam suam,* praemia *penes paucos intelligerent*.

Caeterum hic illud reputandum est, quod pag. 14. docuimus de scena carminis: *φαντασία* elegantissima. Non amplius est in medio agro suo: dicit enim *reliqui, mea rura reliqui*. Pro quo *relinquam* erat in cod. Leidensi ap. Burm. quod et ipsum haud absurdum foret, si adhiberetur interrogatio. Sed auctoritas eius codicis plane nulla est.

V. 86. **HINC EGO DE TUMULO MEA RURA NOVISSIMA VISAM.** Occupat stationem in loco edito: hoc est, fingit se occupare. Qui locus, *tumulum* dicit Cato, in parte agri Catoniani extrema situs erat. nam pertinuisse locum ad agrum Catonis, non fuisse extra fines Catonis, ex v. 91. intelligitur, ubi poeta capellis pabula eius tumuli, vel, ut ibi dicit, *montis, nota* commendat. Et credibile est, apud hunc tumulum totum carmen cani. Etsi neque haec insuavis imago erit, si quis poetam longius longiusque recedere inter canendum statuat, sed pedetentim. Ab hoc autem versu usque ad finem carminis persistere in summo tumulo, h. e. colle, sive ut v. 91. dicit, *monte,* putandus est. *Hinc,* inquit, *de tumulo visam novissima rura mea,* i. e. extremum agrum meum. Omnia visere iam non potest; et mox, si ulterius abierit, nihil se visurum esse dicit. *novissima* eo modo, quo a me acceptum est, iam accepit Badius, sed addit duas alias explicationes, quarum una apta est ad versum 93. *Ego visam hinc — mea rura novissima. i. extremos fines eorum: aut visam novissima. i. novissime aut novissimo de tumulo mea rura.*

*Hinc* in meis omnibus, nullus *Hic.* Moneo contra Heinsium, qui *Hinc* proprium esse Aldinis putabat. *Tunc* volebat Boxhornius. Deinde *cumulo* vitium est editorum ante Aldinas, itemque scriptorum recentiorum. sed *tumulo* est in scriptis antiquioribus omnibus, in Mutinensi, Virg. Aldi, Taur. 1518. Ascens. II. III. et in exemplo Lips. V. I. a manu Gloss. Et *tumulo* non solum Badius legebat, ut docet expositio eius, sed etiam ante Badium Domitius: intelligunt enim tumulum, sive sepulcrum, Bianoris: de quo errore cf. infra dicenda Diss. I. De sepulcro cogitabat etiam aliquando Burmannus, et annotaverat locum, ut tum videbatur, similem, Anth. Lat. IV. CCCLV. sed recte mutat sententiam. *te tumulo* Medic. In Augustano ita: *detumulamae arura n. u. viscam* cod. Petavianus, testante Heinsio ad v. 80. *nisam* Paris. IV. Signum interrogandi addunt Angl. Romana I. Ven. Achat. et nuper Arnoldus, Wernsdorfius, Putschius.

V. 87. **HINC IBO IN SILVAS: OBSTABUNT IAM MIHI COLLES.**

*Hinc ibo in silvas*] Interrogative seu *ἐρωτηματικῶς* haec omnia legenda sunt. Nec mihi, inquit, adire licebit campos, tanquam colles mihi obstent, aut montes? SCALIG. *ῥητορικώτερον* quam pro hoc poeta. Simpliciter, sine interrogatione: si longius abiero, inquit, veniam in silvas; et colles, montes, obstabunt, quominus conspiciam campos meos: voce tantum attingere meos campos, iisque vale dicere potero, non item oculis. Quare persistam aliquantisper in hoc colle, sive tumulo, ut oculis videam campos, dum vale dico. Scaligero obsequuti interrogatio-

nem in *silvas* fecerunt Arnoldus, Wernsdorfius, Putschius. Angl. etiam in *colles.*

*Hic* Vratisl. I. *Hinc cibo* Paris. II. *Hinc ego* Mon. II. sed mutatum in *ibo.* *abstabunt* idem.

V. 88. OBSTABUNT MONTES. CAMPOS AUDIRE LICEBIT. Sic et editi omnes ante Badium et Aldinas, et scripti tam Burmanni, Petav. Thuan. Med. Voss. et Leidensis, quam mei, duobus exceptis, omnes. Scilicet in Ascensianis I. et II. nam de tertia dubito; ap. Cronfit. in Aldinis, Bas. 1543. Lugd. 1529. Venetis 1544. 1555. 1558. Lugd. et Antv. 1556. Bas. H. P. 1561. apud Scaligerum, Pithoeum, et in recentioribus ita legitur:

*campos* nec adire *licebit.*

Aldinis non multum tribuerim hoc loco, quum facilis in promptu sit suspicio, ex Ascensianis illud devenisse in Aldinas. Badius vero interpretatur locum ex ea scriptura; unde sumpserit ipsam, non addit, neque commemorat vulgatam *c. audire l.* E scriptis unus cum Badio Aldinisque faciebat Voss. I. si f. sil. Nam Anglicanus non multum iuvat, in quo *campos adire l.* Utut sit, (sive inveniatur in libro aliquo, sive non inveniatur,) suo se vitio prodit ac perdit inficeta correctio. Non perceperat corrector venustatem Catonianam. Tollenda est post *licebit* distinctio maior, quae antiquos libros obtinet, paucis exceptis, ut Veneta Achat. et Veneta Iens. quarum illa colon, haec nullam interpunctionem habet, non consulto, sed casu utraque. Pendent a verbo *audire* duo versus qui sequuntur, eo modo, quem supra declaravi ad v. 30. *campos audire licebit* : *dulcia rura valete* etc. Eadem constructio verbi *licere* in Ciri v. 10. *In quo iure meas utinam requiescere Musas, Et leviter blandum liceat deponere morem.* cf. ibid. 90. 443. sqq. Add. Cato ipse, Dir. 103. si ibi verum sit, ut potest verum esse, *licebit.* Manil. I. 25. ibique Bentlei.

Illud *Obstabunt montes,* ut a me explicatum est ad v. 87. iam recte accipiebat Gloss. V. I. qui adscripsit: *ut mea rura videre non possim. licebat* Vrat. I.

V. 89. DULCIA RURA VALETE. Hoc igitur illud vale est, quod campos etiam tum percepturos esse dicit, quum ipse tam longe digressus fuerit, ut non amplius conspicere campos possit. Itaque significat, se digredientem iterum iterumque hoc modo vale dicturum esse ruribus. Id vale autem praecipit hoc loco, dum est in conspectu ruris. Tum v. 95. iterum atque ultimum vale dicit: hoc est, ultimum, in conspectu ruris.

*lycida* Mon. I. *licida* Mon. II. *lidia* Angl. Paris. II. Bas. Prae-

terea in Bas. inter *valete* et particulam *et* aliquantum spatii est, in quo aliquid videtur erasum esse. Fortasse aberraverat librarius, et statim delevit errorem.

V. 90. ET CASTI FONTES, ET FELIX NOMEN AGELLI.

*Et felix nomen agelli*] Graecanice enunciatum, *nomen agelli*, hoc est, *agellus*. Aeschynes *σὺ δὲ τὸ μὲν Θηβαίων ὄνομα, καὶ τὸ τῆς δυστυχεστάτης συμμαχίας ἐνοχλεῖς ἀεὶ λέγων* etc. Albinovanus in Epicedio Drusi:

*Fluminaque, et fontes, et nomina magna locorum.*

Caecilius Comicus:

*Nomen virginis, nisi mirum est, deintegravit.* SCAL.

Scaligero adhaeret Acidalius ad Vell. Pat. II. LXIX. p. 1007. ed. Ruhnk. Adhaerebat etiam Burmannus ad Anthol. Lat. T. I. p. 605. 6. at nostrum ad locum amplectitur Heinsii explicationem, quam ille ad v. 82. proposuit, ubi verba Heinsii nos quoque exhibuimus. Et sane hoc tutissimum est, amplexique sunt Heinsii explicationem Wernsdorfius et Wakefieldius ad Lucret. I. 231. pag. 53. Cf. de hac appositione sive epexegesi Burmanno observata ad h. l. Heins. et Cort. ad Lucan. I. 313. Idem ante Heinsium senserat G. Canterus Novar. Lect. II. x. p. 551. T. III. Thes. Grut. ubi hoc, *felix nomen agelli,* comparat cum Virgiliano *Silvius Albanum nomen,* et cum Tibullo III. IV, 61. *nec fidum femina nomen,* aliisque locis. Ut nonnihil ego quoque conferam, in Ciri v. 224. quod in cod. Basil. Veneta Rub. Vicentina et Vossiano II. est, *sacrum caput — alumna,* praefero haud cunctanter scripturae Aldinae *alumnae.* Huc etiam refero Culicis locum v. 399. *Et violae omne genus: hic est et Spartica myrtus:* nam sic ibi scribendum haud dubie e scriptis meis tam antiquis quam recentioribus, et antiquitus editis. non, ut traiecta sunt verba apud Heynium, *Et violae genus omne hic est, et Sp. m.* De epitheto tantum *myrti* quaeritur, utrum tenendum sit *Spartica,* quod mihi, si formam spectes, haud indignum poeta iuvene, et quantum ad rem attinet, egregie communitum loco Catulli Epith. P. et Th. 89. videtur; an sit aliquid tentandum. In Augustano *hic est etispartica* legitur, et sic, *et ispartica,* aut in Petaviano aut in Thuaneo, aut in utroque, invenerat Vossius; *et partica* in Vossiano 81. Constat tamen non minus usitatum alterum loquendi genus esse, de quo ad nostrum Catonis locum Scaliger, et usitatum quidem non solum poetis, sed etiam aliis scriptoribus, ut in Oratione pro domo XVII, 43. *proscriptionis miserrimum nomen illud*; neque est in Catonis loco quicquam, quod explicationi obstet Scaligeri, praeter illud Heinsio observatum, quod Cato *agellos,* non *agellum,* vocare villam suam solet:

quam in rem collectos a me Catonis locos habes ad v. 82. Nostrum, *felix nomen agelli*, laudat etiam Scaliger ad Tibull. III. iv. 61. sed ita, ut incertum sit, utrum hoc an illo modo acceperit: miscet enim exempla utriusque generis.

*castos* fontes Badius interpretatur puros et limpidos ac sacros. Sacri notio aliena est; reliqua bene. Eumdem in sensum Wakefieldius ad Lucret. l. l. p. 52. 53. Lucretianum *ingenui fontes*, ex Copa versum 15. *Et quae virgineo libata Acheloïs ab amne*, quo tamen loco paullo post *virgineo ab ungue* legendum esse ait, Aeschylum Pers. 613. λιβάσιν ὑδρηλαῖς παρθένου πηγῆς μέτα, ubi ipse μέγα legit, et hunc Catonis versum inter se comparat. Cf. si placet, Aeschyli interpretes. Non aliena ab hac quaestione *Aquae Virginis* appellatio est, quae haud dubie a sua virtute, non ab obscura quadam virguncula, nomen habuit. Ad rem non multum differt Virgilius Culice v. 17.

*Semper opaca novis manantia fontibus antra.*

ubi, sive coniungas *Semper-novis*, sive ad vocem *novis* repetas cogitatione *semper*, *fontes* intelliguntur, ut Taubmannus ait cum Barthio, qui semper innovantur, succedente aqua ingenua.

V. 91. TARDIUS AH MISERAE DESCENDITE MONTE CAPELLAE. Fingit se abire cum grege suo. Ut ille Virgilii Meliboeus Ecl. I. Ut autem ipse invitus discedit, et moratur in conspectu agrorum suorum, ita morari pecus iubet: tardius descendite, carpite pabula nota, dum licet; mox non licebit. Omnia simplicissima, sed venustissima, et ex intimis pectoris sensibus hausta. *ha* Angl. Romanae cum cod. Bas. Veneta Ach. Vicent. cum Voss. II. Ven. 1482. aliae. *a* Paris. III. Mon. I. *a misere* Parisin. IV. Thuan. *amiserae* August. *amisere* Paris. II. Mon. II. *misere* etiam in Mediceo fuit. *capelle* Mon. II. et Veneta Ach. quae nusquam *ae* habet. *descendente* Rom. I. corrupte. *nostrae* coni. Scriver. ap. Burm.

V. 92. MOLLIA NON ITERUM CARPETIS PABULA NOTA. Nihil variant libri, praeter Venetam Achat. in qua corrupte *itum* pro *iterum*. Heinsius adscripserat: forte *rupis notae*. Itaque volebat *Rupis non iterum c. p. notae*. Similiter Wakefieldius loco paullo ante laudato, ad Lucret. I. 231. p. 53. *Collis non i. c. p. noti*. Scilicet utrumque virum doctum male habebat geminatum epitheton *Mollia — nota*. Multo infelicius Wernsdorfius: *An forte* motae *scilicet stabulis*? *Notus* epitheton nulla conditione delendum erat, ut in quo vis loci. *Mollia* enim etiam alibi inventurae capellae erant pabula, sed non consueta, non haec pabula. Vulgatum recte agnoscit Broukhusius ad Tibull. III. v, 22. Cf. infra disputanda Diss. III. de epithetis geminatis.

*pabula nota.* Virgilius Georg. IV. 266. de apibus: *fessas ad pabula nota vocantem.* Ciri v. 300. *Dictaeas ageres ad gramina nota capellas.*

V. 93. TUQUE RESISTE PATER. EN PRIMA NOVISSIMA NOBIS.

*Tuque resiste*] Corruptissimus locus, et alieno loco positus. Puto primum eum post hunc versum reponendum:

*Sive eris, et si non, mecum morieris, utrunque*:
*Tuque eris isti par, et prima novissima nobis.*

Deinde ita interpretor: Sive eris, et si non, Graecismus: *ἀμφότερον, ἢ οὖσα, ἢ μὴ οὖσα.* ut illud:

*Ἀμφότερον, ῥητῆρά τ' ἐπῶν πρηκτῆρά τε ἔργων.*

*Tuque eris isti par.* Eris semper compar mihi. idem iugum trahemus, ut iam dixit, *mecum morieris. Isti,* id est, isti homini Comice dictum, pro mihi, *δεικτικῶς.* Exempla occurrunt apud Terentium, et Plautum. Ut, *isti homini debentur viginti minae.* id est, mihi. Ergo, ut interpretatus sum, ita lego:

*Tuque eris isti par* — pro, *Tuque resiste pater.*

*Et prima novissima*] Nam mecum vives, mecum morieris. Propertius:

*Cynthia prima fuit: Cynthia finis erit.* SCALIGER.

Nihil in his bonae frugis est praeter explicationem versus 96. Scaligeri tamen auctoritate hunc versum post v. 96. *Sive eris* etc. posuit Arnoldus, ita mutatum: *Tuque mihi ipsi par; tu prima, novissima, nobis. Tuque mihi ipsi par* Dilherri lectionem esse dicit.

Difficilis locus, sed magis virorum doctorum dubitationibus quam sua difficultate. Pertractabimus ordine singula. Primo quod in libris tantum non omnibus habetur, *Tuque resiste pater*: tam planum nobis quidem est, dum nexum huius versus cum praecedentibus perpendimus, ut mirer exstitisse, qui aut vehementer corruptum locum, aut quaerendum esse, qui sit *pater,* existimaverint. Intelligendum esse patrem gregis, caprum, vidit Heinsius, qui Catonem v. 131. *Felix taure pater magni gregis,* et v. 134. *Et pater haedorum felix,* ac Petronium laudat, cap. CXXXIII. *tuas hircus pecoris pater ibit ad aras Corniger.* Propius ad Catonem, eademque brevitate Valerius Flaccus I. 89. 90.

*dabit auratis et cornibus igni*
*Colla pater, niveique greges altaria cingent.*

Ut apud Catonem praecedentia, ita apud Flaccum subsequentia declarant, *patrem* intelligendum esse *gregis.* Sic poterat Cato, si placuisset, *ducem* simpliciter appellare caprum: statim quisque percepturus erat, intelligi ducem gregis. Alio tempore Heinsius coniecerat *caper*: non magna mutatione, sed multo festivius atque ad consuetudinem vitae rusticae

accommodatius *pater* est. Antiquissimi interpretes, ut Badius, de *patre* cogitabant poetae ipsius, et sic Gloss. V. I. qui adscripsit: *mane o Maro.* Scriverius apud Burmann. *patrem* putabat Battarum fluvium dici, ut Rhenus *pater* appellatur.

In posteriore versus parte aliquid turbatum est. Libri scripti, Thuan. Petav. Vossian. et Medic. apud Burmannum, meique cuncti, tum editi, exceptis paucis, iisque non antiquis, de quibus statim singulatim dicetur, etiam Aldinae:

*et prima novissima nobis.*

pleraeque cum distinctione maxima post *nobis,* aut cum colo, ut Rom. I. et Ven. Acbat. Ea distinctio nulla est in cod. Angl. Bas. Mutin. Ascensianis, Aldin. I. Lugd. 1529. Ven. 1555. 1558. Bas. H. P. 1561. ut haec iungantur cum sequentibus *Intueor campos.* Quicquid hoc sit, sive iungantur, sive non iungantur, corruptam esse *et* particulam apparet. Quare eam alii tentarunt aliis modis. *haec prima, novissima nobis Int. c.* Virgilius Aldi, Taurinensis, Mogunt. 1549. Francof. 1610. et cum puncto post *nobis* Basil. 1543. Lugd. 1556. *sunt* in margine Basil. 1543. et marg. Francof. 1610. *an* inter varias lectiones apud Arnoldum est, nescio unde. *en,* quod inter omnia facile optimum, Antverpiensis 1556. Scaligeranae, Antv. 1580. Lugd. 1592. Pithoeus, Boxh. Burm. Wernsd. Atque in eo acquiescendum haud dubie, etsi hoc ipsum *en* nihil esse nisi coniecturam censeo, illatam in Scaligeranas, et quidem invito Scaligero, nescio unde, fortasse ex editione Antverpiensi. Sed quantillum hoc mutationis, mutare *et* in *en.* An exempla aliquis desiderat, ut confundi *en, et* a librariis credat? Conferat, si exemplis opus in eo, quod si non accidisset, mirum esset, Tibullum IV. vi, 15. et quid ibi sit in libris; Virg. Ecl. VIII. 7. Apud Propertium IV. xi, 13. 4. recte nunc fertur:

*Num minus immites habui Cornelia Parcas?*
*En sum quod digitis quinque levatur onus.*

etsi *en* solus Groninganus, isque non sine litura. Caeteri *Et sum,* quod ferri poterit, ut acceptum est a Scaligero, ut una sit interrogatio, duobus membris: Num minus immites Cornelia Parcas habui? num minus mortua sum? Sed illa interrogatio et responsio maiorem vim varietatemque infert, eoque dignior est hac aevi Augusti elegia. Quamquam est etiam hac in re modus. Idem Propertius IV. vi, 59. 60. haud dubie scripsit:

*At pater Idalio miratus Caesar ab astro:*
*Sum deus, et nostri sanguinis ista fides.*

*en nostri* Palatini apud Gebhardum, narrante Broukhusio, etsi ab ipso Gebhardo Animadv. in Propert. nihil tale observatum reperio. Verum

ut habuerit *en* Palatinus, vel Palatini, cave ne amplectaris. Plus est, nisi fallor, in simplicitate ista maiestatis: sum deus, inquit, et istis rebus gestis sanguis se noster approbat: ego sum deus, et Augustus his factis se sanguinem esse nostrum, hoc est, ipsum quoque deum, probat. In priore versu malim cum Lachmanno *miratur*, sed sensu prorsus diverso: ut sit quasi *mirans ait*. At apud Catonem egregiam et prorsus suam vim habet *en* particula: admonet enim aliquid magni et in quo multum momenti sit, sequuturum esse. Quid autem maius et gravius, quam ultimum intueri poetam campos suos? Itaque haec breviter sententia loci est. Sed hoc exornavit. Dicit enim non *ultimum* vel *novissimum* simpliciter, sed *prima novissima*, vel *prima, novissima* cum distinctione, ut est in prima Aldi, Lugd. 1529. Bas. H. P. 1561. Scaligeranis, Pith. reliquis. Ab iisdem, praeter Aldinam II. et Pithoeum, recte interpunctio abest in fine versus, ut etiam ab aliis nonnullis, quas supra recensui. *prima novissima intueor* quum dicit, significat, diu se haerere in hoc ultimo adspectu camporum suorum, et nunc primum, nunc secundum, nunc tertium, denique quartum et ultimum intueri campos: ut facit qui aegre divellitur ab aliquo adspectu. Eamdem rem ulterius declarat additum versu seq. *longum*. Denique *nobis* non otiosum est; opponit poeta se militi: mihi hic ultimus adspectus camporum est, manet in illis miles.

De productione *Tuque resiste pater*: *en* hi loci sufficiant: Virg. Ecl. IX. 66. X. 69. Aen. I. 668. II. 411. V. 284. XI. 469. Tibull. I. x, 13.

*Desine plura puer, et quod nunc instat agamus.*
*Omnia vincit amor, et nos cedamus amori.*
*Littora iactetur, odiis Iunonis iniquae.*
*Nostrorum obruimur, oriturque miserrima caedes.*
*Olli serva datur, operum haud ignara Minervae.*
*Concilium ipse pater et magna incepta Latinus.*
*Nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis.*

Elegi eos locos, qui per omnia similes sunt ac pares Catonis versui, non quod credam, quae Gifanii videtur Collectan. in Lucret. col. 266. sq. ed. Lucret. Haverc. opinio esse, singulari litteram *r* ad iuvandam productionem praeditam vi fuisse. Neque proprium hoc penthemimeri est, breves producere syllabas. Etsi, exempla si numeres, saepissime fit in penthemimeri productio: et sane haec est, in qua vim inesse plurimam consentaneum est, quum sit caesura versus heroici primaria. Accedit quod, quum saepe in hac sede oratio aut pars orationis terminetur, quod quidem ea ipsa de caussa fit, quia haec caesura primaria est, multam finis sententiae atque interpunctio ad iuvandam productionem vim habent. Quam in rem commode Huschkius ad Tibull. II. ii, 5. Ser-

gium p. 1830. laudat. Itaque sic et illa exempla comparata sunt, quae paullo ante apposui, et pleraque alia: sed tamen non omnia, siquidem ad faciendam productionem commoda est interpunctio, necessaria non est. Perfrequens etiam in hephthemimeri productio est: Ennius pulcherrimo loco p. 124. ed. Hessel. *Postilla, germana soror, errare videbar.* Virg. Georg. IV. 92. *Nam duo sunt genera: hic melior, insignis et ore.* Aen. V. 521. *Ostentans artemque pater arcumque sonantem.* XII. 668. *Et Furiis agitatus amor, et conscia virtus.* Saepe etiam in hoc genere accedit interpunctio, necessaria non est. Sic multo usu quasi legitima est verborum *subiit, periit, petiit,* in hac sede versus productio, sine interpunctione: Ovid. Metam. I. 114. *subiit argentea proles.* VII. 170. *subiit Aeeta relictus.* XIII. 444. *petiit Agamemnona ferro.* Ibide 371. *periit auriga tyranni.* Statius Theb. I. 247. *periit iniuria mensae.* X. 25. *subiit ultricia Tydeus.* XI. 631. *abiit in corpora ferrum.* Caussam si quaeras, haec tantum est, ut puto, quod verba ista, quorum frequens in narratione usus est, cogi in versum, ubi sequitur vocalis, nequeunt, nisi productione admissa. Usitatam esse in hoc verborum genere productionem non latebat Santenium ad Terent. M. p. 294. Et re vera nullus in versibus heroico et pentametro locus est, ex iis locis, qui admittere productionem solent, ubi non fiat aliquoties productio istius syllabae *it*: in arsi secunda Ovid. Amor. III. V. 30. Art. am. III. 707. Fast. III. 474. IV. 721. Stat. Theb. IX. 540. in penthemimeri Virg. Aen. VIII. 363. Ovid. Art. am. III. 63. Ibide 343. Propert. I. x, 23. in medio pentametro Ovid. Art. am. III. 64. Remed. am. 6. Trist. IV. iii, 68. Cf. quos alios locos Santenius laudat. Quod sunt inter hos locos nunnulli, in quibus brevem natura syllabam adspiratio excipit, ego ea in re aut nihil aut perparum momenti posuerim. Quid enim, si hoc adspirationi proprium esset, breves syllabas praecedentes producere, reliquis locis, quos enumeravi, quorum multo maior est numerus, ubi nulla sequitur adspiratio, faceres? Omnino etiam post grammaticorum praecepta, et post virorum doctorum, ut Huschkii ad Tibull. II. i, 58. Santenii ad Terent. M. p. 293. seq. p. 389. Lennepiique ibid. p. 436. disputationes, incertum est, an quae apud optimos poetas latinos: nam graecos iniuria huc trahi a Santenio constat: litterae *h* sive ad producendas syllabas breves, sive ad excusandum hiatum vis fuerit. Videat aliquis quae Santenius p. 389. exempla congessit: intelliget eorum unam partem ita factam esse, ut licuerit poetis, etiam non sequente adspiratione, producere syllabam; unum, Virg. Aen. X. 126. haud dubie corruptum; Propertii II. xxviii, 29. etiamnum incerta scriptura est; restant ii loci, sane quam memorabiles, in quibus ante voces *hymenaeus* et *hyacinthus* brevis syllaba

producitur, et quidem in arsi versus heroici quinta, quae alibi, paucis iisque singularibus exemplis, ut Horat. Serm. I. III, 7. *Io Bacche*, exceptis, ab hac productionis licentia exemta est. Apponam locos ex ordine, auctos post Santenium uno alteroque exemplo. Ante vocem *hyacinthus* productionem admisit Virgilius Ecl. VI. 53. Georg. IV. 137. Aen. XI. 69. ante v. *hymenaeus* Catullus LXII. 4. Epith. P. et Th. 20. LXVI. 11. Virgilius Aen. VII. 398. X. 720. Valer. Flaccus VIII. 259. Quibus accedat propter hiatum in arsi pedis quinti Virg. Georg. III. 60. Num igitur hi loci litteram *h* consonantis vice fungi, et producendae syllabae vel etiam excusando hiatui fuisse adhibitam probant? Non puto. Illud animadverti ante omnia debuerat, hanc quasi domesticam sedem vocum *hymenaeus* et *hyacinthus* sedem esse, in exeunte versu heroico. Recte de hac re dudum praecepit I. H. Vossius ad Virg. Georg. IV. 137. Ecl. VI. 53. Quem alias defugiunt poetae latini huius aetatis, ionicum, vel etiam molossum, in exitu versus heroici, una voce comprehensum, eum non defugiunt, sed cupide ponunt, si ea vox graeca sit: ita cupide quidem, ut etiam licentiam metricam non reformident, modo sedem illam suam usitatam vox peregrina obtineat. Itaque sic utrumque vocabulum, *hymenaeus* et *hyacinthus*, et sine licentia metrica reperitur locis quam plurimis, quos enumerare nihil attinet, et cum licentia iis locis, quos apposui. Quae alia hanc ad rem exempla faciunt, et permulta sunt, et neminem latent, qui Virgilium et Ovidium attigerit. Usitatissima haec species est: *in Actaeo Aracyntho, cum Phocaico Erymantho, et Taenarius Eurotas*, Virg. Ecl. II. 24. Ovid. Metam. II. 244. 247. Alibi unum tantum vocabulum graecum, alterum latinum est; neque requiritur, ut nomen proprium sit utrumque: Virg. Aen. III. 74. *et Neptuno Aegaeo*. Ovid. Heroid. IX. 87. *cupressifero Erymantho*. Fast. V. 83. *cum caelifero Atlante*. Metam. XV. 450. *penatigero Aeneae*. Metam. IV. 534. *in Ionio immenso*. Denique quum semel licentiae isti productionum, Graecorum more, assuevissent, ausi sunt, sed raro, idem facere in vocabulis latinis: quo pertinent *castaneae hirsutae* Virg. Ecl. VII. 53. *femineo ululatu* Aen. IV. 667. *gravidus auctumno* Georg. II. 5.

Hanc disputationem etiam propterea institui, ut recte omnes iudicent illud, quod in Virgilio Aldi, et ex eo in aliis nonnullis legitur:

*Tuque resiste pater. haec prima, novissima* —

Ea ad sensum perbona coniectura est, quam ego hac tantum de caussa posthabui alteri, quod aliquanto faciliori emendatione ex *et* fieri *en*, quam *haec*, videretur. Et ad metrum perinde est utrum *en* legas, an *haec*.

Heinsium supra vidimus recte tuentem vulgatum *pater*. Reliqua quomodo accipienda essent dubitabat, et alio tempore coniiciebat alia: *Tuque*

*resiste pater, per rura* (vel *per prata*) *novissima nobis.* vel *Tuque resiste caper per rura novissime nobis.* quam in rem adscripserat Ovidii versum Metam. II. 115. Ut nos *prima novissima* accipimus, multos, nisi memoria me fallit, locos conferre licebit, in quibus similiter coniungitur *primus et ultimus*: ut Ovid. Metam. XIV. 682. Graeci *πρῶτον καὶ ὕστατον.* Ad sonum, sed tantum ad sonum, simillimus Catoni Ovidius est Ibide v. 531. *Sit tibi coniugii nox prima novissima vitae.*

V. 94. INTUEOR CAMPOS LONGUM: MANET ENSIS IN ILLIS. Editi inde a Romana I. exceptis Mutinensi et Argent. quae nullam distinctionem habent, post *campos* interpungunt; et sic cod. Angl. Correxerunt, praeeunte Heinsio, Burmannus et Wernsdorfius. Multum autem, nisi me sensus fallit, elegantiae habet dilata usque ad hephthemimerin interpunctio atque orationis terminatio. Quum enim ubi oratio ex uno versu in alterum continuatur, plerumque in penthemimeri alterius versus terminetur sententia: hic, dum oratio ultra eum terminum porrigitur, videmus quasi Catonem diu morantem in ultimo adspectu camporum suorum. Heinsius malebat *longe.* male. *longum* de tempore, ut in illo: *longum vale,* Virg. Ecl. III. 79. alibi. Sic *altum,* pro adverbio nomen, in Ciri v. 217. *et altum Suspicit.* *campus* vitiose in Medic.

Ultima in editis praeter paucos, quos dicturus sum, ita concepta exhibentur: *manet hostis in illis.* Praetuli quod et magis poeticum et librorum auctoritate comprobatum scriptorum viderem. *hostis* ne unus quidem liber scriptus, eorum de quibus constat, praeter Basil. et Voss. II. *esses in illis* Petav. Leid. Medic. itemque, et Burmanno et Vossio Lassenoque testibus, Thuan. et sic caeteri Parisini tres cum Angl. *esses illis* August. *esse sine illis* Monac. I. II. quae memorabilis correctio est. *obses* in Voss. I. teste Burmanno: quod sane confirmatur collatione ipsius Vossii in marg. exempli Ald. II. Ibi haec adscripta sunt a Vossio:

{ ensis a †
{ obses. *V.*

Deinde idem Vossius in marg. exempli Scalig. 1573. quod exemplar illud est, quo libri Thuanei collatio continetur, haec adscripsit: *ensis* alius MS. *ensis* Aldina I. (at Aldina II. *hostis*) Ven. Bonell. 1558. Basil. H. P. 1561. et marg. Basil. 1543. Patet ex his, incerta origine scripturam *ensis* esse: nam in Aldinam I. unde venerit ignoramus; itidem ignoramus istum *alium* MS. cuius Vossius in exemplo Scalig. mentionem facit; illo autem signo a † quo Vossius in exemplo Ald. II. utitur, non librum scriptum, sed Aldinam I. designari coniicio. Sed ta-

men proxime ad veterum librorum scripturam *esses* accedit *ensis*, et praeterea valde poeticum est: *ensis* pro milite. *hostis* fortasse facta e corrupta librorum scriptura correctio est, ut sunt multae olim ab hominibus Italis correctiones factae, neque alia virtute commendabiles, neque a similitudine litterarum in libris manu scriptis exstantium probabiles, sed quibus illud tantum spectabant, ut pro eo, quod sensu viderent destitutum esse, aliud reponerent, quod sensum haberet.

Speciosa est etiam scriptura Vossiani I. *obses*. Facile enim *obses* ab aliis in *esses*, ab aliis in *hostis* mutari potuit. Verum quum neque *obses* usquam pro obsessore dicatur, neque Lydia, si quis forte de Lydia cogitare Catonem statuat, quo sensu dicatur *obses*, appareat; denique quum non ea Vossiani I. virtus sit, ut recte caeteris libris opponatur omnibus: consistendum erit in iudicio nostro.

V. 95. RURA VALETE ITERUM, TUQUE OPTIMA LYDIA SALVE.

*Rura valete*] *Salve*, et *Vale* dicebant iis, quos nunquam visuri erant. Iccirco ita et mortuos alloquebantur. Plautus, Virgilius. SCAL.

*iteruquae oblima lvdia saluae* August. *saluae* etiam Parisin. III. *lidya* Mon. I. *Lidia* Bas. Post *salve* colon fere in omnibus tam antiquis quam recentioribus. Praestat plene interpungere, ne quis *salve* pendere a sequentibus *Sive eris* etc. existimet.

V. 96. SIVE ERIS ET SI NON, MECUM MORIERIS, UTRUMQUE.

*Sive eris et si non*] *esse*, hic sumitur, ut apud Plutarchum, et Appianum: *εἰ δεῖ καρχηδόνα εἶναι.* Caetera iam supra exposui. *Fuisse*, est mori. Plaut. Truc. *Pene tibi fuit Phronesium.* hoc est: pene mortua est, parum abfuit, quin moreretur. SCALIG. Optime Scaliger: cf. supra monita ab eodem ad v. 93. Singulari brevitate utitur poeta. Plena sententia talis est: Sive eris, *mecum eris*, licet absens; sive non eris, h. e. sive mortua eris, *mecum morieris*: id est, non eris mortua antequam ego moriar. Scilicet poterat sine ellipsi ita scribere: *Sive eris, sive non eris, mecum eris.* Sed quia hoc obscurum fuisset, quomodo Lydia mortua possit cum Catone esse, scripsit *mecum morieris*: quo significat, tamdiu secum futuram esse Lydiam, quamdiu ipse in vivis futurus sit. Si quid in his obscuritatis est, ea statim tollitur, v. 102. 103. quibus versibus, ut recte observat Scaliger, eadem sententia exornatur:

*Quamvis ignis eris, quamvis aqua, semper amabo:*
*Gaudia semper enim tua me meminisse licebit.*

Quos amare, et quorum meminisse non desinimus, ii et absentes nobiscum versantur, et mortui amore nostro ac memoria nostra vivunt

nobiscum usque ad mortem nostram. Facit ad hanc sententiam laudatus Heinsio Burmannoque Tibullus III. v, 31.

*Vivite felices, memores et vivite nostri,*
*Sive erimus, seu nos fata fuisse volent.*

quo etiam loco idem verbi *esse* usus est, de quo ad h. l. Scaliger. Eamdem sententiam exornatam vel potius dilatatam habes Elegia in Maecen. obit. Anth. Lat. lib. II. cxx. v. 17.

*Sed meminisse velim. vivam sermonibus: illic*
*Semper ero, semper si meminisse voles.*

At quae ibi sequuntur inde a v. 19. alio sensu concepta sunt, quo etiam Propertius II. xv, 36. breviter atque eleganter scripsit: *Huius ero vivus, mortùus huius ero.* Quae cognata quidem, sed opposita sententia est, et a Catonis locis aliena. De usu verbi *esse, fuisse,* cf. Burmanno annotata ad illam Eleg. in Maec. ob. v. 14. Sic variant in circumscribenda notione mortis. Per reticentiam Ovidius: *Sive quod heu! timeo, sive superstes eris.* Heroid. epist. XIII. 164. Opposita inter se *sive, et si,* non habeo quo alio exemplo comprobem. Si tamen exemplis opus est, ubi dictio talis est, ut naturae legibusque sermonis non repugnet. Hic quidem poetam consulto *et si* altero membro scripsisse, et scripturum fuisse etiam tum censeo, si per metrum licuisset *sive, sive,* scribere. *et si* maiorem affirmandi vim habet, quam si bis *sive* scripsisset. Hoc fere dicit: sive eris, et tum quoque, si non eris. Denique illustrandum est, quod Cato addidit, recte a Scaligero ad v. 93. explicatum, *utrumque.* Et Romanis quidem hoc proprium est, ut *utrumque* ponant in fine sententiae. Certe sic Cato, et Lucilius XI. *Et formosus homo fuit, et famosus, utrumque.* Quamquam norunt etiam alterum morem, Graecis consuetum, Plautus Cistell. I. iii, 1. *Utrumque haec et multiloqua et multibiba est anus.* et quem mihi Meinekius ad Philemonis fragm. p. 404. monstravit, Gratius Cyneg. 333. *Utrumque, et prudens, et sumptis impiger armis.* Graeci saepissime, inde ab Homero. Ille quidem versus, quem ponit Scaliger, nusquam exstat in carminibus Homericis: obversabatur viro eximio Iliad. IX. 443. Loci Homerici hi sunt: Iliad. III. 179. IV. 60. et XVIII. 365. IV. 145. VII. 418. XIII. 166. Odyss. XIV. 505. XV. 78. Simplicissima huius loquutionis forma haec est, ut *ἀμφότερον* ad duo, quae sequuntur, *nomina* referatur. Et sic plerumque Homerus, ut:

*ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθός, κρατερός τ' αἰχμητής.*

Ad quam normam Plautinum illud compositum est, licebatque Catoni ad eamdem normam ita dicere: utrumque viva et mortua mecum eris. Sed licet etiam ita ut pro nomine longius ponatur orationis membrum, par-

ticula sive coniunctione annexum, quod propius accedit ad Catonis dictionem. Homerus:

*ἀμφότερον, γενεῇ τε, καὶ οὕνεκα σὴ παράκοιτις*
*κέκλημαι.*

Addam apud alios poetas observata, partim a me, partim ab aliis: Eurip. Phoen. 758. 9. P. Pindar. Pyth. IV. 140. Olymp. VI. 27. et Olymp. I. 166. quo loco, ut ap. Aeschylum Persis 720. *ἀμφότερα* eodem modo; Philemon loco ante indicato, Theocrit. XXV. 69. Callim. h. Cer. 36. Fragm. ccxiv. Quintus Smyrnaeus, semel, X. 281. Tryphiod. 418. Eadem conditione *ἄμφω* ponitur, sed tantum ab recentioribus: Quinto Sm. his locis: I. 20. 57. II. 632. VI. 569. XIII. 524. etsi in uno alteroque horum locorum dubitare licet, an non absolute dictum sit *ἄμφω*, ut est non absolute VI. 217. VII. 89. Apoll. Rh. III. 987. IV. 1652. Orpheo Lith. 754. et a Nonno bis, si recte numeravi, XI. 33. 187. Mirum foret, si ab hoc dicendi usu prorsus se abstinuisset oratio prosa. Verum non abstinuit se: etsi exempla non conquisivi sedulo. Lucianus Deor. dial. IX. fin. *Οὐκοῦν ἀμφότερα, τοῦ Διονύσου τούτου καὶ μήτηρ καὶ πατὴρ ὅδε ἐστίν;* Neque diversum genere est Platonicum Charmide, non longe ab init.: *εἴ τινες ἐν αὐτοῖς διαφέροντες ἢ σοφίᾳ ἢ κάλλει ἢ ἀμφότερα ἐγγεγονότες εἶεν.* ubi Heindorfius p. 57. alios prorsus similes Platonis locos affert. Commune locis Platonicis cum caeteris quos apposui illud est, quod in omnibus *ἀμφότερον* sive *ἀμφότερα* absolute, vel adverbialiter, positum est. In Charmide tamen Bekkerus obsequutus codicibus *ἀμφοτέροις* edidit. *ἀμφότερον* frequentissimum Nonno: V. 419. XI. 25. XIII. 223. XIV. 428. XXI. 218. XXIII. 318. XXX. 275. XXXIV. 302. XXXV. 170. 373. XXXVII. 217. XXXIX. 146. XLI. 404. XLIII. 122. XLVII. 446. XLVIII. 424. et semel *ἀμφότερα* XL. 477. hoc versu:

*ἀμφότερα, βλεφάροισι καὶ οὔασι θάμβος ἀέξων·*

ubi verum est, quod monet doctissimus editor, usitatius futurum fuisse *ἀμφότερον*, sed Nonno illud visum est mollius propter sequentes *βλ.* Tenendum est autem, ne quis nihil differre ab Homero Nonnum opinetur, qua Homerus constantia suum *ἀμφότερον* ita semper ponit, ut incipiat versum, eadem Nonnum curare, ut *ἀμφότερον* sit in fine versus, sequente *γάρ* aut *δέ* particula. Ut

*ἀμφότερον γὰρ*
*δέρκεαι Ἀκταίωνα, καὶ Ἀκταίωνος ἀκούεις.*

et

*ἀμφότερον δέ,*
*ὅσσον ἔην ἐρόεις, τόσον ἄλκιμος.*

Bis tantum ab ea regula deflexit et Homerum sequutus est, XXXV. 373.

et illo loco, in quo dixi *ἀμφότερα* esse. Deinde, quod gravius, quum hoc observare soleat Homerus, ut duo illa membra, quae comprehendit vox *ἀμφότερον*, nectantur particula *τέ*, et omnia ut unius versus spatio concludantur: Nonnus ad nectenda membra non *τέ* particula, sed aliis utitur, duplici, aut simplici *καί*, aut *δέ* particula; aut liberiorem quamdam coniunctionem instituit, XIII. 223. quem locum iam laudavimus:

*ἀμφότερον δέ,*
*ὅσσον ἔην ἐρόεις, τόσον ἄλκιμος.*

et XLIII. 122.

*ἀμφότερον γάρ,*
*εἰ λάχε γείτονα πόντον, ἔχει φυτὰ μυρία Βάκχου.*

quae exempla proxime ad Catonis locum accedunt; aut denique plane non nectit membra, XXX. 275. XXXV. 170. XXXVII. 217. spatio vero duo membra maiori et per duo tresve versus distendit aliquoties, XI. 25. XXX. 275. XLVIII. 424. Huic locorum generi Graefius etiam illum addendum, emendatione sane quam facili, putabat, qui est XXXVIII. 334.

*φείδεο σῆς μάστιγος ἀγήνορος· ἀμφοτέρων δὲ*
*πλαζομένων πεφύλαξο καὶ ἀπλανέων χορὸν ἄστρων.*

ubi ille rectius et elegantius fore *ἀμφότερον* adverbialiter dicit. Laudo quod non receperit. Certe mihi unice placet *ἀμφοτέρων*, qui reputem, *ἀμφότερον* tum demum accurate positurum fuisse poetam, si tale quid scribere voluisset: utrumque, et stellas, fixas planetasque, et terram cave. Usitate autem Nonno dici: *ἀμφοτέρων, πλαζομένων καὶ ἀπλανέων ἄστρων*, concedit Graefius: neque hoc fugere potuit virum in Nonno suo egregie versatum. Unde etiam ingeniose coniicit libro VII. post v. 183. excidisse Semeles et Bacchi nomina. Cf. si placet, II. 475. IV. 59. 163. XXIX. 43. 62. 105. XXXV. 135. aliosque locos quam plurimos. Eumdem in modum *ἄμφω* ponitur hic illic: ut praemittatur *ἄμφω*, tum addantur nomina: XIII. 396. 464. XIV. 190. XXVI. 86. 364. XXXIII. 169. XL. 228. Antipater Sid. XLIX. 3. *ἀπλανέας τ' ἄμφω καὶ ἀλήμονας.* simile Nonni loco, quem paullo ante tractavimus: sed inusitatum, quod *ἄμφω* in medio posuit Antipater. Si hic est Antipater: alii Leonidae tribuunt epigramma illud.

Apud Catonem in libris nihil varietatis est, nisi quod *et* deest Mutinensi, et *utrumque* alii per compendium scriptum habent, *utruque*, alii, ut Mutin. Ven. Rub. et Vicentina, *utrunque*. August. *utruquae*. Interpunctionem pleraeque veteres post *eris*, post *morieris*, et plenam post *utrumque* habent. Sed distinguendum etiam post *non*, ut faciunt prima Aldi, aliae. Quamquam harum non paucae rursus eo peccant, quod interpunctionem post *utrumque* omittunt.

Heinsius aliquando hunc versum iungendum esse cum praecedente

existimabat. Nam sic refingendum putat: *Seu fueris, seu non mecum morieris, utrimque.* quod hunc in sensum interpretatur: sive mortua eris mecum, sive non, salve utroque modo. Idem coniecerat *Sive eris hic, seu non.* vel, alio tempore, *mecum maerebis. Sive eris, aut si non,* legebat Francius. Rectius Wernsdorfius in interpretatione positam esse huius loci salutem vidit: etsi hic quoque *utrinque* legendum esse censet, sine caussa idonea. Interpretatur autem ita: *Sive eris* mecum, *et si non* eris, i. e. vives mecum, *utrinque mecum morieris*, h. e. utrocunque modo id evenerit, non nisi mecum morieris: non enim memoria tua apud me, nisi me ipso moriente, intercidet. Non inepte, et eadem fere sententia, quam nos assequuti sumus nostra explicatione. Sed illud obstat Wernsdorfio, quod omnia docent, Catonem Lydiae vale dicere in perpetuum. Itaque quum plane non speret, fore umquam, ut ipse sit cum Lydia, non potest illud quod vult Wernsdorfius, *Sive eris mecum,* dicere.

V. 97. EXTREMUM CARMEN REVOCEMUS B. AVENA. *Extremum,* quod extremo loco dixi, *revocemus* repetendo confirmemus. WERNSDORF. Verissime. *carmen extremum* est versus qui proxime praecedit, 96. cuius sententiam v. 98. seqq. repetit, amplificat, exornat. Ergo inutilis coniectura est Heinsii: *Extrema — avena. bactare* Mut. *hauena* Ven. Achat.

V. 98. DULCIA AMARA PRIUS FIENT, ET MOLLIA DURA. Hunc, et qui sequuntur tres, laudat Octavianus Mirandula in Illustrium Poetar. Floribus p. 29. a. ed. Antv. 1549. componitque tum cum Virgilii versibus Ecl. I. 60. sqq. tum cum his Ovidii, Epist. ex P. II. 4, 25. sqq. 11, 5. sqq. Omnino hic perpetuus ac poetis latinis communis omnibus in testificanda amoris, fidelitatis, memoriae constantia modus est: prius hoc fiet, vel illud, *ἀδύνατον*, quam ego tui obliviscar. Cf. Ovid. Trist. I. 5. 11. sqq. sed ibi nullum *ἀδύνατον. fiant* Petav. Medic. apud Burmannum, Thuaneus diserte testante Lasseno, Paris. II. III. IV. Anglic. August. Monac. I. II. Vratisl. I. Romana I. Veneta Achat. Mutinensis cum cod. Basil. *fient* Romana II. Venetae Rub. et Iensoni, Vicentina, cum Voss. II. Vratisl. II. et editores reliqui usque ad recentissima tempora. Atque *fient*, et versu seq. *cernent,* P. Bembus Lib. de Culice, ubi hunc versum laudat, et qui sequuntur quinque: unde tamen non collegerim, *fient* fuisse, et *cernent,* in codice Bembi. Profecto res est ambigui iudicii: nam quod supra v. 4. 5. 6. Cato futuris usus est, et quod hoc loco futurum, *migrabunt,* subiicit v. 100. non sequitur, hic quoque futuro opus esse. Praetuli tamen futurum tamquam fortius. *molia* Paris. II. sed supra addito *l. durat* Paris. IV.

V. 99. CANDIDA NIGRA OCULI CERNENT, ET D. LAEVA. *cernant* iidem libri omnes, in quibus *fiant* esse dixi, et praeter hos Leidensis Burmanni. Discrepant tantum Mediceus et Parisinus IV. in quibus *oculi caeci* legitur. *cernent* Romana II. et in quibus aliis v. 98. *fient* legitur. *Candida nigra*: *oculi cernent*: distinguit Veneta 1487. ap. Burm. et sic apud me Veneta 1482. sed hoc vix dignum observatione erat. *leua* Augustanus, alii.

V. 100. MIGRABUNT CASUS ALIENA IN CORPORA RERUM. *casus* corruptum videbatur Heinsio. Quo commotus Burmannus, partim etiam offensus repetitione: *migrabunt — emigret,* quam tamen repetitionem hoc loco poeta consulto admisit haud dubie, varia tentat: *Mutabunt causas aliena et corpora rerum,* vel si *Migrabunt* retinendum sit, *Migrabunt causas aliena et c. r.* hoc sensu: et corpora aliena, seu transfigurata, migrabunt, id est mutabunt, rerum caussas. Verum *migrare* neque apud Lucretium V. 828. vi activa est, ubi cum libris legendum: *omnia migrant*: *Omnia commutat Natura*; neque Cato tam propinquis locis semel *migrabunt* potestate activa, mox *emigret* altera dicturus erat. Ac *migret,* verbum neutrum, est etiam supra v. 50.

Inquirendum erat in sensum loci, antequam ad emendationem confugeretur. Apertum autem est, nullum novum ἀδύνατον describi hoc versu. Quam prius per partes, et per exempla, exornaverat poeta sententiam, nunc uno versu comprehendit, et declarat omnia mutatum iri, et contra naturae leges eventura esse, priusquam amare Lydiam ipse desinat. Ut supra, loco gemino, post exempla ab haedis, vitulis, delphinis, aquilis desumpta, conclusionem addit: *Et conversa retro rerum discordia gliscet, Multa prius* etc. Quo penitus refelluntur coniecturae Burmanni reliquae: *Migrabunt cineres,* vel adeo *Migrabunt homines, aliena in c. r.* quibus ille hoc efficere volebat, de metempsychosi Catonem loqui. Nihil vidi magis mirum, ne quid dicam durius. Etenim Cato scholae isti aut fuit, aut non fuit addictus. Si illud, non potuit metempsychosis inter inaudita naturaeque contraria recenseri; sin hoc, non erat huius loci atque opportunitatis, dissensum declarare suum, et refutare vel traducere doctrinam istam. Nulla hic est vitii suspicio: neque libri variant quicquam, si excipias Venetam 1487. ap. Burmannum, in qua *corpore.* Ad mentem poetae prope accessit Badius: *casus. i. eventa fortuita migrabunt prius in aliena corpora rerum. i. omnia prius in contrarium et praeter naturam evenient.* Et magis perspicue nuper Putschius, qui *casus rerum* cum Arnoldo interpretatur *proprietates* rerum. ad sensum bene: quamquam non intelligitur, quomodo *casus rerum* possint esse *proprietates* rerum. *Casus* Catoni

sunt *συμπτώματα*, quae Lucretius I. 450. sqq. partim *coniuncta* dicit, partim *eventa*. Igitur *casus*, i. e. *συμπτώματα*, *rerum migrabunt*, et transferentur, *in corpora aliena*, h. e. in ea corpora, quibus non sunt propria: quod fit, quum durities molle corpus, amaritudo dulcia invadit, vel quum nigrum id, quod candidum est, laevum, id quod dextrum, oculis videtur. *casus rerum* iam iungebat Arnoldus, male obloquente Burmanno. Sed est sane observanda verborum collocatio: facile enim quisque, qui obiter inspexerit locum cum proximo *corpora* malet *rerum* iungere, quam cum remotiore *casus*. Similia quodam modo exempla ea, quae infra profero, ubi de dictione Catonis, Diss. III. ubi in fine versus, interiecta parenthesi, vocabulum additur ad praecedentia pertinens. Addam alios ex eodem genere locos, sed in quibus tamen satis curatum a poeta videtur, ne ambigui fierent. Culicis v. 133.

*Quercus ante datae, Cereris quam semina, vitae.*

Ciris v. 339.

*nihil est, quod texas ordine, longum.*

Non verendum erat, ne quis *semina vitae*, *ordine longum*, coniungeret. Heynius, etsi recte scriptum exhibuit: *nihil est, quod texas ordine, longum*, vereor ut recte perceperit sententiam. Ac primo plane non intelligo Heynium, qua ratione suam facere interpretationem Pomponii voluerit, quum tamen ipse non eo scriptum modo locum dederit, quo lectum Pomponio esse credibile est, sed alio. Pomponius ita: *nihil est longum, quod ipsa natura ordine texuit.* Mira interpretatio, et a verbis poetae, quae Pomponium ita concepta ante oculos habuisse puto, ut in meis, cod. Basileensi, Veneta Rubei, Vicentina et Vossiano II. leguntur, *nihil est quod texat in ordine longum*, mirum quantum recedens. At recordandum est, saepe Pomponium non verba interpretari accurate, sed sensum, qui ipsi videretur esse, indicare obiter. Itaque verba illa sic accipiebat, nisi fallor: nihil est in ordine rerum, quod ille, ordo, longum texat. Perquam dure. Scribendum est, ut dixi: *nihil est, quod texas ordine, longum*, hoc sensu: noli festinare prae cupiditate, noli praepostere facere quicquam; nihil longum est, quod ordine peragitur. Admonet puellam nutrix, ut omnia tentet, antequam ad extremum illud descendat. Simplicissima sententia, et quam dudum perceperat Scaliger. Sed Scaligerum saepe neglexit Heynius. Ignoro, quis primus veram scripturam, *quod texas o.* invexerit. Est illud tamen satis antiquum inventum, quum exstet in Virgilio, quem dico, Aldi.

V. 101. QUAM TUA DE NOSTRIS EMIGRET CURA MEDULLIS. Similis Virgilii versus loco paullo ante ad v. 98. laudato, Ecl. I. 64.

*Quam nostro illius labatur pectore vultus.*

Et magis similis Propertii, I. xv, 31.

*Quam tua sub nostro mutetur pectore cura.*

Cf. idem Propert. II. xv, 35. ubi rursus post enumerata ἀδύνατα:

*Quam possim nostros alio transferre calores.*

Laudat nostrum locum Broukhusius in Tibull. III. 1, 20. ubi confert inter se similia *excidere, effluere, labi.* *emigrent* Vratisl. I. *emigeret* Vratisl. II. *cara* August. *medulis* Paris. II. sed supra addito *l. medulis* etiam Paris. IV.

V. 102. QUAMVIS IGNIS ERIS, QUAMVIS AQUA, SEMPER AMABO.

*Quamvis ignis eris*] Proverbialiter dixit ex illo:

— ἀλλ' ὑμεῖς μὲν ὕδωρ, καὶ γαῖα γένοισθε.

Eadem sententia cum superioribus: *sive eris, et si non* etc. SCAL. Hic ille versus est, ex quo vel uno historiam scribere carminum Catonis, aliorumque, quae fuere in Iuvenalis Ludi Libello, criticam licet, et qui sint boni libri, qui minus boni, decernere. Deest versus in codicibus Basil. Voss. II. Vratisl. II. in Romana utraque, et in omni libro edito antiquissimo, praeter unam apud me Mutinensem, in qua ille hoc suo loco legitur. Deinde eum ex suo libro scripto restituit Bembus Lib. de Culice: et ex Bembi libro haud dubie venit in Aldinas; ex Aldinis in recentiores, Lugd. 1529. Basil. Bryl. 1543. Venetas Iunt. 1544. Scot. 1555. Bonell. 1558. Lugd. et Antv. 1556. Basil. H. P. 1561. Scaligeranas, reliquas. Et Florentinae Iunt. adscripserat eum, Burmanno testante, manus Pierii: si illa fuit Pierii manus, de quo vehementer dubito. Verum ne quis hanc singularem propriamque Bembino codici laudem existimet, quod conservaverit tam bonum versum, ego nullum librum scriptum antiquum exstare puto, in quo ille desit. Est enim in Thuaneo, Parisinis II. III. IV. Anglicano, Augustano, Monac. I. II. Vratisl. I. et fuit haud dubie in Petaviano et Mediceo, et in Vossiano I. Quare etsi non incredibile est defuisse versum in uno eo, ex quo editae fuere Romanae, tamen non minus credibile, nihil hoc esse nisi editorum, Conradi Arnoldique, et Episcopi Aleriensis, vitium, quod omiserint versum. Romanas secure sequuti sunt editores proximi omnes, praeter eum, qui editioni praefuit illi, ex qua Mutinensis fluxit. Nam Mutinensem ex Mediolanensi 1474. hanc autem ex alia quadam expressam videri, docebitur a me in Catalogo librorum, Diss. IV. Illi autem, quos primo loco commemoravi codices, Basil. Voss. II. Vratisl. II. ex libris editis, Romanis, aliis, exscripti sunt. Pro *ignis* in Paris. III. *nis* legitur.

Sententiam quod attinet, recte Scaliger eamdem esse observat, quae supra v. 96. Non alienum est usitatum poetis latinis *quicquid ero*:

Eleg. de Maec. Anth. Lat. II. cxx, 21. ibique Burm. Sed tamen hoc de homine in elementa *ignis* et *aquae* post mortem dissolvendo, non memini me legere alibi. Neque totus similis est locus apud Scaligerum Homericus, Iliad. VII. 99. Et quod adscripsi, aut ab alio comparatum, aut a me ipso annotatum, *ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί* Epigr. Incert. Brunck. DCXXXVII. Suid. v. *Τιβέριος*, sensu multum diverso dictum esse apparet. Homeri locum haud dubie ante oculos habuit Propertius II. xvi, 46. sed ubi de rebus, ornamentis, gemmis, sermonem facit, quae vult disperdi, atque *ἀφανῆ* fieri.

V. 103. GAUDIA SEMPER ENIM TUA ME MEMINISSE LICEBIT. *licebit* legas, an *iuvabit*, ab eo pendet, utrum plus nostris libris antiquis, Petaviano, Thuaneo, Augustano, an Mutinensi, Aldinisque, quarum hoc in loco valida libri Mutinensis assensu auctoritas, tribuas. Potuisse utrumque dici certissimum est. Si *iuvabit*, nihil erunt verba *gaudia s. enim tua me m. iuvabit*, nisi explicatio praecedentium, *semper amabo.* ut dicat: semper amabo; semper enim cum voluptate recordabor te tuaque gaudia. Si *licebit*, ratiocinatio erit huiusmodi: semper amabo; quod enim aliquis dicat, fieri non posse, ut amem mortuam, ego tamen potero, quod instar amoris est, semper recordari gaudia tua. Quodsi in uno tantum libro *iuvabit* legeretur, coniiceres fortasse a docto quodam librario invectum esse recordatione versus Virgiliani, Aeneid. I. 203. *forsan et haec olim meminisse iuvabit.* At in Mutinensem nulla talis suspicio cadit. *iuvabit* Bembus, e libro suo, ut videtur: certe ex editis habere non potuit, quum *licebit* in editis ante Aldinas, inde a Romanis, Mutinensi excepta, omnibus legatur. Et *licebit* Petav. Thuan. ap. Heins. Helmstad. ap. Wernsdorf. et scripti apud me omnes, etiam Vossianus I. de quo diserte testatur Vossius, et Vossianus II. Ut nesciam quid de Burmanno dicam, qui *libebit* esse in cod. Voss. et Leid. refert. An *libebit* coniectura fuit Heinsii? Ad tantum librorum consensum ego me quoque conformavi, praesertim quum ratiocinandi subtilitas illa, quam exposui, non aliena videatur ab ingenio Catonis. *iuvabit* post Aldinas multae, Basil. 1543. Venetae 1544. 1555. 1558. Lugd. et Antv. 1556. Basil. H. P. 1661. Scaligeranae, Pithoeus, Boxh. Arnold. Burm. Wernsd. *licebit* mansit in Lugd. 1529. idque nuper revocarunt Putschius, Silligius. *tua meminisset licebit* Thuan. testantibus Vossio et Lasseno. *me* pronomen omittunt etiam Paris. IV. et Augustanus, in quo sic: *tua meminis selicebit.*

*Gaudia tua*, quae cepi ex te.

# ANIMADVERSIONES

## IN

# ECLOGAM E LYDIA.

De Ecloga, quam dico, quo modo conglutinata cum Diris fuerit, et de Lydia libro, quem librum Cato ante Diras scripsit, expono Diss. I. et II. Quaerat aliquis, an sit carmen integrum: de initio loquor. Nam sane quum illud coniungebatur cum Diris, fieri potuit, ut versus aliquot omitterentur. Sed integrum est haud dubie. Tenendum est, poetam iuvenem, amatorem, morari alicubi distentum occupationibus, fortasse Romae: reliquerat agrum suum, inque eo Lydiam. Eam expetit vehementissime.

In principio carminis observandi sunt versus intercalares tres, 1. 8. 20.

*Invideo vobis agri, formosaque prata.*
*Invideo vobis agri: discetis amare.*
*Invideo vobis agri: mea gaudia habetis.*

Quibus versibus quae subiectae sunt partes carminis, respondent sibi inter se, atque in argumento versantur omnes eodem, sed ita, ut quasi crescentem videamus dolorem poetae: querelae enim paullatim longius longiusque exspatiantur.

V. 1. (104.) INVIDEO VOBIS AGRI, FORMOSAQUE PRATA. *agri* omiss. in Vratisl. I. *agris* Ven. Achat.

V. 2. 3. (105. 6.) HOC FORMOSA MAGIS, MEA QUOD F. PUELLA etc. Haec vera est scriptura ac distinctio: colon, post *vobis* ut in Romanis, Veneta Achatis, aliis; vel punctum, ut in Venetis Rubei et Iensoni. In Aldina I. atque inde in Venetis Iunt. 1544. Bonell. 1558. Basil. II. P. 1561. male: *puella, Et vobis tacite nostrum* etc. Et Douza Pater ap. Lindenbruch. coniiciebat: *mea quod formosa puella est Vobiscum, et tacite nostrum* etc. Offensioni erat, nisi fallor, non

recte intellectum *est vobis*: quod sane, si ita accipiatur, ut interpretatur Badius, *apud vos*, et mire dictum erit, neque aptum ad sententiam Catonis. Nam *apud agros*, vel *in agris*, etiam antea fuerat Lydia: nunc de eo sermo est, Lydiam esse in agris solam, absente Catone. Veram interpretationem verbo monstrat Scaliger in Eleg. de ob. Maecenat. p. 274. ed. Lindenbr. ubi dictionem *fuisse tibi* interpretatur: *tuus fuisse*, illustratque locis Catonis, hoc, et altero parallelo 21. (124.)

*Et vobis nunc est, mea quae fuit ante, voluptas.*

Sic Tibullus IV. vi, 3.

*Tota tibi est hodie.*

Iste locus in Elegia de Maecen. Anth. Lat. II. cxx, 14. aliam interpretationem admittit. Igitur *est vobis* significat: vestra est. Vestra est, quia absum. Quo enim tempore ipse in agris erat Cato, Lydia ipsius erat.

Pro *Hoc* Mediceus a manu pr. *Nec* et a manu sec. *Haec. Nec* etiam Anglic. Helmstad. Veneta Achat. et *Haec* Paris. IV. Romana I. cum cod. Basil. *Hoc* Romana II. caeterique libri. Pro *quod* in Mediceo, Helmstadiensi, Anglicano, et, nisi fallit compendium scripturae, in Parisino IV. *quam* legitur; *quode* in Mutinensi; *quo* in Monac. I. et II. et *quo* in Scaligerana a. 1595. atque inde apud Burmannum, Wernsdorfium. *nobis* pro *vobis* Paris. IV.

V. 3. (106.) — TACITE NOSTRUM SUSPIRAT AMOREM.

*Tacite vestrum suspirat*] Veteres excusi: *tacite vestri.* Malim igitur

— *tacite vestri suspirat amore.* SCALIG.

Intellexit Putschius non convenire *vestrum, vestri.* Non de agrorum enim amore agitur, quem cur *suspiraret* et *tacite* suspiraret Lydia, nihil caussae erat, quum ipsa in mediis versaretur agris; sed de Catonis amore absentis. *nostrum* Petav. Thuan. Medic. Voss. I. s. f. s. Paris. II. III. IV. Anglic. August. Monac. I. II. Vratisl. I. Mutinensis, Aldinae, et ex Aldinis Venetae Iunt. 1544. Scot. 1555. Bonell. 1558. Basil. H. P. 1561. Gloss. V. I. *Aliqui nostrum legunt. uestrum* vulgo, h. e. in veteribus libris editis, inde a Romanis, excepta Mutinensi; tum in recentioribus plerisque; etiam in codicibus Basil. Voss. II. Vratisl. II. Ignoro, qui sint *veteres excusi*, quos Scaliger *vestri* habere dicit: ego id tantum in Ascensianis, apud Cronflitium, et in Lugd. 1529. repperi.

Vel sic tamen dubium, utrum *nostrum amorem* sit meum in se, an meum et suum, an suum in me. Nam haec omnia significare potest *nostrum.* Postremum placebat Broukhusio in Tibull. I. vii, 41. sed qui eum in sensum *nostri* malebat: ita enim scriptum laudat locum Catonis:

*tacite et nostri suspirat amorem.* Similiter Arnoldus, qui *tacite nostri et s. a.* edidit. Sine necessitate: nam potest eodem sensu *nostrum* dici, ut Graeci σὸς πόθος, alia. Mihi simplicissimum videtur prius illud: cum desiderio cogitat, atque cupit, amorem in se meum. *Παράλληλοι* nostro versus sunt qui sequuntur, 6.

*Et mea submissa meditatur carmina voce.*

et 15.

*Et secreta meos furtim narrabit amores.*

De usu verbi *suspirare* nonnulla Burmannus, e quibus ad Catonem proxime accedunt Tibulli loci, I. vi, 35. *Te tenet, absentes alios suspirat amores*; IV. v, 11. *Quod si forte alios iam nunc suspirat amores*: quamquam ne hi quidem prorsus congruunt cum Catone. Longius recedit Ovidius Fast. I. 417. *Hanc cupit, hanc optat: sola suspirat in illa*: vel, ut in aliis, monente Burmanno: *solam s. in illam*: unde expressum dixerim istud Pseudogalli in Elegia ab Aldo Manutio edita (Wernsdorf. P. L. M. To. III. p. 183.) v. 47. *Me vocat absentem, me me suspirat in unum.* Apud Ovidium paene malim *sola suspirat in illa*, e Catull. Epith. P. et Th. 98. *in flavo saepe hospite suspirantem.* Deinde quum in Catonis versu *vestri suspirat amore* Scaliger, et *nostri suspirat amore* coniecerit Douza Filius ap. Lindenbr. et quum *amore* sit in Parisino III. observandum est, utrumque dici, *suspirare amore*, et *suspirare amorem, amores*, sed cum discrimine sententiae. In Lucret. IV. 1185. *Nec mulier semper ficto suspirat amore*, ubi Broukhusius in Tibull. l. l. male *fictos s. amores* coniicit, verba sunt Wakefieldii: *Nempe suspirare amores est, cum desiderio cupere*; *rursus suspirare amore valet, prae violentia amoris ducere suspiria.*

*In vobis t. nostrum suspirat amorem* coni. Heinsius, vel *En vobis.* *suspirant* Paris. IV.

V. 4. (107.) VOS NUNC ILLA VIDET, VOBIS MEA LYDIA LUDIT. Mirus codicum complurium error. Parisinus IV. Anglicanus, et Helmstadiensis hunc versum et sequentem in unum contrahunt, ita:

*Vos nunc illa uidet uos* (Paris. IV. *nos*) *nunc arridet ocellis*

verbis *vobis mea L. l. Vos. n. alloquitur* omissis. Et sic Mediceus ap. Burm. in quo: *Illa videt vos nunc, vos nunc arridet ocellis.* Atque eiusdem erroris in Vossiano I. vestigia erant: monet enim Vossius, nunc quidem eo in libro legi: *uobis mea Lydia ludit*: sed ante pro his *bis mea Lydia ludit* aliud quid scriptum fuisse. Scilicet librarius, aberrans in versum proximum, ut aberratum est in Parisino IV. reliquis, coeperat scribere: *uos nunc arridet ocellis*: mox animadvertit errorem,

et correxit. Et hoc quidem minime mirum, quod ita aliquis erraverit: proclive erat errare eo modo, in similitudine ista verborum: *Vos nunc — vobis — Vos nunc — vos nunc.* illud mirum, quod idem error pluribus communis codicibus. Quare codices eos cognatos inter se fuisse, vel ex uno antiquiore vitium in hos, quos dixi, venisse statuimus. Aliud, sed eodem ex genere vitium Parisini III. est, in quo pro verbis *illa videt* legitur *allaquider,* monstrum vocabuli: aberraverat in versum seq. ubi *alloquitur* est; mox animadvertit errorem, sed neglexit corrigere monstrum illud. *vobis* recte accepit Badius: quasi ad delectationem vestram, cum ego absim. Quid Heinsius? Coniecit: *per vos mea Lydia ludit.* Ut idem vs. praeced. *in vobis* coniecerat. Tales coniecturas qui viderit, quae coniectorem de sententia poetae plane non cogitasse evincunt, fatebitur iuste disputata esse, quae ego infra Diss. IV. ubi de Badio, et de opera Heinsii. *Lidia* Ven. Achat.
De allitteratione *Lydia ludit* cf. Diss. III.

V. 5. (108.) VOS NUNC ADLOQUITUR, VOS N. ADRIDET OC. Hunc versum totum omittit Monacensis II. Similis error ei, de quo dictum ad versum praeced. Fefellit librarium, quod duo deinceps versus iisdem verbis incipiunt, *Vos nunc.* Praeterea nihil variant libri scripti editique antiqui, nisi quod *nos* Paris. IV. et *ocelles* August. sed quod correctum ab ipso librario. *vobis* mala coniectura, fortasse Badii, pro *vos nunc,* in Ascensianis, apud Cronflitium, in Florentina Iunt. ap. Burmannum, et in Lugd. 1529. Sane singulare est *vos arridet,* neque habeo exemplum alterum. Cf. ad Dir. 63. animadversa. Laudat hunc versum C. Barthius Adversar. XXI. xiv. sed propter risum oculorum.
*adloquitur* scripsi, et *adridet,* cum Aldinis, et aliis nonnullis, Lugd. 1529. Basil. H. P. 1561. Et *adridet* Thuan. Paris. III. In Augustano *alloquitur* et *arridet.* Neque constant sibi Aldinae, in quibus mox *summissa.*

V. 6. (109.) ET MEA SUBMISSA MEDITATUR CARMINA VOCE. *submissa* scripsi cum Thuan. August. Ven. Achat. Mutin. Argent. Lugd. 1529. *sumissa* Paris. IV. *summissa* caeteri, praeter Burmannum, qui etiam *adloquitur,* et *adridet.* *medicatur* Monac. I. Est autem locus venustissimus. *meditatur voce,* et quidem *submissa*: ut facimus, quum versus quaerimus, aut modos, auditos nobis, sed quos non tenemus integros.

V. 7. (110.) CANTAT ET INTEREA, MIHI QUAE CANTABAT IN A. *Mihi quae cantabat in aurem*] ὀαρισμοί. SCALIG.

*tacite et nostri suspirat amorem.* Similiter Arnoldus, qui *tacite nostri et s. a.* edidit. Sine necessitate: nam potest eodem sensu *nostrum* dici, ut Graeci σὸς πόθος, alia. Mihi simplicissimum videtur prius illud: cum desiderio cogitat, atque cupit, amorem in se meum. *Παράλληλοι* nostro versus sunt qui sequuntur, 6.

*Et mea submissa meditatur carmina voce.*

et 15.

*Et secreta meos furtim narrabit amores.*

De usu verbi *suspirare* nonnulla Burmannus, e quibus ad Catonem proxime accedunt Tibulli loci, I. vi, 35. *Te tenet, absentes alios suspirat amores*; IV. v, 11. *Quod si forte alios iam nunc suspirat amores*: quamquam ne hi quidem prorsus congruunt cum Catone. Longius recedit Ovidius Fast. I. 417. *Hanc cupit, hanc optat: sola suspirat in illa*: vel, ut in aliis, monente Burmanno: *solam s. in illam*: unde expressum dixerim istud Pseudogalli in Elegia ab Aldo Manutio edita (Wernsdorf. P. L. M. To. III. p. 183.) v. 47. *Me vocat absentem, me me suspirat in unum.* Apud Ovidium paene malim *sola suspirat in illa*, e Catull. Epith. P. et Th. 98. *in flavo saepe hospite suspirantem.* Deinde quum in Catonis versu *vestri suspirat amore* Scaliger, et *nostri suspirat amore* coniecerit Douza Filius ap. Lindenbr. et quum *amore* sit in Parisino III. observandum est, utrumque dici, *suspirare amore*, et *suspirare amorem, amores*, sed cum discrimine sententiae. In Lucret. IV. 1185. *Nec mulier semper ficto suspirat amore*, ubi Broukhusius in Tibull. I. l. male *fictos s. amores* coniicit, verba sunt Wakefieldii: *Nempe suspirare amores est, cum desiderio cupere; rursus suspirare amore valet, prae violentia amoris ducere suspiria.*

*In vobis t. nostrum suspirat amorem* coni. Heinsius, vel *En vobis. suspirant* Paris. IV.

V. 4. (107.) VOS NUNC ILLA VIDET, VOBIS MEA LYDIA LUDIT. Mirus codicum complurium error. Parisinus IV. Anglicanus, et Helmstadiensis hunc versum et sequentem in unum contrahunt, ita:

*Vos nunc illa uidet uos* (Paris. IV. *nos*) *nunc arridet ocellis*

verbis *vobis mea L. l. Vos. n. alloquitur* omissis. Et sic Mediceus ap. Burm. in quo: *Illa videt vos nunc, vos nunc arridet ocellis.* Atque eiusdem erroris in Vossiano I. vestigia erant: monet enim Vossius, nunc quidem eo in libro legi: *uobis mea Lydia ludit*: sed ante pro his *bis mea Lydia ludit* aliud quid scriptum fuisse. Scilicet librarius, aberrans in versum proximum, ut aberratum est in Parisino IV. reliquis, coeperat scribere: *uos nunc arridet ocellis*: mox animadvertit errorem,

et correxit. Et hoc quidem minime mirum, quod ita aliquis erraverit: proclive erat errare eo modo, in similitudine ista verborum: *Vos nunc* — *vobis* — *Vos nunc* — *vos nunc.* illud mirum, quod idem error pluribus communis codicibus. Quare codices eos cognatos inter se fuisse, vel ex uno antiquiore vitium in hos, quos dixi, venisse statuimus. Aliud, sed eodem ex genere vitium Parisini III. est, in quo pro verbis *illa videt* legitur *allaquider,* monstrum vocabuli: aberraverat in versum seq. ubi *alloquitur* est; mox animadvertit errorem, sed neglexit corrigere monstrum illud. *vobis* recte accepit Badius: quasi ad delectationem vestram, cum ego absim. Quid Heinsius? Coniecit: *per vos mea Lydia ludit.* Ut idem vs. praeced. *in vobis* coniecerat. Tales coniecturas qui viderit, quae coniectorem de sententia poetae plane non cogitasse evincunt, fatebitur iuste disputata esse, quae ego infra Diss. IV. ubi de Badio, et de opera Heinsii. *Lidia* Ven. Achat.
De allitteratione *Lydia ludit* cf. Diss. III.

V. 5. (108.) VOS NUNC ADLOQUITUR, VOS N. ADRIDET OC. Hunc versum totum omittit Monacensis II. Similis error ei, de quo dictum ad versum praeced. Fefellit librarium, quod duo deinceps versus iisdem verbis incipiunt, *Vos nunc.* Praeterea nihil variant libri scripti editique antiqui, nisi quod *nos* Paris. IV. et *ocelles* August. sed quod correctum ab ipso librario. *vobis* mala coniectura, fortasse Badii, pro *vos nunc,* in Ascensianis, apud Cronflitium, in Florentina Iunt. ap. Burmannum, et in Lugd. 1529. Sane singulare est *vos arridet,* neque habeo exemplum alterum. Cf. ad Dir. 63. animadversa. Laudat hunc versum C. Barthius Adversar. XXI. xiv. sed propter risum oculorum.
*adloquitur* scripsi, et *adridet,* cum Aldinis, et aliis nonnullis, Lugd. 1529. Basil. H. P. 1561. Et *adridet* Thuan. Paris. III. In Augustano *alloquitur* et *arridet.* Neque constant sibi Aldinae, in quibus mox *summissa.*

V. 6. (109.) ET MEA SUBMISSA MEDITATUR CARMINA VOCE. *submissa* scripsi cum Thuan. August. Ven. Achat. Mutin. Argent. Lugd. 1529. *sumissa* Paris. IV. *summissa* caeteri, praeter Burmannum, qui etiam *adloquitur,* et *adridet. medicatur* Monac. I. Est autem locus venustissimus. *meditatur voce,* et quidem *submissa*: ut facimus, quum versus quaerimus, aut modos, auditos nobis, sed quos non tenemus integros.

V. 7. (110.) CANTAT ET INTEREA, MIHI QUAE CANTABAT IN A. *Mihi quae cantabat in aurem*] ὀαρισμοί. SCALIG.

*interea,* dum absum. sic bene Gloss. V. I. Silligius quo tempore illa de programmate Eichstadii scripsit in Annalibus Iahnii, ignorabat observationem Iacobsii anno 1792. factam. Itaque haeret in *interea,* et quaerit: quomodo *interea,* quum non rediturus esset poeta? Putschius vero, cui innotuerat inventum Iacobsii, non totum disputationis Iacobsii pondus excepit, neque recte ea usus est. Quum carmen hoc ante Diras scriptum sit, quo tempore Cato minime suspicabatur expulsum se iri ex agro suo, quid mirum, si de reditu suo in agrum cogitat. Rediturus erat utique, confectis negotiis, et carmina illa repetiturus Lydiae, alia nova inventurus. *cantavit* male recentiores nonnullae: Ascensianae, Cronflitius, Florent. Iunt. ap. Burmannum, Lugd. 1529. *michi* August.

Martialem V. LXI, 3. *dominae teneram qui garrit in aurem,* Arnoldus laudat. Add. idem Martialis I. XC. ubi *Garris in aurem, Rides in aurem, Cantas in aurem, laudes in aurem.* Intpp. Petronii, Bourdelot. ad cap. XXVIII. Gonsalius ad cap. XXV. Broukhusius in Propert. I. XII, 6. qui non immemor Catonis. Et Apuleius Metam. II. p. 115, 16. *statim, incertum quidnam, in aurem mulieris obganniit.* ubi Elmenhorstius Ind. v. *Obgannire* laudat Persium V. 96. *secretam gannit* (vel *garrit*) *in aurem,* et Afranium ap. Nonium p. 450, 11. *Gannire ad aurem nunquam didici.* Quamquam hi loci omnes non multum faciunt ad Catonem. Nam, ut de uno dicam, Afranius de adulatore, vel calumniatore, qui solent rumores cum specie arcani spargere, loqui videtur. At Lydia in aurem Catoni cantabat aut propter pudorem, aut quoniam hoc est familiaritatis documentum. Aut simpliciter significat, tum cantasse Lydiam, quum esset sola cum solo.

V. 8. (111.) INVIDEO V. AGRI: DISCETIS AMARE. *Inuidio* Mutin. *dissetis* Thuan. testante Vossio. *dicetis* Paris. IV. *I. v. a. formosaque prata* Voss. I. vitio librarii, in memoriam versus 1. incidentis.

V. 9. (112.) O FORTUNATI NIMIUM, MULTUMQUE BEATI.
*O* deest Thuaneo. *furtunati* Ven. Achat. *nimiumq;* pro *multumque* Mutin.

V. 10. (113.) IN QUIBUS ILLA PEDIS NIVEI VESTIGIA PONET.
*Inqubus* August. *Inquibus* cod. Basil. Ven. Achat. Mutin. Ven. 1488. *pedes* Paris. III.

V. 11. (114.) AUT ROSEIS DIGITIS VIRIDEM DECERPSERIT UVAM.
*viridem,* immaturam: ut clarius apparet ex versu seq. Unde anni tempus colligitur, quo scriptum hoc carmen est. Decerpebat autem uvam

immaturam Lydia, non ut comederet, sed aliud agens, occupata ac plena somniis amatoriis. Haec omnia sunt pulcherrima.

Monacenses duo et Vratisl. I. hoc ordine: *Aut roseis viridem digitis d. u.* gaudium, si scivisset, Francio, qui ita ordinari verba e coniectura iubebat. Eodemque modo ordinata C. Barthius profert Adversar. XXIII. XXIV. non e codice, ut puto, sed suo quodam sensu ductus. Quem esse falsum sensum doceo Diss. III.

*unam* Rom. I. *uuam* Rom. II. et reliquae, nisi quae rursus casu *unam* erraverit, ut Ven. 1482.

V. 12. (115.) DULCI NAMQUE TUMET NONDUM VITECULA BACCHO. *vitecula* scripsi ex Petav. Thuan. Leid. Medic. Paris. II. III. IV. Anglic. August. Monac. I. Monac. II. (in quo *vitecla*) Vratisl. I. *uitecula* etiam Veneta Achat. Mutin. Brix. 1485. Ven. 1488. Mediol. 1501. Aldinae, post Aldinas aliae. Et *uitecula* nunc est in exemplo Venetae Iens. Lipsiensi, a manu; agnoscitque Badius his verbis: *vitecula* (*quasi a nominativo vites*: *quod si legatur ut in multis viticula*: *ti syllaba producitur sicut a satyrico in cuticula*) *viticula igitur* etc. *cuticula* secunda producta legitur apud Persium IV. 18. ap. Iuvenal. XI. 203. Sed diversa haec esse iam intellexerat Nestor Dionysius Novariensis, cuius haec est libro VI. exeunte fol. 135. a. ed. 1488. per Guiglielm. de Tridino, disputatio: *Vitis cum i post t scribitur*: *a qua fit per diminutionem viticula*: *et cum e vites effertur*: *cuius diminutivum erit vitecula. Hieronymus in Ioanne. Ego sum vitis vos palmites. Virgilius in diris. Dulci nanque tumet nondum vitecula baccho. Nam si dixisset viticula, versus stare non posset. Nec est eadem ratio, quare non possit poni viticula ti syllaba producta, sicut cuticula, canicula, tegeticula, cuniculus*: *quia viticula primam producit syllabam*: *et ex tribus primis syllabis optime dactylus confici potest*: *non sic in praefatis dictionibus, quarum prima syllaba correpta est.* Et *vitecula* iterum laudat idem fol. 163. a. E Romanis annotatum apud me est *vitercula*; *viterula* Venetae Rub. et Iens. Vicentina, Venetae duae Burmanni, et reliquae ante Aldinas, praeter eas, in quibus *vitecula* esse dixi, et exceptis his, in quibus *viticula* esse dicam. *viterula* etiam Voss. II. Vratisl. II. et *vicerula*, nota confusione *c* et *t* litterarum, Basil. *viticula* Norimb. 1492. Argent. 1502. Virgil. Aldi, Taur. 1518. Lugd. 1529. aliae, tum Scaligeranae, Pithoeus, Boxhorn. Arnold. Burm. Wernsd. Putsch.

Aliud est librorum, et quidem librorum, quos novimus, optimorum, Petaviani, Thuanei, Augustani, tum Leidensis ap. Burmannum, Parisini II. Monacensium I. II. et Vratislaviensis I. vitium: *Dulcia* pro *Dulci.*

Quod non habeo quomodo explicem. Sed statim alia eiusdem modi videbimus, in versibus, qui sequuntur. Ac probant talia parum sollicitos librarios illos de sensu fuisse: qua observatione excluditur suspicio interpolationis; deinde, quum in multis libris vitium sit idem, probatur eo, vinculo aliquo cognationis inter se coniunctos esse eos libros. *nanq;* Romanae, et veteres aliae, vel plurimae. *timet* cod. Bas. *nundum* Anglic. *bacho* Thuan. testante Lasseno, Paris. II. III. Angl. Monac. I. II. Vratisl. I.

Uncis versum includit Aldina II. et post eam aliae, ut Scaligeranae, quo significaretur in parenthesi positum esse, ut sane est.

*Nondum namque tumet dulci viticula B.* transpositis verbis, edidit Arnoldus, quem offendebat haud dubie tertio loco posita particula negativa: de qua ego Diss. III.

*tumere, turgere,* verbum proprium de uvis, baccis: Burmann. ad Anth. Lat. lib. V. LXXX.

V. 13. 14. (116. 117.) AUT INTER VARIOS VENERIS STIP. FL. etc. *Veneris stipendia* dedi ex libris editis omnibus, e cod. Bas. et Voss. II. et *stipendia* etiam in libris antiquis plerisque, h. e. in Petav. Thuan. Medic. Paris. II. III. IV. Angl. August. Verum in iisdem libris antiquis, miro errore, non *veneris* legitur, sed *venerem,* et *vitem* in Mediceo. Recedunt Voss. I. Monac. I. II. Vratisl. I. De illo haec est annotatio Vossii:

a†
Venerem stipantia. V.

In Monac. I. II. et Vratisl. I. *uenerem spumantia* legitur. Caeterum haec quoque antiquum esse mendum *Venerem* comprobant. Scilicet quum *Venerem stipendia* scriptum in exemplaribus antiquis invenissent, verbum quaerentes, a quo *Venerem* accusativus penderet, unus librarius *stipantia* interpolavit, alter *spumantia.* Interpolatio etiam, vel correctio est, quod in Vratisl. II. *ueneris dispendia.* Laudat locum Nestor lib. VIII. fol. 163. *a.* ita: *Stypendium cum t exili, et y gracco, licet a stype teste Varrone derivetur, primam quidem syllabam corripiente, tamen sty syllabam producit. Catullus. Indomito nec dira ferens stypendia tauro. Virgilius in diris. Dulci nanque tumet nondum vitecula bacco, Aut inter varios Veneris stypendia flores Membra reclinarit.* *stipendia* Gloss. V. I. bene interpretatur *munera, tributa*: modo teneas munera intelligenda esse, non quae dat Venus, sed quae dantur ac tribuuntur Veneri. Neque video, tantam in hoc usu vocis *stipendia* insolentiam esse, ut de vitio cogitari, aut in crimine poni Catoni debeat. Etsi fateor insolenter dictum esse. Quum enim *stipendia* dici soleant, quae quis alteri imponit, et exigit ab altero, ut est in Catulli loco

apud Nestorem, hic, sine ulla necessitatis notione, Veneris *stipendia* dicuntur flores, quia debentur Veneri, ac proprii sunt Veneri. Est igitur *Veneris stipendia* epitheton florum commune, ut *Veneris serta*, Dir. v. 20. *Haec* Veneris *vario florentia* serta *decore*: ubi proprios Veneri flores esse docui.

*Veneris dispendia*, quod esse in Vratisl. II. monui, coniecit etiam Douza Pater ap. Lindenbruchium. *veris dispendia* coniectura Heinsii ad Dir. 20. prolata. *Venerem spirantia* coni. Eichstadius, ut ad *membra* referatur. *Venerem simulantia* Silligius.

V. 14. *declinarit* Thuan. Par. IV. et, nisi fallor, etiam reliqui Parisini, II. et III. tum August. Romana utraque, Venetae Achat. (in qua *declinavit*) Rub. Iens. Norimb. 1492. Ven. 1499. Argent. 1502. cum cod. Bas. et Vratisl. II. Qui consensus in vitio manifesto abunde docet, quam secure unus sequutus sit alterum. *reclinarit* Angl. Monac. I. II. Vratisl. I. et Mutin. Vicent. cum Voss. II. Ven. 1482. Brix. 1485. Ven. 1486. 1488. Ascensianae, Mediol. 1501. Virgilius Aldi, Taur. 1518. Aldinae, aliae. Et *reclinarit* apud Nestorem l. l.

Rursus pro vulgato ac vero *teneramque* in bonis libris, Thuaneo, Parisinis II. III. et Augustano, *teneremq;* legitur, fortasse natum ex versu praecedente, quum oculi librarii male reverterent ad *Venerem*. Magis pingue vitium in Mediceo, Parisino IV. Anglicano: *Veneremq; illiserit herbam. illiserit* etiam in Paris. III. Monac. I. II. et *inliserit*, quod recepi, Thuan. Paris. II. *inlyserit* August. *inpresserit* Vratisl. I. sed ab eadem manu superscriptum *illiserit*. Vulgata scriptura est *illeserit*, ut in Romana II. Veneta Iens. et cod. Bas. Vratisl. II. aut *illaeserit*, ut in Veneta Rub. Veneta 1482. aliis, etiam Ascensianis. at *illiserit* recte Romana I. Mutin. Virgilius Aldi, Taur. 1518. Aldinae, aliae. *illuserit* Veneta Achat. *illaescerit* Vicent.

*herba* Ven. Achat. *teneraq; illaeserit herba* Argent. 1502. *eliserit* coniiciebat Arnoldus ad v. 169.

V. 15. (118.) ET SECRETA MEOS FURTIM NARRABIT AMORES. *secrete* Medic. Paris. IV. *narrabis* Monac. I. II. Vratisl. I. *Ut secreta* coni. Heinsius. *meos amores*: quos exercebam cum ipsa. παράλληλος est, ut monui, versus superior 3. Verum illic *amor* magis ad affectionem animi referendum, hic *amores* de ipsa consuetudine lusibusque amantium dictum est. Idem est quod paullo post dicit, *iocundas exponat* [illegible] *querelas*.

V. 16. (119.) GAUDEBUNT SILVAE, G. MOLLIA PRATA. *syluae* eaedem, in quibus supra ad Dir. 18. eam orthographiam obser-

vari monuimus: Brix. Ascensianae, etc. *mellea* var. lect. apud Arnoldum, nescio unde. *pratra* August.

V. 17. (120.) ET GELIDI FONTES, AVIUMQUE SILENTIA FIENT. *silencia* Thuan. testante Lasseno, et Monac. II. *fiant* Medic. et Petav. *fiant* cum supra scripto *e* Thuan. testante Vossio.

V. 18. (121.) TARDABUNT RIVI: LABENTES CURRITE LYMPHAE.
*Tardabunt rivi*] Lego:

*Tardabunt rivi labenti currere linfa.* SCALIG.

*currite* Medic. Helmst. meique scripti tam vetusti quam recentiores omnes, etiam Vossianus I. diserte testante Vossio; item omnis liber editus ante Aldinas. Et profecto singularis haec est infelicitas, tam bonum dictum potuisse cedere alteri, multo deteriori, *currere,* neque recentiores ad bonum pristinum redisse criticos. Verum *currere* etiam Scaligero imposuit, qui tamen alibi in iudicandis iis, quae ex Aldinis provenere, usque ad iniquitatem severus est. Caussam autem corruptionis primam videor mihi monstrare posse. Scilicet quum ante *labentes* Romanae, Veneta Achat. et Iens. cum cod. Bas. et Vratisl. II. et Ascensianae Florent. Iunt. ap. Burm. recte distinguant colo, vel puncto: Veneta Rub. Vicentina, cum Voss. II. Ven. 1482. Brix. 1485. aliae, omittunt eam distinctionem. Qua re quum obscurus factus esset sensus loci, Aldinae intulerunt: *Tardabunt rivi labentes* currere *lymphae*: quod sequuntur Basil. 1543. Venetae 1544. 1558. Lugd. et Antv. 1556. Basil. H. P. 1561. Scaligeranae, Pithoeus, Boxh. Burm. Wernsd. Putsch. Quanto melius antiquum: *Tardabunt rivi*: *labentes* currite *lymphae*: in quo *tardabunt* est verbum neutrum, sive absolute dictum. Ut accipiebat Badius: *rivi tardabunt sup. se.* Quod si quis eam in rem desideret exempla, mihi sufficit Virgilius Aen. X. 857. *quamquam vis alto volnere tardat*: cum disputatione N. Heinsii ad Aen. II. 208. et Vossii de Analogia III. III. Scio turbari in illo Virgilii loco, sed verum est haud dubie, quod protuli, et explicandum ita, ut feci, ut *tardat* sit neutrum; *tardet* Veneta et Mediolanensis Maittairii, et apud me Mutinensis; *tardat* Veneta Rubei. Deinde poeta, utens apostrophe illa sua, et hic quidem utens felicissime, admonitionem addit ad lymphas, ne strepitum faciant: *labentes currite lymphae.* ubi *labentes* cum vi dictum est, de motu tranquillo, inobservabili, qui non percipitur auribus. Minus bene Argent. 1502. Virgilius Aldi, Taur. 1518. Lugd. 1529. post *labentes* interpungunt colo, vel commate, ita: *T. rivi labentes, currite l.*

*uiri*: Ven. Achat. *lyphae* Thuan. testante Vossio. *lymphe* Paris.

III. Monac. II. *limphae* Angl. *nymphae* August. Vratisl. I. *rivi labentis* Heinsius; atque *labentis* in Parisino 8069. esse, qui est Thuaneus, testatur Silligius: quod apud me non annotatum eo ex libro. Praeterea Heinsius tentabat alia: *ripis.* vel *ripam lambentes.* *T. rivi labenti currere lympha* e coniectura Scaligeri edidit Arnoldus.

V. 19. (122.) DUM MEA IOCUNDAS EXPONAT CURA QUERELAS. Cf. versus *παράλληλοι*, 3. et maxime 15. Quum *amores* puella canit, dum abest amator, *querelae* fiunt, sed *iucundae.* Laudat hunc versum Scaliger ad Cirin p. 51. ed. Lindenbr. ubi de usu vocis *cura.* Inepte Domitius: *o lymphae currite*: *dum* ego *expono* meas *querimonias.*

*iocundas* Thuan. Paris. III. IV. Angl. August. Monac. I. II. Vratisl. I. Mutin. Norimb. 1492. Mediol. 1501. Argent. 1502. *querelas* August. *quaerelas* Venetae 1482. 1500. *quaerulas* vel *querulas*, tamquam scriptura diversa, in marg. Lugd. 1529. et Venetarum 1544. 1555. 1558. itemque in marg. Basil. 1543. *exponet* Bas. H. P. 1575. *expromat* coni. Heinsius.

V. 20. (123.) INVIDEO V. AGRI: MEA GAUDIA HABETIS. Laudat versum Scaliger in Tibull. IV. vii, 6. p. 184. Sane *mea gaudia*, ut *mea cura*, *mei amores*, et similia in aliis linguis, saepe dicitur non proprie, sed honoris caussa, nihil ut significetur aliud quam *mea puella.* Ut versu praeced. *mea cura.* Verum tamen nonnunquam propriam vim suam obtinet dictio: ut hoc loco, ubi, quod versus ostendit qui sequitur, *mea gaudia habetis* non est simpliciter: habetis meam Lydiam, sed est: gaudetis ea, quae fuit, ac deberet esse, *mea gaudia.* Igitur, (ut exemplo rem illustrem,) quum multis locis perinde sit, utrum puellam suam amator dicat sua *gaudia*, an suam *curam*, an suos *amores*, huic loco unice aptum est *mea gaudia*, non aptum foret *meam curam.*

V. 21. (124.) ET VOBIS NUNC EST, MEA Q. F. ANTE, VOLUPTAS. *mihi* pro *mea* coni. Heinsius et Francius, in quo illud laudo, quod sensum, qui deberet esse, perspectum habuerint. Sed idem est *mea*, si recte accipitur locus, ut acceperunt Romanae, Venetae Achat. et Iens. in quibus distinguitur: *Et vobis nunc est*: *mea quae fuit ante*: *voluptas.* Atque ita ex recentioribus, Bas. 1543. Ven. 1555. Lugd. et Antv. 1556. Bas. H. P. 1561. Scaligeranae, Box. Burm. Wernsd. nisi quod hi commata habent. Et recte acceperat Badius: *ea voluptas quae fuit ante mea est nunc vobis. i. vestra.* Igitur differt locus nonnihil a superiore: *mea quod formosa puella Est vobis.* Nullam distinctionem

habent Mutin. Veneta Rub. Vicentina, aliae; aliae tantum semel, post *est*, ut Aldinae, Lugd. 1529.

*nuuc* Ven. Achat. *que* Romanae, Mutin. et August. *uoluntas* Vratisl. I.

V. 22. (125.) AT MALE TABESCUNT MORIENTIA MEMBRA DOLORE. *At mihi* Aldinae, Excerpta ap. Heinsium, et ex Aldinis recentiores, Venetae 1544. 1555. 1558. Antv. 1556. Bas. II. P. 1561. Scaligeranae, Pith. Boxh. Arnold. Burm. Wernsd. Putsch. Puto ex emendatione eius, qui pronomine opus esse iudicaret, ut inter se opponerentur agri, quorum praecedit mentio, et Cato. Sed nihil opus pronomine, quum paullo ante de se dixerit: Invideo *vobis agri*. Quare hoc tantum quaeritur, utrum *At male* an *Hei male* scribendum sit. Ac mihi magis placent nexae per *at* particulam sententiae, quam subita exclamatio. *At male* Thuan. Medic. Voss. I. Paris. II. III. IV. Angl. August. Monac. I. Monac. II. (in quo *ad*) Vratisl. I. a quo non multum differt *Et male*, quod in Petaviano, Romana I. Veneta Achat. et Mutinensi. *Hei male* cum cod. Basil. Voss. II. Vratisl. II. Romana II. Venetae Rub. et Iens. Vicentina, et reliquae ante Aldinas. Nisi quod *Heu male* in Virgilio Aldi, Taurin. 1518. Florent. Iunt. ap. Burm. Mogunt. 1549. Bas. Bryl. 1543. Lugd. Frell. 1556. et hoc iam voluisse Argentinensem 1502. probabile est, in qua *Hen male*. *Heu mihi* Antv. 1580. Francof. 1610. Deinde hoc pono tamquam certum, *tabescunt* legendum esse, ut editi inde a Romana II. praeter Mutinensem, omnes. *tabescant* Petav. Thuan. Medic. Voss. I. Paris. II. III. IV. Anglic. Aug. Monac. I. II. Vratisl. I. Romana I. Mutin. Quod Burmanno placebat ad Priap. LXXXI. 1. nuperque placuit Silligio. Frustra. Indicativum sententia postulat.

Ad *Heu* in marg. Basil. Bryl. 1543. annotatur: *Alii haec.* nescio unde. *menbra* Vratisl. I. *Ut male* coni. Heinsius, et *tabescant marcentia*, vel *maerentia*.

Glossa V. I. ad hunc versum: *quare dixit. cygneas voces.* Respicit versum Dirarum 1. Scilicet qui has glossas scripsit, ut viri litterati ante Iacobsium omnes, carmina Catonis, quae duo sunt, diversis temporibus scripta, pro uno carmine habebat.

V. 23. (126.) ET CALOR INFUSO DECEDIT FRIGORE MORTIS. Verae scripturae, *decedit*, tantum in libris bonis atque antiquis praesidii est, quantum aliquis optet. Quod enim in Petav. Thuan. Leidensi Burmanni, August. Paris. II. III. Romana I. legitur, *decepit*, quid aliud est quam *decedit*? Et *decedit* exhibent Monac. I. II. Vratisl. I. Ro-

mana II. et cod. Basil. Vratisl. II. Est hic locus ex iis, qui editoribus post Romanas magis Romanam I. quam Romanam II. ante oculos fuisse probant. Nam quum Romana II. recte *decedit* exhibuisset, tamen proximae, Venetae Achat. Rub. Iens. Vicentina cum Voss. II. Veneta 1482. reliquae, vitium Romanae I., *decepit*, repetunt; etiam Ascensianae et Virgilius Aldi. *decedit* Taurin. 1518. Aldinae, et quae solent sequi Aldinas, et critici recentiores. Alii, quibus imponebat proxime praecedens *tabescant*, coniunctivum intulere: *decedat* Medic. Paris. IV. Voss. I. *decedas* Anglic. *decebat* Mutin.

*calex* pro *calor* August. *infusa* idem, ut Petav. et Thuan. testante Burmanno. *intuso* Arnoldus. *decepit* Badius ita explicat, ut suppleat *me*. Sed praeterea ipse *defecit* coniecisse videtur. Scribit enim ita: *decepit. s. me: aut defecit.*

V. 24. 5. (127. 8.) QUOD MEA NON MECUM DOMINA EST. NON U. etc. *Quid* Medic. *Qd* Anglic. *illa* Petav. Thuan. Leidens. Burm. Paris. II. III. August. Monac. I. II. Romana I. *ulla* Romana II. et reliquae omnes.

*Doctae* dicuntur, quae carminum artisque musicae gustum ac peritiam habent. At hoc alienum a nostro loco. Nam ut Lydia aliquam harum rerum notitiam habuerit, quod ex versibus Eclogae huius 6. et 7. colligere licet, ea tamen non tanti erat, ut Cato *nullam in terris puellam doctiorem* diceret. Apprime huc facit epitaphium Anth. Lat. IV. CCCLVII.

*Hic iacet exsutis Dionysia flebilis annis,*
*Extremum tenui quae pede rupit iter.*
*Cuius in octava lascivia surgere messe*
*Coeperat, et dulces fingere nequitias.*
*Quod si longa suae mansissent tempora vitae,*
Doctior in terris nulla puella foret.

Haec inter se iam Burmannus contulit, sed fallitur, quum nescio quid turpitudinis significari utroque loco putat. De eo apud Catonem plane nihil est. In Epitaphio eam interpretationem praeiverat Gonsalius ad Petron. cap. XXV. et cap. CXL. possintque in deteriorem partem accipi verba *lascivia*, et *nequitiae*. Sed haud dubie casta atque innocens puella fuit octennis illa Dionysia. *Docta* utroque loco, Catonis, et Epitaphii, opponitur *rudi*, et dicitur ea, quae artem placendi habet. Ea vero ars, tam apud parvas, quam apud adultas, in blanditiis, lusibus, iocis, cum aliqua petulantia, et astutia, et nequitia, sed ea non mala, coniunctis cernitur. Eodem sensu Anth. Lat. IV. CXVII. itidem de puella octo annorum:

*Formosa, et sensu mirabilis, et super annos*
Docta, *decens, dulcis, grataque blanditiis.*

*in terris* usitata phrasis. Virgil. Catalect. XIII. ed. Heyn.

*Doctior o quis te Musa fuisse potest?*
*O quis te* in terris *loquitur iucundior uno?*

Martialis X. xxxii.

*Pulchrior* in terris *nulla tabella foret.*

unde expressus videtur Burmanno versus Epitaphii cccLvii. sextus. Sed eodem iure Catonem dicas obversatum esse poetae illi. Si omnino imitatione opus esse tali in re statuas.

*Ditior* editum a Boxhornio. *interris* August. et cod. Bas.

Deinde quum in Romanis et reliquis ante Aldinas, itemque in libris scriptis, si recte apud me annotatum, non paucis, *ac formosior* legatur, recte recentiores *aut f.* ediderunt. Distinguit poeta dotes animi, *doctior*, et corporis, *formosior*; tum utraque re, tam corporis dotibus, quam animi, dignam Iove esse Lydiam addit. *aut* Mutinensis, Aldinae, Venetae 1544. 1555. 1558. Antv. 1556. H. P. 1561. Scaligeranae etc. cum Parisino IV. August. et Monac. II. In Monac. I. et Vratisl. *ac* ut vulgo. De Thuaneo nihil diserte annotatum habeo.

V. 26. 27. (129. 30.) FABULA NON VANA EST, TAURO I. D. etc. Haec e Scaligeranis revocavi, ac primus stabilio distinctionem: interpunctionem post *auro* extr. vs. 26. minorem, ut ita procedat sententia primaria: nulla unquam puella doctior fuit, aut formosior; ac, si exempla assumere ex fabulis licet, tauro Iove, vel auro Iove, haec tantum mea puella digna est. Antiquissimae, Romanae etc. tum Aldinae, aliae, et nuperrime Wernsdorfius, Putschius, plenam faciunt post *auro* interpunctionem, quo sententia efficitur haec: avertas aures, Iuppiter, ne, quum has laudes audieris, capiaris amore Lydiae, eamque rapias, quum nunc sola sit. Qua in sententia non video quid additamentum illud de solitudine Lydiae valeat: nam si rapturus erat Iuppiter Lydiam, rapturus erat etiam praesente Catone. Deinde quid illud constructionis erit, si plene interpungatur post *auro*? *nulla puella doctior fuit, aut formosior*; *ac tauro Iove digna, vel auro.* Supplendum erit *est Lydia.* perquam dure. Igitur recte nos distinximus. *Iuppiter avertas aurem* parenthesis est. Ac fortasse erunt, qui ea verba ita interpretanda existiment, ut paullo ante indicavi: avertas aures, Iuppiter, ne incendaris amore Lydiae, eamque rapias. At multo simplicior, ac vera haud dubie ratio haec est, ut averti Iovem poeta iubeat, ne irascatur, quod ipse tam magnifice loqui de Lydia, eamque Europae praeferre ac Danaae audeat. Idem est, acsi scripsisset: Pace tua dicere liceat, o Iuppiter.

Sed quod scripsit Cato, magis exquisitum est, ac novum. Innumera sunt hanc in sententiam poetarum dicta. Q. Catulus Anth. Lat. III. CCXL.

*Pace mihi liceat, caelestes, dicere vostra:*
*Mortalis visust pulchrior esse deo.*

et quod ibi Burmannus laudat Epigramma:

*Quod si nocte venis, iam vero ignoscite divi:*
*Talis ab occiduis Hesperus exit aquis.*

Ovidius Heroid. XVIII. 66.

*Vera loqui liceat: quam sequor, ipsa dea est.*

Amor. III. II, 60.

*Pace loquar Veneris: tu dea maior eris.*

Metam. II. 428. 9.

*Salve numen, me iudice, dixit,*
*Audiat ipse licet, maius Iove.*

et VII. 704. 5.

*Liceat mihi vera referre*
*Pace deae.*

Mitto eos, qui illam superbe dictorum omnium ultricem, Nemesin, precantur, ut Catull. C. B. 71. Eiusdem generis est in Ciri v. 410.

*quod o salva liceat te dicere Progne.*

*o mei*, cod. Basil. Veneta Rubei, et Vicentina cum Voss. II. Iidem omnes *tibi* corrupte. Sed possis etiam *mihi* cum Scaligero. At nemo hac averruncandi formula cupidius utitur, quam Nonnus. Nempe quum ubique heroes Nonni hyperbolas, et supra modum grandia, et usque ad insaniam superba, crepent, consentaneum erat, passim excusationem audaciae, ac deprecationem, inseri. Annotavi locos, nisi fallor, omnes: ἵλαϑι II. 157. 161. III. 104. (IV. 245.) XII. 210. XVI. 45. 221. XLVII. 329. ἵλατε (XXX. 213.) XLIV. 173. ἱλήκοι, et ἱλήκοις, IV. 50. VIII. 73. X. 314. (XVI. 325.) XXV. 211. 254. XXIX. 115. 135. XXX. 287. XLVI. 297. (XVIII. 361.) Quos locos uncis inclusi, et e reliquis fortasse unus alterve, aliam explicationem admittunt, vel postulant: non ut sit *Pace tua dicere liceat*, sed *mach's gnädig*, vel etiam quod nos dicimus, *dein Wort in Ehren, deine Schönheit in Ehren.* Nonnum hac quoque in re imitati sunt sectatores eius, ut Coluthus v. 250. Bekker.

Bona est, ac multis posset exemplis communiri, Gonsalii de Salas in Petron. cap. CXXVI. Comment. p. 257. observatio, quum multae Iovis μεταμορφώσεις fuerint, prae aliis saepius tres hasce commemorari, taurum, aurum, cycnum. Ut est apud Petronium eo loco, simili Catoni sententia:

*Nunc erat a torva submittere cornua fronte,*
*Nunc pluma canos dissimulare tuos.*
*Haec vera est Danaë.*

Cur autem hae saepius quam aliae, otiosa foret quaestio. De Danaë apparet: quoniam nulla magis portentosa *μεταμόρφωσις*. Fortasse etiam pictoribus illae mature celebratae fuere. Cato autem, quum potuisset *cycno Iove digna, vel auro*, maluit *tauro Iove digna, vel auro,* gratum sibi suaeque aetati homoeoteleuton. Ad sententiam Catonis etiam Propertius facit I. XIII, 29. sq. de puella Galli:

*Nec mirum, quum sit* Iove digna, *et proxima Ledae,*
*Et Ledae partu, gratior una tribus.*
*Illa sit Inachiis et blandior heroinis,*
*Illa suis verbis cogat amare Iovem.*

si tamen ibi verum est *Iove digna.* Fatendum enim, esse aliquid ieiuni in sententia ita bipartita, *Iove digna, et proxima Ledae*; et tam elegantem esse, quam est facilis, emendationem Heinsii: *Iove dignae proxima Ledae.* Caeterum Propertius Catonis loco, quem paullo ante tractavimus Ecl. 25., similis eo est, quod pulchritudinem distinguit a blanditiis. Quippe versu 29. non dubium est, quin de pulchritudine corporis cogitet Propertius. Tum v. 31. 2. quod dicit, *blandior,* et *suis verbis cogat amare Iovem,* illud est, quod apud Catonem *docta.* Sunt autem *Inachiae heroinae* illae ipsae, quas antea dixit, Leda, Helena, Clytaemnestra, aliae eiusdem terrae atque aetatis. Ubique Propertio celebratur *formosi temporis aetas*: cf. si placet, II. XXVIII, 53. Ad Catonem ut redeam, memorabilis est in poeta dubitatio atque haeresis: *si fabula non vana est.* Dubitat, an verum sit, quod narratur de Iove tauro, et auro. Similiter Virgilius Georg. III. 391. *Munere sic niveo lanae,* si credere dignum est, *Pan deus* etc. et Aen. VI. 173. *Aemulus exceptum Triton,* si credere dignum est, *Inter saxa virum,* etc. Cicero Tusc. I. XXXVIII. *Endymion vero,* si fabulas audire volumus etc. Ovidius Fast. I. 469. de Arcadia: *Orta prior Luna,* de se si creditur ipsi, *A magno tellus* etc.

Libros quod attinet, dubites utrum plus iis tribuas, qui *aures,* vel *aureis,* offerunt v. 27. an scriptis meis antiquis, qui *aurem* suadent. Nam *auertas aure* Petav. apud Heinsium, Thuaneus, Leidens. Burmanni, Paris. II. *auertas aurem ea* Paris. III. *aueritas aure* August. Quae sunt vitia, sed vitia, in quibus latet, vel potius non latet, vera scriptura, *avertas aurem,* quae cernitur in Vratisl. et in Monacensibus duobus, et in his quidem, Monacensibus, cum interpunctione post *aurem.* Deinde ex *aure* in aliis, quos statim videbimus, *auro* factum est. *auertas aures* cum puncto post *aures* Anglic. Mutin. *aduertas aureis*

Medic. et *aduertas aures* Paris. IV. *auertas aureis* Aldinae cum Excerptis ap. Heinsium, et cum Vossiano I. si f. s. et sic, vel *av. aures*, post Aldinas aliae, et recentiores editores omnes. Praeterea sic iam legebat Domitius, cuius ad hunc vs. observatio est: *Auertas aures. dum Lydia cantat*: *ne capiaris eius amore.* idemque nunc in exemplo Lipsiensi Venetae Iens. legitur, a manu, cum explicatione Domitii. Sequuntur editi, qui partim sententiam loci omnem everterunt, partim verae vestigia scripturae retinent. *aduertas. auro* vel *aduertas*: *auro* duae Romanae, Veneta Achat. cum cod. Bas. et Vratisl. II. *euertas*: *auro* Venetae Rub. et Iens. Vicentina cum Voss. II. duae Venetae Burmanni, Ascens. I. et reliquae ante Aldinas, nisi quod *auertas*: *auro* Brix. 1485. Ven. 1488. Mediol. 1501. Argent. 1502. Ascens. II. et III. et Florent. Iunt. ap. Burm. et *auertas auro* cum commate post *auro*, Virgil. Aldi, Taur. 1518. Lugd. 1529.

Desino in vitiis manifestis. V. 26. *Pabula* August. *uacua* Venetarum 1499. 1500 vitium imposuit etiam Badio in Ascens. I. et Cronflit. sed *vana* restitutum in Ascens. II. III. *tanto* pro *tauro* Mediceus ap. Burm. et, quod mireris, Pithoeus, cum hac admonitione: *quid si legamus* tauro Iove? At haec omnium lectio librorum est, excepto Mediceo isto. *thauro* Vratisl. I. V. 27. *digna* pro *sola* Ascens. II. III. Florent. Iunt. et Lugd. 1529. *Iuppiter* August. Vratisl. I. et puto alii. *Iupiter* Paris. IV. Rom. I. II. cum cod. Bas. et Vratisl. II. et Mut.

V. 28. (131.) FELIX TAURE, P. M. GREGIS, ET DECUS: A TE. Rursus apostrophen facit: o felix taure etc. Recte post *taure* commate distinxit Putschius, praeeunte, nisi fallor, Eichstadio. Eadem conformatio orationis, quae supra v. 9. *O fortunati nimium, multumque beati, In quibus* etc. Nisi quod hic paullo vehementior sermo, quia pergit oratione non nexa, *a te Vaccula* etc. *Foelix* cod. Bas. Voss. II. Veneta Iens. aliae nonnullae. *thaure* Vratisl. I. *ad te* quod in Venetis Rub. et Iens. in Vicentina et Voss. II. Ven. 1482. et ante Aldinas aliis, legitur, fortasse nihil nisi harum vitium editionum est. Certe Romana utraque, Veneta Achat. Mutin. et quos collatos habeo libros scriptos, inde a Thuaneo omnes, etiam cod. Bas. et Vratisl. II. *a te* habent. Monac. II. verba *decus a te* omittit. *a te* etiam Argent. 1502. et post Aldinas reliquae.

V. 29. (132.) VACCULA NON UNQUAM SECRETA C. C. *Vacula* Paris. IV. Mutin. Venet. Rub. et Iens. aliae. *Vaccula* recte alii, tam scripti, quam editi, ut Romanae et Ven. Achat. cum cod. Bas. Vratisl. II. tum Vicentina cum Voss. II. Ven. 1482. Norimb. 1492. Ar-

gent. 1502. Vix dignum observatione, nisi hoc quoque documento esset, quam mature vitia editores cumulaverint, et esse in Veneta Rubei errores, quos ignorant antiquiores, Romanae, Veneta Achatis. *Bucula* volebat Heinsius, cuius verba sunt: Vaccula *inusitatum prorsus. sic et in Priapeiis puto scribendum Ep.* LXXXV. *Teneraque matre mugiente* bucula. Burmannus, defendendae *vacculae*, Apuleii praetendit Arnobiique auctoritatem. Ego vero prudentiam desidero in Heinsio. Quae enim haec audacia est, locos emendare duos, ut aliquid prorsus inusitatum dicere possis? Retinendum est *vaccula* utroque loco. Quamquam ne hoc quidem moraturus essem, si apud unum legeretur Catonem. Quippe deminutiva fingendi libera erat et Catonis aetate, et post Catonem, apud poetas potestas; neque Catullum, vel qui alii amant deminutiva, quaesivisse ubique, an hoc iam usitatum deminutivum esset, existimo. Locus ex Priapeiis, vel potius, ut infra Diss. I. doceo, ex Catalectis Virgilii, hic est:

*Meis capella delicata pascuis*
*In urbem adulta lacte portat ubera,*
*Meisque pinguis agnus ex ovilibus*
*Gravem domum remittit aere dexteram,*
*Teneraque matre mugiente vaccula*
*Deum profundit ante templa sanguinem.*

Haec est quam vulgatam dicere possis v. 14. scripturam: *Teneraque.* nam *Tenera quae* in Venetis Rub. Iens. et Vicentina; *Teneraq;* in cod. Basil. et Voss. II. Eam scripturam quomodo tuear non habeo, quum parum suavis sit hic tribrachus. Ac placeret mihi, ut placuit aliis, coniectura Orvillii: *Tenella, matre mugiente, vaccula,* si ferret oratio nexusque loci. Nunc quum oratio postulet *que* particulam, ita, donec docear aliud, legam:

Tenerque, *matre mugiente vaccula,*
*Deum profundit* etc.

ut suppleatur *vitulus,* vel potius magis generale vocabulum, quale *fetus.* Ut *teneri* simpliciter dicuntur pueri, ita nihil impedit, quominus *tener* dicatur vitulus eo quidem in loco, ubi curatum fuerit a poeta, ut de vitulo sermonem esse, non de puero, appareat. Id vero satis curavit hic poeta *additis matre mugiente vaccula. Tenerque* in Vossiano I. fuit, si fides Burmanno: neglexi hoc de loco rogare Geelium. Ergo ex nostra explicatione *vaccula* intelligenda erit satis grandis, ut quae iam pepererit. Atque de adulta, et quae par sit tauro, cogitat etiam Cato.

Rursus aliud vitium est, quod docet, quam indiligenter, et quam securi de sensu, haec carmina legerint librarii editores. *non umquam,*

vel *non unquam*, recte Thuan. Paris. II. IV. Angl. August. Monac. I. II. Vratisl. I. at *nonnumquam*, vel *nonnunquam*, contra sensum, Medic. Paris. III. Romanae, Venetae Achat. Rub. Iens. Mutin. Vicent. aliae. et sic codices recentiores, Basil. Vratisl. II. Voss. II. corrigit vitium Badius. et correctum est in exemplo Lips. Venetae Iens.

V. 30. (133.) FRUSTRA TE PATITUR S. MUGIRE DOLOREM. *Frustate* August. *dolorem* Petav. Thuan. Medic. Leid. Burmanni, Helmst. meique scripti antiqui omnes, praeter Voss. I. in quo *dolores*. Editi ante Aldinas inde a Romanis omnes, et cod. Bas. Voss. II. Vratisl. II.: *dolore*. *dolorem* post Aldinas nonnullae tantum, ut Venetae 1544. 1555. 1558. sed approbaverunt Heinsius et Burmannus, receperuntque nuper Eichstadius, Putschius. *silvis* videtur dativus esse.

V. 31. (134.) ET PATER HAEDORUM FELIX, SEMPERQUE BEATE. Exclamatio, vel potius acclamatio, ut paullo ante *Felix taure, pater* etc. Magis perspicuus locus foret, si *o* addidisset, vel *o tu*: ut Propertius: *O me felicem*, *o nox mihi candida*, et o tu *Lectule* etc. Ut nunc est, obscurus nonnullis fuit, et correctione dignus: nam correctio est haud dubie librarii sensum quaerentis, quod *beatus* legitur in Mediceo et Paris. IV. Propter abundantiam orationis, *felix*, *semperque beate*, cf. v. 9. *O fortunati nimium, multumque beati*. *semper* autem, quod sententiam attinet, tam cum vocabulo *felix*, quam cum *beate* coniungendum est: ut Dir. 65. *Nam tibi sunt fontes, tibi* semper *flumina amica.*

*E* pro *Et* August. *hedorum* Paris. II. IV. Angl. August. Mon. I. II. *foelix* cod. Bas. Voss. II. Mutin. Veneta Iens. *beatae* Paris. III. *Haedorum pater o felix, semperque beate* laudat Burmannus ad Ovid. Remed. am. 179. p. 726.

V. 32. (135.) SIVE PETIS MONTES PRAERUPTOS, SAXA PERERRANS. Tam simplex sententia ipsa simplicitate sua displicuit viris doctis. Quare Heinsius *montis praerupti saxa* tentabat. Burmannus patruus ad Ovid. Remed. am. 179. *S. petens montes praeruptaque saxa pererras*. addit *pererras* in codice veteri invenisse Heinsium: de quo ad Catonis locum nihil traditum video. Burmannus autem noster mavult *S. petis montes, praeruptaque saxa pererras*. Et sic malit Wernsdorfius. *monteis* Aldinae, et post eas aliae, ut Venetae 1555. 1558. Scaligeranae. De capellis, quod dumos ament, et *rupes, praeruptaque saxa* petere soleant, Burmannus ad illum Ovidii locum. Nullus autem copiosior, et, quod cum vituperatione dico, longior locus, quam in Culice:

quem restitutum dabo ex libris meis, qui sunt collati ab Is. Vossio Thuaneus et Petavianus, a me Augustanus et Vossianus 81. tum codices recentiores, Basil. et Voss. II. Venetae Achatis et Rubei, Mutinensis, Vicentina.

*Propulit e stabulis ad pabula laeta capellas*
*Pastor, et excelsi montis iuga summa petivit,*
*Lurida qua patulos velabant gramina colles.*
*Iam silvis dumisque vagae, iam vallibus abdunt*
*Corpora*: *iamque omni celeres e parte vagantes*
*Tondebant tenero viridantia gramina morsu,*
*Scrupea desertis haerebant ad cava rupis*:
*Pendula proiectis carpuntur et arbuta ramis,*
*Densaque virgultis avide labrusca petuntur.*
*Haec suspensa rapit carpente cacumina morsu*
*Vel salicis lentae, vel quae nova nascitur alnus*:
*Haec teneras fruticum sentes rimatur*: *at illa*
*Imminet in rivi praestantis imaginis undam.*

V. 44. *Perpulit* Ven. Achat. *Protulit* Ven. Rub. et Vicent. cum Voss. II. *e* cuncti. V. 45. *summa iuga* contra metrum Voss. 81. V. 46. *Luridas* Petav. *patulo* Mut. *uellabant* Ven. Achat. Vic. Voss. II. *velabunt* Thuan. et Petav. *colles* cuncti, praeter Voss. 81. in quo *flores*. V. 47. *raget* pro *vagae* Voss. 81. et *addunt*. *diurnisq*; pro *dumisque* Mut. V. 48. *se* pro *e* Voss. 81. Versum 49. libri mei cuncti versui *Scrupea* etc. cui in editione Heynii, aliis, postponitur, praepositum habent; ac *Tondebant* cuncti. V. 50. *S. desertas haerebant ad c. rupes* Thuan. Basil. Mut. Ven. Rub. Vicent. cum Voss. II. *S. desertis herebant ad c. rupes* August. et sic Petavianus, sed *aerebant*. *S. desertis errabant ad c. rupis* Voss. 81. *desertis* est *in desertis,* ut in Catonis loco, ad quem haec scribimus, v. 33. *silvis,* et v. 34. *campis.* Veneta Achat. omittit hunc et qui sequuntur versus tres, 51. 52. 53. V. 54. recepi nescio cuius emendationem *Vel.* mei cuncti: *Haec* (vel *Hec*) salicis lentae (*lente* Voss. 81. *mente* Petav.) *uel* etc. quod video defendi posse: at nimis inconcinna est oratio. Facile autem potuit *Vel* corrumpi in *Haec,* quum et praecedat *Haec,* et statim sequatur. *nascitur* etiam Thuaneus, sed in quo adscriptum erat *l* (*vel*) *pascitur.* V. 55. *fructicum* Voss. 81. *rimantur* Ven. Rub. Vicent. Voss. II. vitiose. V. 56. *Iuminet* Voss. 81. *ymaginis* Ven. Achat. Mihi non videtur nimis durus hic versus esse, ut in hoc poeta, modo teneas *undam* duplicem adiunctum genitivum habere: primo *undam rivi*; deinde *praestantis imaginis undam,* h. e. undam, quae facit vel habet praestantem imaginem, in qua est praestans imago.

V. 33. 34. (136. 7.) **SIVE TIBI SILVIS NOVA P. FASTIDIRE** etc.

*Nova pabula fastidire*] *Taedulos*, et *fastidiosos* veteres vocabant, quibus palatum novis cibis reficiendum erat. Nam fastidiosi stomachi ut consuetis cibis gravantur, ita novorum gustu levantur. Ergo eleganter dixerit in eum sensum, *fastidire nova pabula.* Plautus *Omnes homines ad suum quaestum callent, et fastidiunt.* hoc est, quod vulgo dicimus, *delicati sunt.* Putavi et aliquando legi posse:

— *nova pabula sat sit adire.*

ut dictum sit, sat tibi est adire, ut in comparativo, *satius est tibi adire.* Sed vulgatam lectionem coniecturae meae praefero. SCALIGER.
Omnino recte Wernsdorfius: *nova pabula fastidire — in magna pabuli copia tentare et gustare nova multa cum plurium fastidio, ut optimum eligas, sive delicatius pasci.* Observaverat Cato, ut erant veteres naturae, etiam in rebus minutis, observatores diligentissimi, capellas, sed etiam alia animalia, dum pascuntur, ubi multus cibus adest, non eadem omnia cupiditate devorare, sed nunc hoc, nunc eligere illud. Capellae autem, si recte memini, prae aliis animalibus fastidiosae sunt, ac delicatae. Eum in sensum Cato *fastidire* dixit, audacter, sed feliciter. Dousa *fastidire* pro reiicere capiebat: non video quo sensu. Silligius *fastidire* dictum esse *παρὰ προσδοκίαν* censet: exspectari enim, nova pabula *quaerere.* Quod non satis intelligo. Nam si *παρὰ προσδοκίαν* dictum est *fastidire*, pro *quaerere,* non pascitur caper: quod contra mentem poetae, caprum describentis, qui pascitur.

*si uis* pro *silvis* Monac. I. II. Vratisl. I. *fastidiere* Medic. *fastiditur* Helmst. Heinsius coni. *Sive tibi silvis n. p. fastus adiri, Sive iubet c.* vel *fas sit adire, Sive iuvet c.* Burmanno autem in mentem venerat *fastus adire, Sive piget c.*

V. 34. *liber* Medic. Idem et Paris. IV. omittunt *est* in fine versus. Totum versum omittit Monac. II. *tum* pro *tecum* Ven. Achat. *loeta* Angl. *leta* Rom. I. II. Mut.

V. 35. 36. (138. 9.) **ET MAS QUICUMQUE EST, ILLI SUA F.** etc.
Et quocunque sup. loco est mas. i. masculus: illi. i. illic est sua foemina: vel sic Et quicunque mas. i. masculus alius est: illi est sua foemina iuncta: et ideo nunquam ploravit amores interpellatos. i. impeditos ac per tempus interruptos. IOD. BADIUS ASC. Perbona observatio atque emendatio, *quicumque* pro *quocumque.* *quocumque* pro *quacumque* partim, ut recte monet Heinsius, minus latinum, partim perturbat, vel obscuram reddit sententiam. Si enim *quocumque,* vix poteris, quin *marem* intelligas caprum, *feminam* capellam, ex praecedentibus: ut intelligit Gloss. V. I. At Catonis sententia est, qui praeter taurum et

caprum mares sint inter animalia, omnes suas secum feminas habere; se unum hoc naturae beneficio atque hac lege exemtum privatumque esse. Id igitur ita dicendum fuit: *et mas quicumque est, illi* etc. *illi* dativus, non adverbium. Restat dubitatio, utrum *Interpellatos n. ploravit a.* pendeat a proxime praecedentibus, *illi sua f. iuncta,* an ad *marem* redeat oratio. Si hoc, distinguendum erit, ut est in Rom. I. et Veneta Achatis, *iuncta*: *Interpellatos* etc. si illud, sine distinctione, ut in Rom. II. Mutinensi et Venetis Rub. Iens. aliis, *iuncta Interp.* Sane quum tota Catonis disputatio in eo versetur, mari necessariam esse societatem feminae, placeat alicui cum distinctione, ut sit: mas *interpellatos n. ploravit amores.* Sed tamen multo simplicior ac facilior constructio est altera; neque aliena a Catonis sententia cogitatio haec est, delectari etiam feminam consuetudine maris, et aegre ferre, si ille absit. Sic v. 34. *laeta* dicitur capella consuetudine capri.

*quocumque,* vel *quocunque,* libri tam scripti quam editi omnes, praeter Venetam Scot. 1555. et Antverpiensem 1580. et Francof. 1610. in quibus *quicunq*; editum, ex animadversione Badii, ut puto. *quodcunq*; Vratisl. I. quod qui scripsit, fortasse sententiam eamdem, quam nos intulimus, inferre voluit, sed minus latine. quamquam nos ita loquimur: *was nur Mann ist. femina* Parisini II. III. IV. alii, et Rom. II. Ven. Ach. *illis uasemina uincta* (sic, ut videtur, non *iuncta*) August. *faemina* Rom. I. *foemina* Venetae Rub. Iens. aliae, ut Aldinae. *semina* tamquam variantem scripturam, nescio unde, habet marg. Francof. 1610. ridicule. *Et mas quocumque is, illic* coni. Heinsius.

V. 36. *Inter pellatos* August. Monac. I. *plorabit* Vratisl. I.

V. 37. (140.) CUR NON ET NOBIS FACILIS NATURA FUISSET.

*Cur non et nobis*] Ita hunc versum ego lego:

*Cur non et nobis facilis natura? fuisset*:
*Cur ego crudelem* etc.

ut, *Verum anceps fuerat belli fortuna. fuisset*:
*Quem metui moritura?* — SCALIG.

*Quor* Voss. I. *et* omittit Mut. *uobis* Vratisl. I. *faciles* Monac. II. In Voss. I. *natura,* ut in aliis, sed antea aliud scriptum fuerat. *na* cum signo compendii Paris. IV. Salmasii et Heinsii emendationem, *fuisti,* approbat Burmannus, recepere Wernsdorfius, Putschius. Et sane probabilis coniectura est, propter illam tantopere adamatam Catoni apostrophen. Quid tamen, si *fuisset* est *esse potuerat*? Sic etiam Badius: *fuisset. i. esse potuisset.* Admoveo versum e Ciri 447.

*At belli saltem captivam lege necasses.*

h. e. si illud fieri non licuit, at necare saltem potueras. Non diversum est ad rem Virgilianum, VIII. 643.

*at tu dictis, Albane, maneres:*

quamquam ibi non tam liciti quam debiti significationem coniunctivus infert: at tu dictis manere debebas. Cf. Plaut. Trinumm. I. II, 96. sq. *redderem, redderes, emeres, venderes, faceres.* Scaligeri distinctionem quod attinet, quam assumpsit Arnoldus, probatque Is. Vossius in marg. edit. Scalig. 1595. quaeritur, an conveniat Catoni tam rhetorica conversio. Virgilium decet illud, estque rhetoribus, ut Iulio Rufiniano p. 270. Ruhnk. annotatum. Sed, quod gravius, non sensit Scaliger, aut sentire noluit, aliquid loco Catonis a se constituto deesse, ut similis sit Virgiliano. Deest tertium membrum, quod debebat eiusmodi esse: non ego paterer tam crudelem dolorem. Id sentiens, ut videtur, Acidalius in Vell. Paterc. II. LXIX. p. 1007. ed. Ruhnk. coniectura etiam sequentem versum tentat, ita: *Cur non et nobis facilis natura? fuisset, Non ego crudelem patiar t. s. d.* Sed quis ferat talia? Arnoldo, qui locum distinctum ad mentem Scaligeri exhibuit, subaudiendum videbatur *τὸ εὐκτικόν, utinam.* Quem in finem locos affert a Scaligero ad Catull. II. 9. prolatos. Inter eos unus est, Ovidii Heroid. X. 77. alia ratione explicandus, nimirum ea, de qua paullo ante dictum est, *mactasses,* ut sit: mactare potueras, vel debueras.

*Me quoque qua fratrem mactasses, improbe, clava:*
*Esset, quam dederas, morte soluta fides.*

Est hoc Ariadnae disputationi convenientius, quam ut suppleas *utinam.* Et sic nuper accepit Loersius noster.

Caeterum *facilis natura* dilecta Catoni dictio. Infra: *Infelix ego, non illo qui tempore natus, Quo* facilis natura fuit. *nobis* h. l. accipio proprie: videtur homines opponere animalibus. Deinde ad se pergit ipsum.

V. 38. (141.) CUR EGO CRUDELEM PATIOR T. S. DOLOREM. *Quor* Voss. I. *pacior* Mon. I. Vratisl. I. *sepe* Mon. I. II. Romanae. *iam saepe* Arnoldus. *crudeles — dolores* una Mutinensis. Eadem varietas supra v. 30. ubi Voss. I. *dolores,* caeteri *dolorem.* Sed Mutinensi tamen aliquanto plus tribuo quam Vossiano I. Ac plurali utitur poeta in Diris, v. 64. *fluminibus tu* nostros *trade* dolores.

V. 39. (142.) SIDERA PER VIRIDEM REDEUNT QUOM PALLIDA M. *Sidera* Thuan. et reliqui Parisini tres, August. Romanae, Ven. Achat. Mutin. *Sydera* Monac. I. II. et fortasse alii, tum Ven. Rub. Iens.

mihi probabile est, antiquioribus pastorem, vel *βουκόλον*, fuisse Endymionem; alteram narrationem, quae eum venatorem facit, quam nunc recentioribus, hoc est, nostri aevi hominibus, pictoribus, aliis, communem video, magis magisque divulgatam esse, postquam opinio de Luna Diana invaluisset. Iam cum his opinionibus, *βουκόλον* fuisse Endymionem, vel venatorem, non satis convenit illud, quod tradunt nonnulli, noctes eum pervigilasse. De venatore quidem concedo: fieri potest, ut noctem pervigilet venator, vel certe partem noctis. ut est apud Horatium: *manet sub Iove frigido Venator.* At *βουκόλον*, pastorem, dormire decet noctu, non vigilare. Sic tamen Nonnus, VII. 239.

*εἰς λέχος Ἐνδυμίωνος, ἀκοιμήτοιο νομῆος.*

iterumque: nam emendatione Nonnum beabo hac opportunitate, quam approbatum iri Graefio scio: XIII. 554.

*Λάτμιον ἀμφὶ βόαυλον ἀκοιμήτοιο νομῆος.*

ubi vulgo: *Λάτμιον ἀ. β. ἀκοιμήτοιο Σελήνης.* Quae sit emendationis necessitas, quae corruptionis caussae, patet peritiori. Sic autem solet sua repetere Nonnus. Ut quod ibid. XIII. 556. legitur hemistichium, *ποθοβλήτοιο Σελήνης,* repetitum est ex libro IV. 225. tertium venit XXXII. 21. et audacius eadem in fabula, XXXIII. 34. *ποθοβλήτῳ παρὰ πέτρῃ.* *λέχος Ἐνδυμίωνος — νομῆος* habes etiam I. 332. Quonam igitur modo hoc accipi voluit Nonnus, *ἀκοιμήτοιο νομῆος*? An ita, ut totas noctes amicam suam Endymion exspectaverit? ut supra modum lasciva Luna per totas noctes exercuerit Endymionem? Non puto. Puto magis Nonnum indicare his locis voluisse, quid sub ea fabula veri lateret. Scilicet multo ante Nonnum tempore explicatio fabulae istius inventa fuerat haec: primum Endymionem astronomiae operam dedisse, lunamque observasse. Cf. Scholia Apollonii l. l. Anonymus de Incredibilib. cap. XII. Plinus H. N. II. IX. Itaque hanc Nonnus explicationem respiciens, locis illis duobus, quod parum decebat poetam, fabulam cum explicatione fabulae miscuit, concubitum Lunae commemorans, et *νομῆα* appellans Endymionem, sed *ἀκοίμητον,* quo significaret indefessum astronomum lunaeque observatorem fuisse Endymionem. Praeterea semel idem aperte publicare ac prodere arcana fabularum, proque fabula explicationem ponere fabulae ausus est, XLI. 379. seq. ubi inter inventores rerum artiumque recensetur Endymion. Quibus antiquam fabulam sequitur Nonnus, loci multi sunt: quorum unum addam, XLVII. 282. sqq. ubi ita loquitur poeta, acsi per totam noctem, vel per magnam noctis partem, usque ad *ὄρθρον*, cum Endymione cubare Luna soleat.

De nocturno Lunae cum Endymione commercio convenit in universum poetis doctissimis, Callimacho, Apollonio, Nicandro. De Callimacho testis est luculentus Catullus in Coma Berenices:

*Ut Triviam furtim sub Latmia saxa relegans*
*Dulcis amor gyro devocet aërio.*

Apollonii Rhodii mirum inventum est IV. 57. sqq. amores Endymionis cum artificiis magarum coniungentis: saepe effecisse Medeam incantationibus, ut Luna recordaretur amorum, ac descenderet ad Endymionem invita, quo ipsa. Medea, *σκοτίῃ ἐνὶ νυκτὶ* veneficiis suis vacare posset. Apollonii locum ante oculos habuere Quintus Sm. X. 454. sqq. Nonnus IV. 213. sqq. Docet autem Apollonius, itemque Callimachus in Coma, aliquid memoria dignum. Nempe quaerebatur, quomodo descendere ad amasium Luna, simulque officio suo, noctem illustrandi, satis facere posset. Vides quid respondeant poetae. Luna descendisse ad Endymionem putabatur tum, quum deficiebat. Quem defectum alia superstitio vulgaris ad veneficarum artes, Thessalarum maxime, lunam caelo deripientium, referebat. Apollonius quidem manifesto obscuratam lunam, h. e. corpus caeleste, dum moratur apud Endymionem Dea, cogitat. Sed tamen non omnium eadem opinio fuit. Fuerunt qui commorari apud Endymionem Lunam Deam, at terram nihilominus illustrari lumine lunari fingerent. Inter quos Seneca Hippolyto l. l. qui etiam caussam explicationemque addit, non inepte, ut pro hoc poeta, excogitatam: *Arsit obscuri dea clara mundi Nocte deserta, nitidosque fratri Tradidit currus aliter regendos.* Aliis, ut Nicandro ap. Etymol. M. v. *Ἀσέληνα*, satis erat, ita factum fuisse; quomodo factum esset, non inquirebant. Apponam locum: *Ἀσέληνα· ὄρη οὕτω καλούμενα· ἅπερ οἱ μὲν παρὰ τὴν Τραχῖνα εἰρῆσθαι, ὡς Ῥειανὸς ἐν τῷ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ Ἡρακλείας· Νίκανδρος δὲ ἐν τοῖς Αἰτωλοῖς· ὅτι, φησὶν, ἐν αὐτοῖς τῆς Σελήνης τῷ Ἐνδυμίωνι συγκαθευδούσης, συνέβαινε τοὺς ἄλλους τόπους ἀσελήνους εἶναι, καὶ μὴ μετέχειν φωτός.* Festinanter, ut puto, Sylburgius coniecit *ἐν τοῖς Αἰτωλικοῖς*: non viderat opposita inter se esse *παρὰ τὴν Τραχῖνα*, et *ἐν τοῖς Αἰτωλοῖς.* Neque, si *Aetolica* Nicandri laudare voluisset, sic scripturum fuisse Etymologum puto, *ἐν τοῖς Αἰτωλικοῖς*, sed sine articulo, vel etiam addito cum numero libri. Praeterea veterem Apollonii interpretem l. l. IV. 57. conferenti valde incertum videbitur, an in Aetolicis illud scriptum a Nicandro fuerit, quod profert Etymologus. Bis enim a docto interprete illo Nicander laudatur, *ἐν δευτέρῳ Αἰτωλικῶν*, et *ἐν δευτέρῳ Εὐρώπης.* Verum illo loco Endymionis fabulam exponebat eam, quae apud Hesiodum fuit, in qua nihil de Luna. Quare multo veri est similius, alterum ex Europa, vel Europia, locum ante oculos Etymologo fuisse, quo loco de Lunae et Endymionis amoribus egisse Nicandrum diserte testatur interpres Apollonii. In Aetolis autem fuisse *Ἀσέληνον* montem, vel *ὄρη Ἀσέληνα*, constat etiam altero Nicandri testimonio, Theriacis v. 215. *Ῥυπαῖον, Κόρα-*

*κός τε πάγον, πολιόν τ' Ἀσέληνον*: ubi *Ἀσέληνον* idem esse atque *Ἀσέληνα ὄρη* Etymologi, puto, et, quam sententiam vetus Theriacorum interpres graecus profitetur, Locricum montem fuisse *Ἀσέληνον*, inde natam existimo, quod incertum esset, utrum ille mons ad Aetolos pertineret, an ad Locros: certe Coracem, montem Aetolorum altissimum, quem cum *Ἀσεληνῳ* ita coniungit Nicander, ut montes vicini, vel inter se nexi fuisse videantur, attingere Locros Ozolas, haud obscure significat Strabo IX. p. 638. B. C. X. p. 690. 692. Conferatur ad Theriacorum locum Eutecnius p. 328. ed. Schneid. qui montibus *Ἀσέληνον* Aetolicis annumerat. Graviora, ad nostram quidem rem, quam nunc agimus, illa sunt, quae ex Nicandro apponit Etymologus: *ὅτι, φησὶν, ἐν αὐτοῖς* etc. Quae, ut verba sonant, sensum praebent talem: quod in montibus *Ἀσεληνοις* cubaret cum Endymione Luna, propterea vicinam montibus illis regionem (*τοὺς ἄλλους τόπους*) caruisse lumine lunari. Inepte. Tum enim non montes dicendi fuissent *Ἀσέληνα*, sed vicina illis regio dicenda erat *ἀσέληνος*. Quare Etymologum non satis accurate excerpsisse verba Nicandri, aut negligenter loqui arbitror. Res haec erat, nisi fallor. Animadverterant regionis illius incolae, montes quosdam, dum tota longe lateque regio lumine circumfusa lunari splendebat, nonnunquam tectos caligine umbraque iacere: hos montes, vel hunc montem, *Ἀσέληνα* dicere, vel *Ἀσέληνον*, et quum aliquid de Lunae cum Endymione concubitu accepissent, eum ad montem illum referre coeperunt. Satis apte: quippe decebat in obscuro peragi rem istam. Igitur quum *τοὺς ἄλλους τόπους* dicit Etymologus, non dicit, aut certe non debuit dicere, alios locos praeter montes illos, sed alios montium illorum locos praeter eum locum, in quo Luna accumbebat Endymioni. Caeterum Nicandrum, ex his quae disputavimus, recessisse patet a communi Callimacho, Apollonio, aliis plurimis, Nonno quoque, narratione, quae ad Latmum, Cariae montem, relegabat Endymionem Lunamque. Adscribam quae huc pertinent, ex scholiis in Apollonium Parisinis, ne quis ea perperam accipiat, et aliquid a scholiis olim vulgatis diversum tradere existimet. *Περὶ δὲ τοῦ τῆς Σελήνης ἔρωτος Σαπφὼ καὶ Νίκανδρος ἐν β ἀρώπης ἱστοροῦσι. Φασὶ γὰρ κατέρχεσθαι τὴν Σελήνην πρὸς Ἐνδυμίωνα καθεύδοντα αὐτὸν* (f. *αὐτοῦ*) *ἐν τῷ Λάτμῳ τῷ ὄρει.* Haec, si *φασὶ* ad Sappho et Nicandrum pertinet, contraria erunt sententiae nostrae, et Nicandrum quoque in Latmo collocasse Endymionem evincent. At vero scholia conferenti olim edita aliud patebit. Ea sic: *Περὶ δὲ τοῦ τῆς Σελήνης ἔρωτος ἱστορεῖ Σαπφὼ καὶ Νίκανδρος ἐν δευτέρῳ Εὐρώπης. Λέγεται δὲ κατέρχεσθαι εἰς τοῦτο τὸ ἄντρον τὴν Σελήνην πρὸς Ἐνδυμίωνα.* Idem est apud hunc *λέγεται*, apud illum *φασί.* Primo testes hac de fabula duo gravissimi,

Sappho et Nicander, excitantur; tum fabula breviter narratur talis, qualis vulgata erat maxime, et qualem ipse habet Apollonius de Latmo. Qua in re non opus erat, ut si qua vetus interpres apud testes illos recedentia a vulgata fabulae conformatione inveniret, ea diligenter indicaret omnia. At Nicandrum credibile est, quum suam de monte Aetoliae opinionem proponeret, non praeterisse silentio vulgatam narrationem de Latmo, sed ita fere disputavisse: mentiuntur, qui in Latmo dormivisse Endymionem, et ad Latmum accessisse Lunam tradunt; in Aetolis res facta est, unde etiam nunc ὄρη dicuntur Ἀσέληνα etc. Certe eiusmodi disputatio prorsus ex ingenio poetarum huius aetatis. In Scholiis Parisinis pro αὐτόν conieci αὐτοῦ: respicit interpres Apollonii, ad quem haec scribit, locum κατὰ Λάτμιον ἄντρον ἀ. Quasi dicat: fertur Luna descendere ad Endymionem dormientem eo loco, quem dicit Apollonius, in Latmo monte. Atque ita accipiendum est, quod in scholiis prius editis legitur: εἰς τοῦτο τὸ ἄντρον, scil. in hoc antrum, quod dicit Apollonius. Ex hac disputatione nostra illud, velim, aliquis recordetur, atque hoc teneat maxime, quod exemplis a me comprobatum Senecae et Nicandri est, neque mirum videri debet, in scriptoribus eius aetatis, quae dudum, quid esset luna, didicisset: fuisse qui eodem tempore lunam fulgere in caelo, lumenque praebere mortalibus, et Lunam Deam versari cum Endymione statuerent. Scilicet illi, quum lunam non esse deam, curru vectam, scirent, et tamen Luna Dea, suavique Endymionis fabula carere neque possent, neque vellent, lunam, corpus caeleste, separaverunt a Dea Luna: illud per caelum volvi sua via sinebant, hanc ad Endymionem adducebant. Atque eam rationem Cato sequitur. Apparet autem, Catonem inter eos fuisse, qui ab Endymione Lunam οὐ γυμνὸν τὸ φίλαμα, non tantum furtiva dormientis adolescentuli oscula, ut tradebant castiores, sed καὶ πλέον tulisse traderent. Cato Lunam cubitum ire cum Endymione, ut uxorem cum marito, statuit. Cf. Nonnus locis supra laudatis, VII. 238. XLVII. 282. et XXXIII. 138. Unde est, quod eidem Endymion IV. 223. XIII. 556. XLVIII. 583. νυμφίος, XLIV. 285. ἀκοίτης Lunae, et Luna II. 325. εὐνέτις Ἐνδυμίωνος audit. Quamquam haec quidem ambigua sunt, poterantque eadem a Nonno de iis dici, qui semel coissent. Narcissus, Lunae ex Endymione filius, XLVIII. l. l.

Haec de Endymione per digressionem.

Apud Catonem observatione fortasse dignum est *aureus orbis* de Luna dictum, pro quo me tum, quum violentis in Catone opus esse emendationibus putabam cum aliis, *argenteus orbis* coniicere memini, sic: *Inque vicem Phoebi currens argenteus orbis,* vel simili quodam

modo. Differre aliquid inter solis splendorem, et lunae, non potuit latere veteres; idque ita significant, ut, quum solem tamquam epitheto perpetuo *aureum* appellent, lunam, quod etiam nostrates facere solent, *argenteam* dicant: sed rarius tamen hoc, quam putes, fieri video. Factum est ab Ovidio Heroid. XVIII. 71. ubi Heinsius Sapphus testimonio utitur, illo, quod nuper Seidlerus in Museo Rhenano III. p. 166. tractavit. Cf. grammaticorum et naturae curiosorum hac de re commenta: Schol. Pindar. Isthm. V. 2. Eustath. in Iliad. I. 37. p. 33. Multo magis usitatum veteribus, *aureum* solem, *auream* lunam dicere promiscue, dum aut negligunt illud quod inter solis splendorem et lunae discriminis interest, aut, quod in Catonis loco observare licet, lunam rursus cum minoribus ignibus, stellis, comparant. Ut apud Euripidem Phoen. 178. sq. *Ὦ λιπαροζώνου θύγατερ Ἀελίου Σελαναία, χρυσεόκυκλον φέγγος.* Ovid. Metam. II. 722. 3. *Quanto splendidior, quam caetera sidera, fulget Lucifer, et quanto te, Lucifer, aurea Phoebe.* Cf. Virg. Georg. I. 431. Similiter, quod magis proprium solis est, cognomen *ignei,* ad lunam transfertur, e. g. a Statio Theb. VIII. 271. et a Cornelio Severo loco supra laudato: *Ignea nam caelo ducebat sidera Phoebe, Fraternis successor equis.* nisi ibi *Ignea* ad *sidera* pertinet, quod sane probabile. Ac sidera etiam, praeter solem lunamque, minora *aurea* dici, et *ignea*, non est quod exemplis probemus: mirum magis foret, si hoc non diceretur. Deinde perbene inter se opponuntur *tuus* et *mea.* Minus aptum foret, si ita scripsisset: o Endymion, Luna tua est tecum: cur non est et mea mecum? Non de mortalium enim, sed de deorum amoribus agit, hac ratiocinatione, ut supra dixi: amaverunt etiam dii, ac deae, et Luna secum habet suum: cur non ego meam?

Supersunt vitia, et coniecturae virorum doctorum, quibus nihil opus esse censeo. V. 40. *In vicem* sine *que* particula Veneta Rub. *Invicem* Norimb. 1492. Ven. 1499. 1500. *aureos* Romana II. cum Vratisl. II. V. 41. *et* omittit Paris. IV. Scaligeri coniecturam edidit Arnoldus. Et Scaligeri coniecturam ac disputationem suum in usum convertit Dalecampius in Plin. H, N. II. IX. servato adeo vitio, quod est in prima Scaligeri, *Agesianarum poeta* pro *Agesianax poeta.* Sed coniecturam paullulum immutavit Dalecampius, hunc in modum: *Inque vicem excurrunt, tunc aureus orbis ephebi L. tui t. e.* Heinsius: *Inque v. Phoebi currens atque,* vel *aeque, a. o.* vel *Phoebi occurrens,* vel *Phoebi currus. atque aureus orbis Luna tuus tecum* legebat Scriverius, in quo *tuus* bonum est, sed quomodo acceperit Scriverius, non patet. Wernsdorfius coni. *Inque vicem, Phoebe, excurrens tuus aureus orbis; Luna tua est tecum.* Silligius v. 38. post *dolorem* commate interpungit, ita ut interrogatio *Cur ego crudelem* etc. continuetur usque ad *orbis.* Deinde

v. 41. *Luna tua it tecum* coniicit, sed cum versum post versum 44. (147.) poni mavult. Putschius similiter interrogationem versus 38. usque ad versum 40. extendit, ut sit: *cur ego patior dolorem, sidera quum redeunt, Inque vicem, Phoebe excurrunt*? Tum pergit: *Atqui aureus orbis, Luna, tui tecum est*: significari Lunae amasium quemdam inter sidera relatum.

V. 42. (145.) LUNA DOLOR NOSTI QUID SIT: MISERERE DOLENTIS.

*Luna dolor*] ita lego:

*Luna, dolor nosti quid sit. miserere dolentis.*
*Phoebe, geres in te laurus: celebrabis amorem.*
*Et quem pompa Deum, non siluis fama sequuta est,*
*Omnia, uos testes, secum sua gaudia gestat.*

De Luna primum: historia Endymionis. Deinde: o Phoebe quotiescunque lauream gestabis, celebrabis amorem tuum in Daphnen. Qui amor tuus, quum in pompa Deorum celebretur, neque tantum in siluis fama notus sit (nam non solum siluae lauri extant, quae sunt monimenta amoris Phoebi in Daphnen: sed etiam Deorum quoque pompae, et victoriae, et agones hac arbore insigniuntur) Ille, inquam, amor pro amissa potiundi spe hoc magno solatio fruitur, quum ubique locorum inspersa videt lauri nemora, et lucos. Melius in praesentia comminisci non potui, qui huic obscurissimo loco lucem adferrem. Interea eruditiorum quisque pro sua copia symbolam in illum conferat. SCALIGER.

Verissime Scaliger de Endymione agi hoc versu 42. monet. Nobis, qui etiam versu praeced. de Endymione sermonem esse docuimus, non praetereundum est, quam suaviter sententiam Cato variaverit. Primo iniuste fieri conqueritur, quod quum Luna secum suum habeat, ipse non habeat suam. Deinde misericordiam implorat Lunae: tu quoque experta es curas amoris, ac dolorem, quum non semper tibi habitare cum Endymione liceat; ergo miserere dolentis. Aptissime omnia. Quem enim deum, aut quam deam, prius invocet lamentans nocturnam solitudinem amator, quam Lunam? Dictio similis Claudiani est, de Raptu Pr. III. 307.

nosti quid sit Lucina, *quis horror*
*Pro genitis, et quantus amor.*

hoc est, tu quoque experta Lucinam es. Sic accipiendus locus ille, non ut Gesnerus. *miserere ardentis* Ovidius Metam. XIV. 691.

Inepte olim, h. e. in Romanis, Venetis Achat. Rub. Iens. Mutin. Vicent. aliis, etiam recentioribus, ut Lugd. 1529. distinguebatur:

*cur non est et mea mecum*
*Luna*?

Quod interpretatur Badius: *mea luna. i. amica mea.* Veram distinctio-

nem restituit Argent. 1502. tum Aldinae, aliae. Deinde quum in Romanis ac Mutinensi, itemque in cod. Bas. et Vratisl. II. ut in libris scriptis antiquis, recte *nosti* sit, Venetas Achat. Rub. Iens. Vicentinam cum Voss. II. reliquas, mendum *nostri* obsedit, et quum emendatum esset in Ascensianis et Aldinis *nosti*, redit tamen error *nostri* in Virg. Aldi, Taur. 1518. Lugd. 1529. Ven. 1555. *nosti* a manu in exemplo Lips. Venetae Iens. *qui* pro *quid* Medic. Paris. IV. *misere* Aldina I. sed correctum in Aldina II. *dolenti* pro *dolentis* Medic. Paris. IV.

V. 43. (146.) PHOEBE, RECENS IN TE LAURUS CELEBRAVIT A. Vidimus commentum in hunc versum, et qui sequuntur, Scaligeri. Melius res nobis cessit, sed post diuturnam cogitationem: Scaliger illud, ut alia meliora, ex tempore fuderat. Poeta alio flectit sententiam. Post Lunae Endymionisque mentionem eo modo factam, quo facta est versibus praecedentibus, alia poterant exempla exspectari, ad eamdem sententiam facientia: Vos vestras vobiscum habetis noctu: sinite me habere meam. Verum id aliter evenit. Exempla sequuntur, non eorum deorum, qui quotidiana suarum consuetudine uti pergunt, ut, secundum Catonem, Luna Endymionis, sed, quod statim ex versu 146. patet, et a me longius demonstrabitur, eorum, qui, ex unanimi poetarum consensu, ante multa saecula amiserant, et in arbores floresque, ac sidera, abire viderant puellas suas, puerosve. In quo diligenter cavendum, ne quis in hunc se errorem induci patiatur, ut Catonem invidere diis quae reliqua ipsis sint amorum monimenta, putet. Quasi dicat: ego plane nihil habeo, quo consoler memet in hac solitudine, qua distineor a Lydia mea: vos saltem solatia desiderii, pristinorumque amorum monimenta habetis, unus florem, sive arborem, alius sidus. Non erant tam parvo contenti veteres amatores, neque satis fieri cupiditati inanibus memoriae blandimentis existimabant. An satis fuisse Catoni censebimus, si suam semper secum Lydiam, in florem nescio quem conversam, habuisset? Non puto. Igitur alium in sensum accipienda sunt haec exempla. Qui autem sit sensus, satis docet ipse versus 42.

*Luna, dolor nosti quid sit: miserere dolentis.*

Luna, Phoebus, alii, excitantur, ut, qui ipsi illas dulces curas experti sint, nunc misereantur Catonis, et exemplo suo ut tueantur ac defendant amores Catonis. Sed quum deorum, quos fabula amavisse narrat, infinitum esse numerum sciret, placuit poetae in iis consistere, et in exemplum afferre eos, de quorum amoribus externo quodam testimonio ac documento constare intelligeret. Itaque Phoebum invocat, quem perpetua Phoebi comes, laurus; alios commemorat, quos arbores aliae, floresve,

aut ex arboribus floribusque coronamenta, imaginibus illorum addi solita, vel quos facta ex puellis sidera amores exercuisse inde ab antiquissimis temporibus testata erant, et testabantur Catonis aetate. At quoniam ne sic quidem certa res est: nemo enim mortalis oculis vidit istas puellarum puerorumque in flores, arbores, sidera, mutationes: ad silvas provocat, *silvis* haec omnia nota esse addit v. 44.

Daphnes exemplo fortasse melius abstinuisset: nam ad rem Catonis magis felices deorum amores faciunt, quam infelices; Daphnes autem amor Apollini infelix fuit, neque habuit exitum, quem ille cupiebat. Certe ut vulgo traditur. Sed illud ante oculos habet poeta, ut dixi: amavisse deos. Atque eius sententiae documentum sane luculentum laurus est.

Sed *recens* nostrum inventum est. Scilicet ante amorem Phoebi, *nondum laurus erat,* ut ait Ovidius I. 450. Apparet autem, quam facili emendatione RECENS fecerimus ex GERENS: nam *gerens* est vulgata librorum tam editorum antiquitus, quam scriptorum, omnium, praeter Mediceum et Anglicanum, in quibus *merens,* ac Parisinum IV. in quo *moerens* legitur. Et pro *in te* Mediceus *vitae,* Paris. IV. *intae* vel *uitae* habet. Praeterea mirus est codicum nonnullorum, Petaviani, Thuanei, Augustani, Parisini II. et Leidensis ap. Burm. error, *Phoebo.* Denique editorum ante Aldinas, inde a Romanis, vitium est *celebrabit,* quod in nullo antiquo libro scripto reperitur, sed reperitur in codicibus novitiis, Basileensi, Vratisl. II. et Vossiano II. *celebravit* cum libris antiquis bona illa Mutinensis, Aldinae, et post Aldinas pleraeque. Post haec ingratus labor est vitia minuta recensere, et conatus virorum doctorum, qui frustra fuerunt. Augustanus, ut solet, syllabas confundit, sic: *Phoebogerens intelaurus c. a.* et *inte* Mutinensis, unde illud, quod ex Mediceo et Paris. IV. commemoravimus vitium, *uitae,* ortum esse apparet. *Phaebe* Rom. I. *Phebe* Rom. II. Vratisl. II. Veneta Achat. Scaligeri coniecturam *Phoebe,* geres *in te laurus*: celebrabis *a.* recepit Arnoldus. Salmasius, si recte refert Arnoldus: *Ph. gerens in te l. celebrabis a.* ut legebat etiam Wernsdorfius. Heinsius varia tentaverat: *Ph. virens in t. l.* vel *Ph. tuos virgo laurus celebravit amores.* alio tempore: *Et Peneigenae,* vel *Peneo genitae, laurus.* denique, quod Burmanno placet prae caeteris: *Endymioneum Latmus celebravit amorem.* quam in rem laudat Ausonium Cupid. Cruc. v. 40. sed addit: *Haereo.* Silligii coniectura est: *Ph.* decens *in te l. celebravit a.* Putschius distinctione adiuvandum esse locum putabat, hunc in modum: *Luna, dolor nosti quid sit. Miserere dolentis, Phoebe, gerens in te laurus*! tum *celebravit amorem* iungit cum versu seq.

Ovidii locum, quem paullo ante attingebam, Nonno fuisse lectum dixeris, ubi de una ex Horis, XI. extr. *οὔπω γὰρ χρυσέων ἑλίκων πλεκτοῖσι κορύμβοις βότρυες ἀμπελόεντες ἐπέῤῥεον αὐχένι νύμφης· οὐδέ μιν οἰνωθεῖσα* etc. Transitus fit apud Ovidium ad originem lauri, apud Nonnum ad originem vitis, inventionemque vini.

V. 44. 45. 46. (147. 8. 9.) ET QUAE POMPA DEUM: NAM SILVIS etc. In versu 44. vetus est scripturae diversitas. Una, vulgata, librorum editorum ante Aldinas omnium, et nonnullorum post Aldinas, ut Iuntinae Flor. Lugd. 1529. Bas. 1543. Mogunt. 1549. Lugd. et Antv. 1556. Scaligeranarum, Antverp. 1580. Pithoei:

*Et* quem *pompa deum* non *siluis fama locuta est.*

altera librorum scriptorum, Aldinarum, et aliarum post Aldinas, ut Venetae 1558. Basil. H. P. 1561.

*Et* quae (vel *que*) *pompa deum* nisi *siluis* (vel *syluis*) *fama locuta est.*

Sic diserte *scripti* apud Heinsium, qui sunt Petavianus et Thuaneus; Mediceus, Paris. II. III. IV. et Augustanus. Alii, si collationibus apud me fides est, ut non est cur diffidam illis, mixtam ex utraque scripturam habent: *quae* (vel *que*) — *non* Anglicanus et Vratisl. I. *quem* — *nisi* Monac. I. II. et Leidensis Burmanni. Sed de Leidensi prorsus incerta res est, tum quia de toto codice Leidensi nihil constat, ut monstrabitur a me in recensione codicum; tum quia certum est, aliquid turbatum esse in Burmanni ad h. l. observatione: nam quod scribit Burmannus, in Leidensi *Et quem pompa deum nisi silvis* legi, *quomodo Aldus edidit*, id manifesto falsum est, quum in Aldinis *quae* legatur, non *quem*. Praeter haec, quae dixi, nihil in libris scriptis varietatis est. Circumfertur quidem tertia scriptura quaedam:

*Et* quae Pana *deum*, nisi *s. f. l. e.*

sed ea nullius codicis auctoritate, quantum nobis quidem constat, munita. Nam Excerptorum quae dicuntur Pierii, quibus Excerptis Heinsius ad h. l. tantum tribuit, ut ea ad codicem Bembinum referat, nullam esse auctoritatem doceo in recensione codicum. Ego sic, *que pana deum nisi s.* editum reperio in Veneta Scot. 1555. Ut non inepte coniicias ex hac demum Veneta, vel ex alia cognata, illud hausisse Excerptorem istum, quem volunt Pierium esse. Legitur etiam *quae Pana Deum, nisi* in margine Antverpiensis 1566. et Scaligeri, et Pithoei, editum. haud dubie ex Veneta illa, vel ex alia cognata.

Versum 45. libri omnes ita conceptum exhibent:

*Omnia vos estis.* (sic Rom. I.) *secum sua gaudia gestat.*

Romana II. post *estis* distinctionem nullam, Veneta Achat. colon habet.

Unum variatur, *nostis* pro *estis*: verum eius varietatis prorsus eadem ratio est, quae commemoratae paullo ante scripturae, *quae Pana deum*, ac videtur, ut illa, commentum esse hominis Itali: reperitur enim *nostis* tantum in his, in Excerptis quae dicuntur Pierii penes Heinsium, in Veneta Scot. 1555. et in marg. Antverp. Scalig. Pith.

Versum 46. omnes ita:

*Aut inspersa* (vel *insparsa*) *videt mundo*: *quae dicere longum est.*

Iam scripturae vulgatae v. 44. *Et quem pompa deum non siluis fama locuta est,* primo distinctione videntur nescio quomodo opitulari voluisse. post *deum* colon ponunt Romana I. et Veneta Achat. et sic Gloss. V. I. Iensonus autem ipse in fine versu signum interrogandi posuit. quo nihil lucramur. Glossator iste ad *quem* supplet *amorem*, et in margine annotat: *propter amorem Coronidis.* Tum ad *Omnia vos estis* supplet *dii*, et interpretatur: *mutastis vos in omnes formas propter amorem.* Denique, quod praeclarum est, sed non conciliandum cum reliqua eius explicatione, annotat: *puelle quas dii amarunt aut in celum sunt translate aut in arbores seu flumina sunt conuerse. Ita ut diis semper illas intueri liceat.* Badii interpretandi conatum taceo, quum ipse fateatur: *Omnia sunt tam inversa ut difficile sit sententiam bonam comminisci*: *referimus autem haec ad suum cuiusque iudicium.* Et sane locus, ut est in libris, nullam sententiam bonam efficit. Quare emendationem tentaverunt alii. Scaligerum audivimus ad v. 42. Eius coniecturam *testes* recepit Arnoldus. Heinsii multa ac varia commenta commemorat Burmannus: *Et quaecumque Deum,* vel, *Et quem prona* (vel *prompta*) *Deum tibi silvis Pana secuta es.* rursus: *Et quam Pana deam sub silvis fama secutam.* vel, in quo constitisse videtur, *Et quae Pana Deum sub silvis fama locuta est.* quam in rem laudat Virgilii locum, Georg. III. 392. Quae omnia infirmo nituntur fundamento, scilicet illa, cuius nullam esse auctoritatem demonstravimus, scriptura *Pana.* Versu 45. idem Heinsius volebat *nostis* cum iisdem Excerptis istis, vel *Somnia vos estis* (cum interrogatione), vel *vos testes*, et *secum sua gaudia spectat,* vel sic: *Omnia* (*vos testes*) *secum sua gaudia gestant,* ut *testes* dicantur commemorati in superioribus Phoebus ac Luna. Omnia satis violenter, et nullo tamen, ut verum fateamur, idoneo sensu. Et sensum quidem loci ex parte feliciter divinavit Wernsdorfius, etsi non intelligo, quomodo explicationi eius respondeant verba poetae. Ita enim περιφράζει Wernsdorfius: Et *quis est reliquorum deorum,* quem pompa, *ordo deorum agnoscit,* non *aliqua* fama *furtivi amoris in* silvis locuta est. *Unusquisque eorum,* vos *ipsi* nostis, *Phoebe et Luna,* sua gaudia *vel documenta gaudii et amoris sui,* secum gestat, (*ut Phoebus laurum,*

*Pan fistulam e Nympha Syringe*) aut *passim* inspersa *vel sparsim collocata* mundo *h. e. coelo* videt, quae dicere longum est, *e. g. ursam in coelo, Ariadnae coronam.* Rursus recentissimi ad coniecturas confugerunt. Silligius: *Et quem pompa deum,* nisi *silvis fama, locuta est.* Omnis, *vos* scitis, *secum sua gaudia gestat, Aut inspersa* etc. idemque versum qui vulgo est 144. ita scriptum, *Luna tua it tecum*; *cur n. e. e. m. mecum,* huc transferendum, atque inserendum esse post hunc, *Et quem p. d.* coniicit. Putschius: *Celebravit amorem Et quem* nympha *deum,* nisi ludis, *fama,* secuta *est. Omnia* coelestes *secum sua gaudia* gestant, *Aut inspersa* vident *mundo, q. d. l. e. deum* intelligit Pana, *nympham* Syringa, cum Wernsdorfio. Quaeritur, quo iure. *Nymphae* enim praeter Syringa fuere multae, et *deum* Pana esse quis intelligat, nisi accuratius describatur? Sane etiam infra obscurius loquitur de amantibus, Ecl. 50. et 66. sed tamen ita, ut divinari possit, qui sint amantes intelligendi. Deinde vehementer languet *Omnia* in emendatione Putschii, quum potius exspectetur *omnes.*

Mihi ex his omnibus nihil se approbavit praeter illud a Gloss. V. I. et Wernsdorfio egregie observatum, sermonem esse de puellis deorum, aut in arbores plantasve conversis, aut inter sidera relatis. Quae arbores plantaeque dum additae semper signis imaginibusque deorum conspiciuntur, et quae sidera dum semper fulgent insignita puellarum nominibus, perpetuo ac nunquam delendo documento docent amavisse deos. Mutationem feci unam, lenem, ut mihi videtur, *nam,* pro quo vulgo *non,* et aliis in libris *nisi.* Nimirum *nam* quum per compendium scriptum esset; alii in *non* mutaverunt, alii, male duplicatis vocabuli quod sequitur litteris prioribus, in *nisi.* Sensum loci iam indicavi supra ad v. 43. sed non piget iterum describere atque enarrare locum, ut totus patefiat. Itaque sic Cato. *Phoebe, recens in te laurus celebravit amorem*; *et quae pompa deum,* h. e. qui deorum praeter Phoebum numerus, *secum sua gaudia,* folia, flores ex puellis facta, *gestat,* aut *inspersa videt,* tamquam sidera, *caelo.* Supplendum est ex praecedentibus: ea pompa hoc modo celebravit, testificata est, ac testificatur amores suos. In medio parenthesin inserit, qua significat, deserta, solitudines, silvas vidisse illos clandestinos deorum amores, puellarumque in nova corpora mutationes, hoc modo: *silvis fama loquuta est*: *omnia vos estis.* i. e. sciunt silvae: mutatae estis vos, puellae, in omnia. Iam haec sunt explicanda per se singula.

Ac primo quod dixi aliquid ad verba *Et quae pompa — gestat, aut videt,* supplendum esse, sic non solum Cato loquitur iterum, v. 66. *Et quicum tenera gavisa est ludere in herba* etc. ubi supplenda est ex versu 66. haec notio: is libavit gaudia; sed loquuntur eo modo

omnes. Propertius I. iv. 24. *Nullas illa suis contemnet fletibus aras, Et quicumque sacer, qualis ubique, lapis.* ubi supplendum, ut totam complectaris sententiam: eum non contemnet. Idem I. xiii. 18. *Et cupere optatis animam deponere labris, Et quae deinde meus celat, amice, pudor.* supplendum: ea te vidi facere. Idem II. xxvi. 35. seqq. *Omnia perpetiar, saevus licet urgeat Eurus, Velaque in incertum frigidus auster agat; Quicumque et venti miserum vexastis Vlixen, Et Danaum Euboico littore mille rates; Et qui movistis duo littora,* etc. Supplendum: ii venti omnes licet urgeant, turbent. Ovid. Fast. I. 492. et qui sunt alii loci.

*Pompam* non pro multitudine, numero, in universum, sed proprie accipio. Obversatur Catoni *pompa deorum,* qualis Romae festis diebus ducebatur splendidissima, qua occasione varia deorum insignia discere, et amorum, quos illi exercuisse ferebantur, monimenta, facile erat. Noti sunt Ovidii loci, Amor. III. ii. 43. seqq. *Sed iam pompa venit* etc. ubi *pompamque deorum* est v. 61. ut *pompa deum* apud Catonem. De eadem deorum per Circum pompa Art. am. I. 147. *At cum pompa frequens coelestibus ibit eburnis.* si ea ibi vera scriptura est. Rursus idem Fast. IV. 391. *Circus erit* pompa *celeber, numeroque* deorum. Et his quidem in locis nulla fit insignium et *συμβόλων* mentio. Sed ea addita tum fuisse imaginibus deorum, partim per se probabile est, partim ex aliis aliarum pomparum descriptionibus colligitur, ut illius, de qua Dionysius Halic. lib. VII. excunte refert ex Q. Fabio: in qua descriptione haec leguntur p. 1493. Vol. III. R. *τελευταῖαι δὲ πάντων αἱ τῶν θεῶν εἰκόνες ἐπόμπευον, ὤμοις ὑπ' ἀνδρῶν φερόμεναι, μορφάς τε ὁμοίας παρέχουσαι ταῖς παρ' Ἕλλησι πλαττομέναις, καὶ σκευὰς καὶ σύμβολα, καὶ δωρεὰς, ὧν εὑρεταὶ καὶ δοτῆρες ἀνθρώποις ἕκαστοι παραδίδονται.* Addit, non solum illorum duodecim ibi imagines adfuisse, sed etiam eorum, qui illis antiquiores, et posteriorum, ut Bacchi, et semideorum, ut Herculis, Panis, al. Quam accurate autem exornatae singulae deorum imagines fuerint, ut unus distingueretur ab altero, et quam diligenter eas populus observaverit, docent memorabiles ac lepidi loci, Ciceronis ad XIII. xliv. de Victoria, cui non plausit populus, propter *malum vicinum;* Dionis Cassii XLVIII. p. 546. de prolata in ludis equestribus imagine Neptuni, quae multo excepta plausu est, propter recordationem Sexti Pompeii. *σκευὰς καὶ σύμβολα* quum dicit Dionysius, haud dubie habitum et insignia, ut in Neptuno tridentem, in Apolline arcum, in Hercule pellem leoninam clavamque, intelligit, sed credibile est non defuisse caetera ornamenta, monimenta amorum, ut in Apolline laurum, in Pane syringem, vel pinum.

## *De diis, qui „secum sua gaudia gestant", digressio.*

Proponam hoc loco puellarum a diis amatarum, et conversarum in arbores, flores, plantas, catalogum, non studiose a me factum, sed sponte natum, dum Catonis memor scriptores lego. Inserui etiam pueros. Non dico autem haec amorum monimenta omnia, et semper, addita deorum illorum imaginibus fuisse, aut Catoni exempla, quae propositurus sum, ante oculos fuisse omnia: sed tamen Graecos et Romanos, quum viderent arbores plantasque illas, saepe deorum, ad quorum amores illae pertinerent, et contra quum deos deasque cogitarent, etiam puellarum puerorumque, quos illi amavisse ferebantur, memores fuisse certum est.

*Daphne* nota omnibus. Eius, factaeque ex ea lauri saepissime meminit Nonnus, qui ut semper morari in amoribus deorum amat, ita harum mutationum cupidus est, e. g. II. 80. sqq. ubi in perturbatione rerum per Typhoeum facta, deos, Zephyrum, Phoebum, Panem, Venerem, florum suorum plantarumque miseret, cypressorum, hyacinthorum, lauri, pini, anemones. Vel alio modo, XI. 258. sq. cui loco haec subest sententia, solatium esse deo, quod monimentum puellae olim amatae, vel pueri, aliquod habeat secum: cf. XLVIII. 492. sq. Coluth. 245. (241.) Vel etiam, ut est in Nonno copia inexhausta variandi, hanc tamquam poenam fastidii, servataeque nimis severe virginitatis, impositam esse Syringi, Daphnae, dicit, ut mutatae servire debeant diis amatoribus, XLII. 383. sqq.

*Hyacinthus.* Multus etiam de hoc Nonnus est. ex quo eos tantum apponam locos, ubi gestare hyacinthum Apollo, in memoriam Hyacinthi, dicitur: XI. 259. sqq. XII. 156. 208. 245. XIX. 185. Et Hyacinthus, coronamentum Apollinis, apud Lucianum Deor. dial. XV, 2.

*Cyparissus.* De Cyparisso variant fabulae. Apollini dilectum fuisse Ovidius tradit, X. 106. sqq. Zephyro, Nonnus II. 80. XI. 363. cf. III. 148. 9.

*Syrinx.* Unde *Πανιὰς σύριγξ* ap. Nonnum VII. 49. XXIII. 212. XXIV. 40. XXIX. 287. *Πανὸς ἑταίρη σύριγξ ἡδυέπεια*, X. 389. Cf. XLII. 383. et quo loco philosophum fabularum interpretem agit Nonnus, XLI. 373. cf. Achilles Tat. VIII. cap. 6. Longus II. p. 65. 69.

*Pitys.* *Πανὸς — πιτυστέπτοιο* Crinagoras epigr. VII. *Pan Pinea semiferi capitis velamina quassans*: Lucret. IV. 590. 1. *Arcadio pinus amata deo* Propert. I. xviii. 20. ubi cf. Broukhusius, et Niclas ad Geopon. XI. x. Lucianus Deor. dial. XXII. 4. Nonnus II. 85. 96.

sqq. XII. 314. sq. XVI. 363. XLII. 259. 60. *πίτυν* et *πεύκην* accurate distinguit idem XII. 133. 318. XVII. 339. *Pitho*, quod obiter moneo, quam male Hemsterhusius in Lucianum inferri pro *Πίτυϊ* iubet, Nonno amica, vel magis coniux, est Mercurii: V. 574. 5. VIII. 220. 1. XLVIII. 231. 2. 712.

*Lotis* Priapi: Ovid. Metam. IX. 347. 8. Servius in Virg. Georg. II. 84. Apud Servium *Lotos* dicitur, etiam in Augustano. In Geoponicon libro XI. unde metamorphosin Loti peti iubet Scaliger ad Culicem v. 123. p. 16. nihil tale invenio. Neque probabile est, ad eam metamorphosin alludi Culicis loco.

*Crocus*, Mercurio dilectus, mutatus in florem: de quo Galenus lib. IX. *περὶ συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ τόπους*, T. XIII. ed. Chart. p. 608. vel edit. Lips. T. XIII. p. 268. ubi illustrat Philonis versus, qui ita videntur scribendi esse:

*ξανθὴν μὲν τρίχα βάλλε μυρίπνοον ἠϊθέοιο,*
*οὗ λύθρος Ἑρμείαις λάμπεται ἐν βοτάναις.*
*τούτου δὲ σταθμὸν φρένας ἀνέρος, οὐ γὰρ ἄδηλον·*
*βάλλε* (vel *μίσγε*) *δὲ καὶ δραχμὴν Ναυπλίου Εὐβοέως.*

Vulgo *ἰσοθέοιο*, et *κρόκον δὲ στ.* quorum hoc ex interpretatione atum. Sed etiam Galeni verba, quibus explicat metricam Philonis *ἀντίδοτον* non sunt ab omni parte sana. Ubi diversae scripturae *πεδίοις* pro *βοτάναις* mentionem facit, parum concinne scriptum est: *γράφεται, δὲ οὐ μόνον βοτάναις, ἀλλα καὶ πεδίοις ὡδίπως ὁ στίχος, Ἑρμείοις λάμπεται ἐν πεδίοις.* Galenus fortasse scripserat: *γράφεται δὲ καὶ ὡδίπως ὁ στίχος· Ἑρμείοις λ. ἐν π.* Ad hanc autem fabulam malim, quam ad vulgatam istam de Croco iuvene et Smilace puella, Ovidii locum Fast. V. 227. referri, quamquam hanc sequi vulgarem videtur idem Ovidius Metam. IV. 283. Verba in Fastis haec sunt:

*Quid Crocon, aut Attin referam, Cinyraque creatum,*
*De quorum per me vulnere surgit honor?*

Flora loquitur. Vides enumerari flores e pueris factos a diis vel deabus, aut propter deos deasve. Virgilius Culice v. 400. Ausonius Idyll. VI. 11. Servius in Georg. IV. 182. utrum hanc an illam fabulam ante oculos habuerint, incertum videri potest. Fortasse vulgarem, quam agnoscunt Plinius H. N. XVI. xxxv. et Nonnus non solum hoc loco, qui ad Ovid. Metam. IV. 283. laudatur, XXXII. 86. 90. sed etiam XII. 85. 6. et XV 353. est etiam *μίλακι* XLII. 310.

*Attis.* Hunc conversum fuisse in florem, si nemo alius traderet crederem Ovidio Fast. l. l. Praeter Ovidium illud tradit Arnobius V. vii. p. 171. Orell. cf. XIV. p. 177. XVI. 179. nominatque *violam.* Alia eiusdem Ovidii narratio Metam. X. 103. sq. *pinus Grata*

*deum matri, siquidem Cybeleïus Attis Exuit hac hominem, truncoque induruit illo*; et immiscet pinum Arnobius locis laud. Phaedrus III. XVII. 4.

*Io*. In cuius honorem facta *viola*: Geopon. XI. XXII.

*Adonis*. Ex eius cruore *rosa* facta: Bio I. 66. Pervigilium Ven. v. 23. si ibi vera sit Santenii in H. Balbum c. 1825. emendatio: *Facta pueri de cruore*. Servius in Virg. Ecl. X. 18. sed desunt ista omnia tum aliis codicibus, tum Augustano. Augustanus quidem, ut iam hoc specimine noscas codicem, haec tantum ad v. 17. et 18. habet: *Alleḡer hoc dicit. nec tu erubescas bucolica scribere. Gallus enim ut diximus poeta optimus fuit. Adonis autem nominatiuus ē*.

Ovidius *anemonen* factam ex sanguine Adonidis narrat Metam. X. extr. Unde probabile est, de anemone, non de rosa, cogitare eundem loco altero, Fast. V. 227. Mirum est, quod apud Servium in Aen. V. 72. legitur: *Hunc Venus vehementissime dilexit, et cum ira Martis ab apro esset occisus, sanguinem eius vertit in florem,* qui nunquam vento decuti dicitur. Certe de anemone, quae ex sanguine facta Adonidis, omnia contraria testatur Ovidius. An error Servii, vel quisquis illa scripsit alius, ex male intellecta re natus? Plinius H. N. XXI. XXIII. de anemona: *Flos nunquam se aperit, nisi vento spirante: unde et nomen accepit*. Caeterum locus iste, et narratio de Adonide reliqua, deest in codice Servii Augustano, aliis. Ausonius Idyll. VI. 11. *murice pictus Adonis*, utrum anemonen intellexerit, an rosam, parum differt. Media quaedam inter utramque opinionem eorum, quos supra ad Dir. 20. 1. indicavi, Tzetzae, et Favorini, via est, anemonen, quum alba fuisset antea, rubram factam Adonidis, rosam Veneris sanguine, roseto incidentis, quum ad Adonin accurreret. Cuius fabellae pars ea, quae rosam Veneremque attinet, etiam apud Aphthonium in Progymnasmatis, et in Geoponicis XI. XVII. exstat. Alium in sensum illa dicta sunt, apud Bionem I. 22. 35. Nonnum exspectes multum in hoc argumento luxuriari: verum ille etsi rosae, et anemones *ὠκυμόρου*, *μινυνθαδίης*, mentionem facit, Venerique sacram, vel caram, fuisse utramque dicit locis supra a me ad Dir. 20. 1. laudatis, et VIII. 210. XII. 238. XV. 354., fabulae nusquam mentionem facit.

*Leucothoë*, Soli dilecta, in virgam turcam: Ovid. Metam. IV. 190. Habet nonnulla Burmannus ad v. 196. sed testem, qui addi Ovidio queat, satis certum nullum, praeter Hyginum fab. XIV. *Thersanon Solis et Leucothoes filius ex Andro*. Addo Anonymum in Tychsen. et Heeren. Bibl. vet. litt. et art. Fasc. VII. Ined. p. 18. 19. Virgilius Georg. II. 117. *solis est turea virga Sabaeis*.

*Clytie*, eidem dilecta Soli, in heliotropium: Ovid. Metam. IV. 256. sqq.

*Syce. Staphyle.* Has puellas fuisse, a Baccho conversas in συκῆν, et σταφύλην, tradunt Natalis Comes V. xiii. p. 321. Gyraldus Hist. Deor. Synt. VIII. 270 F. Sycen nympham ex Pherenico commemorat Athenaeus III. p. 78. B. et de ficu, Bacchi invento, ex aliis. Nonnus *Staphylen* habet inter Bacchas, sed obiter, XXIX. 257. 269. σταφύλην, vitem, dictam in honorem Staphyli regis fingit, XIX. 53. 103.

*Κισσός,* iuvenis, χορευτὴς Διονύσου: Geopon. XI. xxix. Nonnus lib. X. extr. XII. 97. 8. 190.

*Ἄμπελος,* Baccho amatus puer: Nonnus lib. X. XI. XII. qui ab eo inventionem repetit vini. Ipse aliam narrationem commemorat, quam antiquiorem dicit, XII. 292. sqq. Nec tamen illud inventum est Nonni. Ovidius Fast. III. 409. sqq. *Ampelon intonsum, Satyris Nymphaque creatum Fertur in Ismariis Bacchus amasse iugis. Tradidit huic vitem pendentem frondibus ulmi: Quae nunc de pueri nomine nomen habet. — amissum Liber in astra vehit.* Quod medium distichon, fortasse recte suspectum fuit Heinsio, sed tamen sententiam exprimit Ovidii. Ἄμπελος nympha, a qua vitis dicta, apud Athenaeum III. p. 78. B.

*Philyra,* Saturno amata, in tiliam: Hygin. fab. cxxxviii. Interpres vet. Arateor. Germanici, in Centauro. Philargyrius in Georg. III. 93. *Quidam Philyram in florem conversam esse dicunt, vel in arborem, unde liber Philyrinus, quo coronae illigantur.* quae etiam ad Serviana ad eum locum attexta sunt, sed desunt in Augustano, aliis.

Ut aliquid etiam de iis dicam, qui *mundo inspersa vident sua gaudia*, satis notae omnibus *Callisto, Pleiades.* De Pleiadum nominibus, diisque earum amatoribus, cum Hellanico Fragm. xxiv. convenit Eratostheni Catast. xxiii. Ovidio Fast. IV. 171. sqq. Hygino Poet Astron. II. xxi. Interpreti veteri Arateorum Germanici, cum *Electra, Maia, Taygeta,* rem habuisse Iovem; cum *Alcyone* et *Celaeno* Neptunum; cum *Sterope,* sive *Asterope,* Martem. Consentit Apollodorus III. x. 1. praeterquam in Sterope, quam dat Oenomao, non Marti. Nonnum, qui III. 331. seqq. nomina recenset Pleiadum, ut Electram, Maiam, Taygeten dat Iovi, ita etiam de reliquis consensisse cum illis auctoribus probabile est.

De *Io* singularis nonnullorum apud Eratosthenem Catast. xiv. doctrina est, quem vulgo Taurum dicunt in coelo, bovem esse, τῆς Ἰοῦς μίμημα, ab Iove positum in honorem Ius.

Non omittenda est *corona Ariadnes*, de qua Nonni sunt loci hi: I. 201. VIII. 98. 9. XXV. 145. 6. qui sunt loci gemini, XXXIII. 373. 4. XLVII. 451. 466. sq. XLVIII. 971. sq. Et recte idem XLVII. 701.

sq. ita loquitur, acsi ipsa inter sidera conspiciatur Ariadne. Ad honorem enim, amorisque testificationem, puellam collocari inter sidera, an coronam puellae, idem est. Similis, sed tamen non eadem ratio Propertii est, III. xvii. 7.

*Te quoque enim non esse rudem testatur in astris*
*Lyncibus ad coelum vecta Ariadna tuis.*

ubi quam nonnulli sibi tautologiam invenire visi sunt, re vera nulla est. Distinguit poeta ipsam immortalitate donatam, Liberoque iunctam matrimonio, Ariadnen, et mortalium oculis in caelo expositam coronam eius. Cf. Probus apud Broukhusium ad eum locum, Ovid. Fast. III. 459. 60. 511. sqq.

Neque aliena sunt ab hac disputatione *Taurus*, *Aquila*, *Cycnus* sidera. Quae et mortalibus dei amorum testimonia, et deo illi ipsi, qui aliquando formas illas induisset, perpetua erant gaudiorum monimenta. In aquilam quum non semel se converterit Iuppiter, sed πολλάκις, ut Athenaeus XIII. 566. E. ait, *Aquilam* sidus plerique Ganymedis raptorem Iovem esse statuunt, Nonnus, memorabili dissensu, etsi raptum ab aquila Iove Ganymedem novit, *Aquilae* sidere raptorem *Aeginae* Iovem significari statuit, XVI. 58. 9. XXXIII. 297.

Denique *Perseus* sidus Iovi itemque mortalibus, in memoriam revocare *Danaen* poterat. Cf. Nonnus VIII. 100. sq. Sed Perseus tamen non tam propter matrem, quam propter fortia facta inter sidera relatus est: cf. Eratosth. Catast. xv. et xxii.

Redeo ad Catonem, cuius explananda restat parenthesis, *nam silvis fama loquuta est*: *omnia vos estis*. *nam* usitatissima ad inchoandam parenthesin particula. Aeque usitatus, et fere sollemnis dicendi modus, *fama loquuta est*, *fama loquitur*. Catullus LXXVII. 10. *qui sis*, *fama loquetur anus*. Cf. El. ad Manl. 46. *facite haec charta loquatur anus*. Lucanus IV. 573. 4. *Nullam maiore locuta est Ore ratem totum discurrens fama per orbem.* Velleius Pat. II. xciii. 3. *ut fama loquitur*. Hic *silvis* addit, dativum. Et bene *silvis* innotuisse, per *silvas* increbuisse famam, dicit, quia amores deorum ut prisci aevi hominum, de quibus Lucretius V. 960. Propertius III. xiii. 33. 4. testantur, ad silvas et loca deserta referri solebant; neque hoc illepide factum, quod per famam, quasi invitis diis, innotuisse amores deorum fingit. Durum alicui videatur, quod duo haec parenthesis membra habet, quorum unum pendet ab altero: *sciunt silvae*: *omnia vos estis*, pro: sciunt silvae vos esse omnia; et quod repente puellas appellat, *vos*, quum tamen non praecesserit diserta puellarum mentio. Mihi non nimis durum. Apostrophen noster vehementer amat, et puel-

larum notio satis diserta inest in vocabulo, quod statim sequitur, *gaudia*. Illud autem eleganti est brevitate dictum, *ommia vos estis*, h. e. in omnes mutatae formas ac figuras estis. Simile est, quum *unus* dicitur *esse omnia*. Quod valde usitatum. Lucanus III. 108. *Omnia Caesar erat.* ubi cf. intpp. et Broukhusius in Tibull. I. v. 30. et A. Popma in Varronis Fragm. p. 384. ed. Bipont. Varronis locus ex Sesquiulysse ap. Nonium p. 48. hic est: *Hic enim omnia erat: idem sacerdos, praetor, parochus, denique idem senatus, idem populi caput.* E Graecis nonnulla idem Popma, et sane Graeci ita omnes loquuntur. Homerus Odyss. IV. 417. *πάντα δὲ γιγνόμενος πειρήσεται, ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν ἑρπετὰ γίγνονται,* etc. Et prorsus in proverbium hoc abiit, *πάντα εἶναί τινι*: Theocrit. XIV. 47. ubi aliquid Toupius; Quintus Smyrn. III. 567. *πάντα γὰρ οἷος ἔῃς δμωῇ περ ἐούσῃ.* Idem XIII. 277. *ὅς μοι ἔην μάλα πολλά.* manifesta recordatione loci Homerici Il. VI. 429. 30. Lucianus Mortuor. dial. XXVIII. 1. *καὶ ὅτι ἀμφότερα ἐγένου μόνος, ἀνὴρ καὶ γυνή.* Inversa ratione idem ibid. XVI. 3. 4. *εἷς μὲν ἦτε — ὁ γὰρ αὐτὸς ἄμφω ἦμεν.* Et talia quidem vix digna observatione, quum et trita sint usu, neque per se singularia, si quidem nos quoque Germani modo non eodem quidem, sed tamen simili loquimur. Cognata sunt alia, quae nobis non licet vertendo assequi: Hesiod. de Periclymeno, Fragm. XXII. *ἄλλοτε δ'αὖτε πελέσκετο, θαῦμα ἰδέσθαι, αἰετός· ἄλλοτε δ'αὖτε μελισσέων ἀγλαὰ φῦλα.* et illa poetis latinis usitata, *sum praemia vati, una femina multa mala, unus erat fratrum maxima regna focus*, Propert. II. IV. 15. XXV. 48. IV. I. 10.

*quae dicere longum est*: ieiuna ad nostrum sensum declaratio, sive excusatio, et pedestri sermone quam poesi dignior, sed quam non recusabat priscorum poetarum latinorum simplicitas. Ciris v. 137. *sed dicere magnum est.* Inveniuntur similia apud alios, sed ubi carminis didactici tenuitas, vel familiaritas quasi quaedam stili, excusat ieiunitatem: Ovid. Fast. IV. 95. *Illa deos omnes, longum enumerare, creavit.* ibid. VI. 325. *Nec licet, et longum est epulas narrare deorum.*

Sequuntur vitia librorum manifesta, et orthographica. V. 44. *phama* Paris. IV. Voss. II. Vicent. Ven. 1482. 1486. V. 45. *estis* omittit Mon. II. V. 46. *est* omittit Mon. II. *insparsa* praetuli auctoritate librorum, Petaviani, Thuanei, Leid. Parisinorum II. III. Anglicani, Monac. I. II. Vratisl. I. et Mutinensis. Consentit Augustanus, in quo sic: *Aut inpars* (vel *in pars*) *auidet mundoq; dicere longam est.* et Medic. Paris. IV. in quibus *sparsa* (sine *in*) *vides*. *inspersa* reliqui. Sic in Moreto v. 97. *inspargit micas* Thuan. ap. Is. Voss.

et August. *inspargitque micas* cod. Bas. et Voss. II. cum Venetis Rub. Iens. *spargit migas* deficiente syllaba una, Guelferb. Gud. 342. At *aspergit micas* Voss. 81. et Mut.

V. 47. (150.) AUREA QUIN ETIAM QUOM SAECULA V. Augustanus, ut solet confundere syllabas, *A. qui net iamcū sae cula u.* *quom* Angl. Bas. *voluebant* Mon. II.

Transit poeta ad aetatem heroicam, eique invidet, quod tum, ut ante diis, libere amare, et explere cupiditates licuerit. Cuius rei exempla duo ponit et notissima, et ad declarandam amoris vehementiam aptissima: puellarum, quae impotente amore per terras ac maria sequutae amatores suos, caeco animi impetu. Quibus exemplis cave ne tacitam Lydiae reprehensionem contineri opineris. Nusquam Cato Lydiam reprehendit, aut per Lydiam stare, quo minus ipse eius contubernio fruatur, significat. Vitae recentioris mores atque instituta incusat, per quae fieri nequeat, ut aut Lydia ubique cum ipso, aut ipse semper cum Lydia habitet. *Aurea* hic inusitate dicit *saecula*: intelligit enim, ut ostendunt exempla, aetatem quam dicimus heroicam. cf. mox ad v. 74.

V. 48. (151.) CONDITIO SIMILIS FUERAT MORTALIBUS ILLIS. Doleo haec a recentioribus editoribus interpolata fuisse, cum bene habeant veteres excusi:

*Conditio similis fuerat mortalibus illis*
*Haec quoque. praeterea notum Minoidis astrum.* SCAL.

Quae observatio magis ad sequentem versum pertinet: nam de interpunctione maxime loquitur. Neque verum est, quod aliquis colligat ex verbis Scaligeri, *fuerat* esse in veteribus excusis. In scriptis, Gallicanis ap. Heins. et Augustano, Medic. Voss. I. si f. s. Leid. et reliquis meis, itemque in editis, quos vere veteres dixeris, omnibus, etiam Ascensianis, Aldinis, *similisque foret* legitur. Nihil tribuo *manui Pierii*, quae *fuerat* adlevit teste Burmanno, etsi multum tribuebat Heinsius, qui hac sola auctoritate, ut puto, scribit: fuerat *tamen alii codices.* Sed undecumque venerit *fuerat*, certum videtur, hanc veram esse poetae manum. Ego illud repperi in Basil. Bryl. 1543. Lugd. 1556. Scaligeranis, et Pithoei, Lugd. 1592. et apud recentiores. *Condicio* Thuan. Vratisl. I. Rom. I. Bas. Mut. *Condictio* Paris. IV. *Similisque fere* coni. Heins.

V. 49. (152.) HAEC QUOQUE PRAETEREO: NOTUM MINOIDOS A. Hic quoque prima, quantum mihi quidem constat, opem fert ignobilis illa Basileensis Bryling. 1543. in qua diserte *praetereo*, ut post eam

in Scaligeranis, Pithoei, Lugd. 1592. et recentioribus. Et in Basileensem quidem istam non nisi errore, sed felici, illud venisse suspiceris, quia ibi legitur sine distinctione *H. q. praetereo notum M. a.* Sed illa fere aetate inventum fuisse a viro docto *praetereo*, ex eo colligo, quod Pierius, vel quisquis ille fuit, Burmanno teste, *praetereo notum Minoidos* adscripserat. *praeterea* vel *preterea*, Puteaneus, Voss. I. si f. s. Leid. Thuan. August. et caeteri mei, itemque editi veteres omnes. In Ascens. I. II. III. Cronfl. Lugd. 1529. Ven. 1555. cum hac distinctione: *mortalibus illis Haec quoque*: *praeterea n. M. a.* eamque distinctionem vetusti codicis auctoritate probabat Scriverius ap. Burm. *motum* Petav. Thuan. Medic. Paris. II. IV. August. *motu* Angl. *minoidus* Thuan. Medic. Leid. Paris. II. III. IV. August. *minoydus* Angl. *minoidos* Petav. Mon. I. II. *Minoidis* editi inde a Romanis, cum Bas. Vratisl. II. Voss. II. et hoc apud Pomponium Sabinum legitur: sed restitutum *Minoidos* in Virgilio Aldi, Taur. Aldinis, al. Pro *Haec quoque* in Parisino IV. *Nec quom* legitur. *austrum* Vrat. I.

Caeterum hic locus similis praecedenti, *quae dicere longum est.* Nam dicere te aliquid praeterire tamquam notum, et tamen exempla proponere, quibus illud notum esse demonstres, id ieiunum est, et demonstrationi philosophicae vel, ut haec mea est, philologicae, magis quam poesi conveniens. Deinde poeta eruditionem affectans *Minoidos astrum* dicit, prolepsi non satis apta. Quum Theseum sequebatur, de quo tempore loquitur Cato, nondum erat in astris Ariadne.

*C. s. fuerat mortalibus illis* Huic *quoque. praetereo* etc. coni. Heins. *Nec quoque praetereo* coni. Sillig.

V. 50. (153.) QUAEQUE VIRUM VIRGO SICUT CAPTIVA SEQUUTA E. Docta obscuritate, vel potius brevitate: nam obscurum nemini, qui paullulum cogitare voluerit, videri potest, quam puellam intelligat. Intelligit *Medeam*, qua nulla puella cupidius, nulla cum maiori levitate, atque domus, patriae, parentum oblivione, virum peregrinum, ignotum, sequuta est. Hinc in proverbium Medea abiit. *τῆς ξεινοβάκχης* Lycophro v. 175. *ἀλήτιδος*, vel *ἀλήμονος*, *Αἰητίνης* Dionysius Perieg. 490. *sequacis* apud Propertium: IV. v. 41. *Nec te Medeae delectent probra sequacis.* Nonnus *λιπόπατριν* appellat puellam istiusmodi, ut Ariadnen XLVII. 270. 354. quo vocabulo etiam de Europa utitur I. 131. et de Harmonia IV. 41. 222. XLVI. 365. in quas non cadit proprie convicium. Praeterea Ariadnen idem *ἀνδρομανῆ* dicit XLVII. 514. ex emendatione Graefii. *τὰν λιποπάτορα λιπόγαμόν θ'*, Helenam Eurip. Orest. 1305. De Medea locos congerere huc pertinentes nihil attinet. Verbis Catoni quodammodo similis Propertius II. xxxiv. 8.

*Colchis et ignotum nonne* sequuta nirum est?

Qui locus in mentem mihi revocat Apollonium IV. 745. 6.

ἔρχεο δ' ἐκ μεγάρων ξείνῳ συνοπηδὸς ἐοῦσα,
ὅντινα τοῦτον ἄϊστον ἀείραο πατρὸς ἄνευθεν.

Circes verba ad Medeam. Vim amoris, et quasi ἀνάγκην, perbene noster declarat comparatione, *sicut captiva.* Nimirum quam serviliter suos dominos sequebantur vi coactae captivae Briseïdes, Tecmessae, Andromachae, tam serviliter Medea Iasonem, potentiae ac necessitati sui amoris cedens. Non alieni ab hac re elegans Catulli, et in Ciri locus, ubi Ariadne, Scylla, si aliud non detur, famularum sibi et captivarum munera ac sortem expetunt. Et sic Ariadne Nonni, XLVII. 390. seq.

δέξο με, σῶν λεχέων θαλαμηπόλον, ἢν ἐθελήσῃς,
καὶ στορέσω σέο λέκτρα, μετὰ Κρήτην Μαραθωνίς,
οἷά τε ληϊσθεῖσα.

Nunc Heinsium mireris, qui *Briseïda* intelligi a Catone putabat, confisus ipsius Briseïdos apud Ovidium verbis, Epist. III. 69. *Victorem captiva sequar, non nupta maritum.* Potuerat etiam loco uti altero, Epist. XX. 70. de Hesiona et Briseïde: *Utraque victorem victa secuta suum.* Verum nullus iuxta Ariadnen locus est Briseïdi, quae si quando amare Achillem coepit, id non vehementiae amoris documentum est; sed tantum docet, puellas facile victori ac domino non prorsus inclementi assuefieri. Et commonere Heinsium leges debuerant sermonis, locusque Ovidii ille ipse, quo utitur. Briseïs non *sicut captiva* sequuta Achillem est: fuit enim captiva re vera.

*Sicut* eo in codice, ex quo expressi Monacensis I. et Vratislaviensis I., obscuratum fuisse vel negligenter scriptum, suspicor: nam in Vratisl. I. *secum* legitur, in Monac. I. ductus obscuri, quasi sit *sciuit,* et sic, *sciuit*, in Monac. II.

V. 51. (154.) LAEDERE, CAELICOLAE, POTUIT VOS NOSTRA QUID A. De verbo *laedere* aliquid Broukhusius Tibull. I. x. (ix.) 6. qui etiam hoc loco utitur. *celicone* Paris. I. IV. *nos* Thuan. Paris. II. III. IV. Angl. August. Basil. cum Rom. I. Veneta Ach. Mutin. Argent. 1502. sed correctum *nos* in Rom. II. Venetis Rub. et Iens. etc. Deinde *aestas*, vel *estas*, Thuaneus Vossio teste, Paris. III. IV. et fortasse II. tum Vratisl. I. II. Rom. I. II. Veneta Achat. Mut. aliae: sed *etas* August. et *aetas* Venetae 1499. 1500. Mediol. 1501. Ascensianae, Virgilius Aldi, Taur. Lugd. 1529. Aldinae. Et antiquiores editi, ut Romanae, aliae, male signum interrogandi habent in extremo versu. Graviora sunt codicum nonnullorum vitia. Vossiani I. in quo *nostra quod optas* legebatur; Anglicani, in quo *nos nostra quid obstans Con-*

*ditio?* sic cum signo interrogandi post v. *Conditio.* *quid obstans* etiam Helmst. *nostra quietas* Monac. I. II.

V. 52. (155) CONDITIO NOBIS VITAE QUO DURIOR ESSET.
— *quae durior esset* ] *qui durior esset.* SCALIG.
*quae*, vel *que*, vulgata scriptura est Romanarum, Venetarum Achat. Rub. Iens. Vicentinae, al. quae permanavit usque ad Iuntinam Florent. Lugd. 1529. Lugd. 1556. Basil. H. P. 1561. Et sic scripti, praeter eos, quos statim dicturus sum. *quod durior* Petav. ap Heinsium, et Thuan. *quo durior* August. et Monac. I. II. Vratisl. I. codex, qui dicitur, Pierii, Mut. Aldinae, Basil. Bryl. 1543. Venetae 1544. 1555. 1558. Antv. 1556. Scaligeranae, Pithoei, et recentiores. Obtemperavi libris tam bonis, quam sunt Petav. Thuan. Augustanus et Mutinensis. Alioqui non inepta foret emendatio Scaligeri, quae ad vulgatum *quae* accedit proxime. Et sic usurpari potuisse *qui*, non videtur dubium, etsi prorsus similem locum non habeo. Nam eiusmodi exemplum quaero, ubi *qui* sit pro eo *quo*, quod vulgo per *ut* explicamus. G. I. Vossii exemplis, de Analogia IV. VI. p. 200 sq. alia addi possunt, ut Plaut. Capt. IV. II. 48. *Qui homine.* Ut taceam illud omnibus usitatum *qui*, pro quomodo.

*Condicio* Thuan. Vratisl. I. Rom. I. Bas. Mut. *Condictio* Paris. IV. De codice Leidensi ad h. l. parum accurate refert Burmannus, dum commemoratis codicis Thuan. in versu 51. et in hoc 52. lectionibus, addit: *et sic fere in cod. Leid.* Sed de codice Leidensi vid. Recensio Codicum.

*conditio vitae* multis dictum. Quamquam alibi opum et gratiae respectu dicitur, ut Sallust. Catil. XX. 6. vel de brevi vitae mensura, ut Eleg. in Maecen. ob 118. ubi. nonnulla Burmannus Anth. Lat. T. I. p. 277. noster de vita in universum, quatenus ea institutis moribusque temperatur, adstringitur. Cf. paullo ante *Conditio similis fuerat* etc. et infra 76. sq.

V. 53. (156. AUSUS EGO PRIMUS CASTOS VIOLARE PUDORES. Haereo, utrum *egon*, an sine particula *ne.* Fuerunt qui opus ea esse censerent: contra quos dixeris, hoc prudentiae pronunciantis reliquisse Catonem, ut statim observaretur interrogatio. Nam esse interrogationem, satis ostendunt sequentia v. 56. sqq. 61. sq. *ego* G. I. Vossiusde Arte gramm. II. XXVII. p. 274. agnoscit, his verbis: *Ita*, *non egon*, *Aldinae aliaeque vett.* Sane *egon*, vel *egon'*, in nullo neque scripto libro, neque edito, eorum quidem, quos recte veteres appellaveris. Repperi *egon'* in his, Basil. Bryl. 1543 Lugd. 1556. Scalige-

ranis, Pithoei, Lugd. 1592. et apud Boxhornium, Arnoldum, Burmannum, Wernsdorfium, Putschium. Apud recentiores rara est, quantum equidem memini, *ne* particulae ante consonantem apocope. Virgilii locum Aen. III. 319. *Hectoris Andromache Pyrrhin connubia servas?* dignum observatione duxit scriptor, qui cum Censorino editur: de quo monui ad Choerilum p. 262. Apostrophon vocant alii, ut Priscianus de Accent. 1287. cf. Virg. Aen. X. 668. XII. 503. Plautus, qui aliquanto Catoni, quam Virgilio, proprior, multum ea apocope utitur, ut in *egon*, Curcul. I. ii. 26. in versu cretico:

PH. *Salve.* LE. *egon salva sim, quae siti sicca sum?*

cf. Terent. Adelph. II. I. i. 31.

De Thuaneo dubito utrum Is. Vossio fidem habeam, qui ex eo *ego* annotavit, an Lasseno, qui *ergo. pudore* Monac. II.

At fortasse ego laesi deos, et iram animadversionemque in me divinam excitavi eo, quod attentavi pudorem puellae meae. Egone primus id facere ausus sum? Utinam essem primus: magnum foret nomen meum amoris furtivi inventione. Sed multo ante me tempore a diis, et aetate heroica, pudores violati sunt. Quod rursus occasionem excurrendi in amores deorum v. 63. seqq. poetae praebet.

V. 54. (157) SACRATAMQUE MEAE VITTAM TEMPTARE PUELLAE.

*Vitam tentare*] Lego, *uittam.* pudorem intelligit. SCALIG.

Id remedium iam dudum inventum fuerat. Pomponius Sabinus: *Sacratam uittam. Virgines habebant uittas ad honorem Dianae, tanquam sacerdotulae.* ubi *sacerdotulae* intelligendae sunt moniales christianae. Domitius Calderinus: *Vittam. quia omnes virgines in signum castitatis signum gerebant: hoc est lineas fascias in signum ligatae virginitatis solebant et zonam afferre qua cingebantur: ut etiam Catullus in primo passeris ostendit dum inquit: quod zonam soluit diu ligatam.* Badius: *vittam. i. signum virginitatis quod in capite ferebat.* Et in Venetae Iens. exemplo Lips. nunc *uittam* legitur a manu glossatoris, cum glossa: *Virgines sacratam vittam ferre consueverunt in signum castitatis.* Adscripserat etiam *vittam* ille, quem Pierium dicunt. A Domitio *vittam* venit in Ascensianas I. II. III. Cronflit. Lugd. 1529. et sic Pithoeus, Arnoldus, recentiores omnes, praeter Silligium, qui *vittam* dici posse pro zona negat. Recte hoc quidem. At Scaligerum non de zona puto, sed de vitta, quae in capite ferebatur, virginali cogitasse. Ut iam ante Scaligerum Pomponius et Badius. Quam in rem apti sunt locus, quem Putschius laudat, Valerii Flacci, de Medea Haemonium sequutura maritum, VIII. 6.

*Ultima* virgineis *tunc flens dedit oscula vittis.*

et quem praeter hunc Turnebus Advers. XXIII. v. XXIX. iv. laudat, Propertius IV. xi. 34. de ea, quae nubit:

*Vinxit et acceptas* altera vitta *comas.*

ubi cf. Broukh. idemque in Tibull. I. vii. 73. Neque illi Putschii loci ab re alieni sunt, qui de vitta accipiendi matronali: nam in matronis quoque vitta, ut in virginibus, *insigne*, ut Ovidii A. A. I. 31. Trist. II. 247. verbis utar, *pudoris* fuit. Itaque nulla inest in Catonis loco rei Venereae liberior significatio, obscoenitas nulla. Neque morabor, si quis forte, quum *vittam* puellis propriam ingenuis fuisse dicunt, Lydiam non fuisse ingenuam obiecerit. Oratio Catonis tota figurata est, ut eamdem rem, sed magis ornate, hic versus dicat, quae dicta est praecedente. Tot verbis opus fuit, ut declararetur, quod verissime Scaliger monet uno: *pudorem intelligit.* Libri, Petav. Thuan. Med. Leid. reliqui, etiam editi, praeter eos quos dixi, omnes *vitam* habent. *temptare* Thuan. Paris. II. August. Monac. I. II. Vratisl. I. et Romanae duae cum cod. Bas. et Vratisl. II. Veneta Achat. Mutin. At in Vratisl. I. et Monac. I. ita scriptum: *uitam temptare puellam.* in Monac. II. *uite temptare puellam*, et *puellam* primitus fuit, si recte annotavit Is. Vossius, in Thuaneo, sed statim correctum. In Parisino IV. pars huius versus posterior, *vitam t. p.* cum hemistichio versus seq. priori, *Immatura meae*, excidit. Fefellit librarium eodem in utroque versu loco positum *meae. vittam temerare* Broukhusii ad Tibull. I. vii. 73. et Propert. IV. xi. 34. coniecturam comprobabat Burmannus. At vide, quantum inter Ovidii Fast. VI. 457. locum, quo maxime ea coniectura nititur, et Catonis, intersit.

V. 55. (158.) IMMATURA MEAE QUOQUE NOXAE SOLVERE FATA.

*nexae*] *Nexam* clientam vocat. Ausus ego meae clientae soluere fata, hoc est attentare pudorem, ante quam fata sinant: prius *quam liceat.* SCALIG.

*nexae* receptum ab Arnoldo. et Putschio, sed a Putschio cum dubitatione, et aliquando inveniendae ab alio medelae exspectatione. Quod nos recepimus, cum Aldinis, Bas. Bryl. 1543. Venetis 1544. 1555. 1558. Lugd. 1556. Bas. H. P. 1561. Scaligeranis, Pithoeo, et recentioribus plerisque, *noxae solvere fata*, mixtum est ex scriptura vulgata, *noxae* (vel *noxe*, ut in Mutinensi, aliis,) *solvere facta*, ut est in scriptis tribus recentioribus, Voss. II. Vratisl. II. Basileensi, in duabus Romanis, Venetis tribus antiquissimis, Mutinensi, et caeteris ante Aldinas, etiam in Taur. et Lugd. 1529. et ex librorum antiquiorum, Thuanei, Leid. Helmst. Paris. II. III. Angl. et Augustani, scriptura: *nece soluere fata.* De Parisino III. dubito, utrum *fata* habeat, an

*facta*: sed puto illud. et *fata* cod. qui dicitur Pierii. Longius recedunt Medic. et Paris. IV. in quibus *necis soluere fata*. At longissime Monac. I. II. et Vratisl. I. in quibus etiam *quoque*, quod caeteri libri repraesentant unanimi omnes consensu, mutatum est, sic: *cogor nece soluere fata*. In quo aperte cernitur manus librarii, in scriptura *ἀμέτρῳ quoque nece* offendentis, emendatrix. Mihi *noxae* et per se bonum, et satis veteri scripturae *nece*, quae quidem manifesto corrupta est, simile videtur. In Romanam principem illud haud dubie ex libro scripto venit, quum nulla in hanc Romanam emendationis aut interpolationis suspicio cadat. Deinde aliquid Mutinensi tribuo. Vel ut sit emendatio, felicissima est, multum praeferenda illi emendandi conamini, quod in Monac. I. II. et Vratisl. I. Frustra etiam Scaliger, qui continuationem vel magis repetitionem prolatae versibus duobus praecedentibus sententiae contineri hoc versu putat. Contra legem sermonis, si quid video, vel certe contra usum dicendi. Tum enim non *quoque* scribendum, sed copula *et* vel *que* opus erat, sic: Ausus ego pudores violare, sacratamque vittam solvere, *et* fata solvere, vel: fata*que* solvere. Immo haec nova interrogatio est, neque amplius pendet a praegresso *ausus*. Estne etiam meae noxae, immatura solvere fata? Hoc est: tantumne ego nocere possum, ut fata immatura solvam? *fata immatura solvere* non potest esse, quod Virgilius dicit, *fata rumpere*, sed est anticipare fata, perpetrare id, quod nondum in fatis est ut fiat. Ut vidit Scaliger. Verum non recte Scaliger hoc totum ad Lydiam revocat, quasi sit sententia, Lydiae iusto maturius ereptam pudicitiam fuisse. Quod alienum. Hoc significat Cato, quod ipse suae puellae vitium obtulerit, nihil se fecisse, quod non dudum usitatum, et praescriptum naturae lege fatoque fuisset. Vocabulum *noxa* illustrat, quod statim subiicit Cato versu seq. *mea culpa*. Eamque significationem iam Philippus Beroaldus Annotat. in Servium, ad illum locum, *Unius ob noxam, et furias Aiacis Oïlei*, confirmavit aptis exemplis, e. g. Ovidii Epist. VII. 106. *Invidiam noxae detrahit ille meae*. ubi, ut apud Catonem, variat orationem nunc *culpa*, nunc de eadem re *noxa* usurpatum. Praecedit enim v. 105. *Da veniam culpae*: *decepit idoneus auctor*. Nestoris lib. V. v. *Noxa* verba sunt: *Virgilius in diris. Immatura meae quoq; noxae soluere facta*: *Istius atq; utinam facti mea culpa magistra Prima foret. Noxae dixit* : *pro culpae. ut ex sequenti uersu patet*. Scilicet etsi differt aliquid inter *noxam* et *culpam*, multis tamen locis liberum scriptoribus erat, hoc scribere, vel illud. Cf. Doederlein. Synonyma lat. P. II. p. 153. Apud poetas antiquiores raro inveni vocabulum *noxa*. Non est apud Lucretium. Apud Terentium *noxia* saepius, *noxa* nusquam: nam Phorm. II. 1. 36. recte *noxia*

restitutum a Bentleio. Neque apud Plautum me *noxa* legere memini, praeter unum locum Cas. II. VIII. 71. ubi tamen metrum postulat *noxia*, quo vocabulo etiam alibi saepe utitur Plautus. *noxam* hac, quae apud Catonem, significatione dicit, ut videtur, Caecilius ap. Festum v. *noxia*. Livii ex Achille locum ap. Nonium p. 473, 22. *Si malos imitabo, tum tu pretium pro noxa dabis*, iam indicavit Nestor. In versu Catonis *quoque* non cum verbis *mea noxae* coniungendum, sed ad sententiam universam referendum est, quasi dicat: Hoc quoque meae noxae est, immatura s. fata? Recentiores atque elegantiores, ut Virgilius, hoc observare solent, ut *quoque* cui vocabulo subiectum est, cum eo sit etiam vi sententiae arcte coniunctum, ut *tu quoque*, *nunc quoque*. Inter antiquiores Lucretius et saepissime usurpat *quoque*, et liberum loco esse sinit non raro: II. 212. 216. 581. III. 456. 1008. IV. 83. V. 194. 750. VI. 213. 222. 316. 480. 512. 576. 627. 703. 769. 898. 905.

Aliquam veri suspicionem apud Glossatorem V. I. fuisse dixeris, qui *immatura* interpretatur *non antea commissa*, et *noxae* interpretatur *culpe.* verum ille retinet *facta*. *deis zonae solvere vota* coniectura Heinsii. Burmanni: *necis quoque noxia solvere fata.* Wernsdorfii: *I. mea quoque noxa s. fata.* ut neget Cato se mortem cuiuspiam accelerare sua culpa ausum esse. Silligius in versu praeced. *vitam* retinendum, et hunc ita fere constituendum putabat: *Immatura truci miserae nece s. fata.*

*Inmatura* ex Mediceo affert Burmannus, et sic in Vratisl. I.

V. 56. (159.) ISTIUS ATQUE UTINAM FACTI MEA CULPA MAGIST.

Atque utinam primus hoc malum exemplum posteris reliquissem, ut dicerer auctor occulti amoris. ut apud Horatium:

— *culpa potare magistra.* Sic infra:

*Auctor ut occulti noster foret error amoris.*

Auctore errore meo alii auderent furari dulcem fructum amoris. *Auctor error*, et *magistra culpa*, idem. SCALIGER.

Recte, et haec sunt, quae paullo post v. 61. *impia vota* dicit poeta. *me* Mut. vitiose pro *mea*. *me — magistro* aliquando coniecerat Heinsius. De illo vocis *magistra* usu cf. Heinsius in Ovid. Epist. XV. 83. et laudat nostrum locum Broukhusius in Propert. III. x. 18. Ad sententiam Catonis universam Tollius non inepte adscripserat Martialis locum ex Praefatione ad Epigrammata: *Lascivam verborum licentiam* (al. *veritatem*), *id est*, *Epigrammaton linguam, excusarem, si meum esset exemplum*: *sic scribit Catullus, sic Marsus*, etc. *fastus* pro *facti* marg. Francof. 1610. nescio unde.

V. 57. (160.) PRIMA FORET: LETUM MIHI VITA DULCIUS ESSET. Proverbium eorum, qui vehementer aliquid expetunt: mori volo; quum hoc mihi contigerit. Aeschylus Choëph. 438. *ἔπειτ' ἐγὼ νοσφίσας ὀλοίμαν.* Euripides Electra v. 279. *θάνοιμι, μητρὸς αἷμ' ἐπισφάξασ' ἐμῆς.* Orest. 1093. Matth. *εἰ γὰρ τοῦτο κατθάνοιμ' ἰδών.* Callimachus: *τεθναίην, ὅτ' ἐκεῖνον ἀποπνεύσαντα πυθοίμην,* et similia. Sic Musaeus quoque v. 79. *αὐτίκα τεθναίην λεχέων ἐπιβήμενος Ἡροῦς.* ex loco Homerico, ut animadvertit Heinrichius, h. Ven. 154. 5. *βουλοίμην κεν ἔπειτα* etc. Sed apud Catonem alterum accedit hoc, quod ille de magna, quae futura esset post obitum, gloria sua cogitat.

Posui verba quo leguntur ordine posita in Augustano, in Mediceo, si fides Burmanno, in Rom. I. II. Veneta Achat. Brixiensi (in qua *dultius*), Ven. 1488. Mediol. 1501. Virgilio Aldi, Taur. Bas. 1543. Mogunt. 1549. Lugd. 1556. Antv. 1556. et 1580. Quae sunt inter Venetam Achatis et Brixiensem mediae, Venetae Rub. Iens. Vicentina, duae Venetae Burmanni, et Venetae 1482. 1486. Norimb. Ven. 1499. 1500. Argent. cum cod. Vratisl. II. et Voss. II. eumdem ordinem, sed vitiose, et contra metrum, *diutius* habent. Contra hoc ordine, *vita mihi dulcius*, Thuaneus, diserte testante Lasseno, Paris. II. III. IV. Angl. Mocac. I. II. Vratisl. I. Basil. tum bona illa Mutinensis, Aldinae, Venetae 1544. 1555. 1558. Bas. H. P. 1561. Scaligeranae, et recentiores. Et sic cod. qui dicitur Pierii. Mihi tamen magis credibile fuit, *mihi vita* fuisse a librario numerorum elegantiae cupido in *vita mihi* mutatum, quam hoc in illud. Cf. infra Diss. III. ubi de versu Catonis. Tertia Ascensianarum I. II. III. Cronfl. Lugd. 1529. et Iuntinae ap. Burm. scriptura est, quam istud antiquiorum librorum maxime Venetiis editorum vitium *diutius* procreavit: *leto mihi vita diutius esset.* Praetereo usitata vitia, *laetum*, quod in multis, vel *loetum*, ut in Monac. I. et Vratisl. I. vel etiam *lethum*, ut in Veneta Iens. In Paris. IV. vehementiore corruptione *ictum* est. *michi* August. *vitta* Monac. II.

V. 58. (161.). NON MEA NON ULLO MORERETUR TEMPORE FAMA. *Nam* pro *non* Ascens. I. II. III. Argent. 1502. Cronfl. Aldinae, Lugd. 1529. Venetae 1544. 1555. 1558. Bas. H. P. 1561. *non nullo* vel *nonnullo* Petav. Thuan. Medic. a m. pr. Parisini tres, Angl. et *non nullo* Rom. I. Ven. Ach. Mut. In Rom. II. et reliquis recte *non ullo. nonullo* August. *moretur* Voss. II. Ven. 1482. *tempora* August. *phama* Paris. IV. Vicent. cum Voss. II. Ven. 1482. 1486.

V. 59. (162.) DULCIA QUOM VENERIS FURATUS GAUDIA PRIMUM. *Dultia* August. *quom* Angl. *furatur* Vratisl. I. *primum* Petav. Thuan.

Med. meique tam scripti quam editi antiquiores omnes. *primus* in nulla invenio ante Basil. Br. 1543. in qua tamen hoc pro vitio haberi posset, quum eadem in vs. eod. vitiose *grandia* pro *gaudia*, et vs. seq. *Dicere* habeat. sed *primus* etiam Mogunt. 1549. Lugd. et Antv. 1556. Bas. H. P. 1561. Scaligeranae, Pithoeus, Antv. 1580. Lugd. 1592. et recentiores omnes. et *primus* cod. qui dicitur Pierii. Sane sic potuit Cato. Cur debuerit, caussam video nullam. *primae* coni. Heins.

V. 60. (163.) DICERER, ATQUE EX ME DULCIS FORET O. V. *Dicerer* e libris scriptis unus Vratisl. II. habet cum Rom. II. et Veneta Achat. tum sic Ascensianae, Cronfl. Virgilius Aldi, Taur. Aldinae, Lugd. 1529. reliquae. *Diceret* Petav. Thuan. mei, praeter Vratisl. II. omnes, Rom. I. Mut. Ven. Rub. et quae hanc sequi solent, usque ad Argent. 1502. Memorabilis in vitio consensus, et qui nonnihil ad augendam librorum nostrorum fidem confert. Qui enim tam serviliter ea, quae ante oculos habebant exemplaria, sequuti sunt, ut ne hoc quidem tam manifestum vitium tollerent, eos neque alibi multum deflexisse ab exemplaribus suis credibile est. *Dicere* Medic. teste Burmanno. *atquae* August. In Paris. IV. sic: *Diceret ad q; atq; ex me dulci. dulce* Ven. 1500.

V. 61. (164.) NAM MIHI NON TANTUM TRIBUERUNT IMPIA VOTA. *Non* Norimb. 1492. *At* mallet Eichstadius. *Nunc* in mentem venerat Hermanno, quum illi ante hos viginti annos scriptam a me de locis aliquot Catonis commentationem proposuissem. Aptissime ad sententiam. Verum nihil opus emendatione. Probum est *nam*, si reputaveris, negationem contineri his, quae praecedunt, interrogationibus atque exclamationibus. Utinam essem primus: at non fui primus: *nam* etc. Deinde Hermannus contra approbatam Wernsdorfio, et tum mihi, coniecturam Heinsii, *invida fata,* esse quidem hoc usitatum, et apud poetas alios obvium: sed ex his non metiendum sermonem simplicis huius hominis. Ipse *impia fata* legebat, ut nuper edidit Putschius. *impia fata*, Anth. Lat. IV. CCXLIV. 8. et *fata impia* olim multi in Virg. Aen. IV. 596. Ego nunc vulgatum teneo, idque quomodo accipiendum sit, indicavi ad v. 56. Voluissem me esse primum, sed non fui: non tantum mihi impia vota tribuerunt, h. e. non tantum lucratus atque adeptus sum impiis votis, et impia voluntate mea, ut essem. *impia* autem, quia fatetur poeta, *culpam, errorem,* fore, si ipse inchoare primus eam rem ausus esset. Etsi vellet commisisse hanc culpam, propter suavitatem rei, et ingentem ex eo invento gloriam. Ex Venetis 1499. 1500. ridiculum in Ascensianas vitium venit, *rubuerunt,* quod interpretandum

qualicumque modo putavit Badius. et sic apud Cronfl. in Iuntina ap. Burm. et Lugd. 1529.

V. 62. (165.) AUCTOR UT OCCULTI NOSTER F. ERROR A.
Cf. Scaliger ad v. 56. *ardor am.* coni. Broukhusii ap. Burm. et ap. Oudendorp. in marg. ed. Scalig. 1617. *nostri* Voss. II. *Autor* Rom. I. II. Ven. Ach. *Author* Aldinae. *feret* marg. Francof. 1610. nescio unde, sed ineptum est.

V. 63. (166.) IUPPITER ANTE SUI SEMPER MENDACIA FURTI.
*semper mendacia furti*] veteres editiones, *semper mendacia factus.* Lego: — *sempermendacia fastus.* Primum *sempermendacia* ὑφ' ἓν legendum est, ut apud Terentium *semperlenitas*, ἀειπραότης. et Lucretius — *semperflorentis Homeri* — ἀειζώοντος ὁμήρου — ἀειθάλλοντος ὁμήρου. Deinde *sempermendacia fastus* significat serio dissimulasse amorem suum in sororem, et fastu, ut integumento frontis semper illum celasse, cum tamen furtim aliud agerent. Et huc allusit elegans vetus Epigramma:

*Et cum deprensa quis, nisi frater erat?*
*Frater erat. nihil est. fecit quod Iuppiter. illud*
*Sed quod non fecit Iuppiter, hoc facitis.*

SCALIG.

De sententia poetae cf. ad v. 53. dicta. Et probe tenendum, differre nonnihil hanc, quae sequitur, de amoribus deorum disputationem ab illa, quae est v. 39. seqq. Ibi hoc tantum dicit, amavisse deos deasque: quo comprobat aequum esse, ut ipse quoque amet, fructuque potiatur amoris. Hic deorum exemplo excusat, quod ipse suae puellae pudorem violaverit. Quam in rem aptum profert exemplum, Iovis, qui ipse rudis Iunonem violaverit virginem. Ut ipsius Catonis primus amor Lydia fuerat. 'Quae alia sequuntur exempla, minus ad rem apta: nam Venus certe non fuit rudis, quum amare Adonin coepit. Sed tamen amoris furtivi, et violati pudoris, exempla sunt omnia, Venus cum Adonide, Aurora cum Orione. Locos congerere, quibus simili ratione deorum exemplis excusantur furta humana, infinitum est: cf. Burmann. ad Anth. Lat. I. XIII.

*factus* sensu nullo Petav. Thuan. Leid. meique scripti, et editi, etiam duae Venetae et Flor. Iunt. ap. Burmannum, omnes, praeter Medic. Paris. IV. Angl. Voss. I. si f. s. Mut. Brix. Ven. 1488. Mediol. 1501. Argent. Virg. Aldi, Taur. Aldinas, Bas. 1543. Mogunt. 1549. Venetas 1544. 1555. 1558. Lugd. et Antv. 1556. Scaligeranas, et recentiores. Atque ita satis munitum *furti* est, trium codicum manu

scriptorum cum Mutinensi et Aldinis consensu. At neque illud de nihilo, quod *furti* in Brixiensi, Mediol. 1501. et Argent. legitur, qui libri alibi vulgatam a Romanis et a Veneta Rubei scripturam repraesentare solent; et quod idem in Virgilio Aldi legitur. *furti* etiam cod. qui dicitur Pierii. *furta* et *facta* confus. in Catull. Eleg. ad Manl. 140. ubi quod in Vicent. 1481. legitur *furcta*, fortasse originem monstrat confusionis. Non incredibile est post ea, quae ad Dir. 1. scripsimus, etiam olim librarios sic scripsisse, *furcta*, *furcti*. unde fieri potuit *facta* etc. Sic expeditus locus, plana sententia: iungendum *semper mendacia*; et *sui furti* dictum pro *suorum furtorum*. Idque eleganter, ut mihi videtur: tot enim numero furta fuerunt Iovis, ut quasi in uno continuo furto adulterioque fuerit. Quasi dicas: *vor den ewigen täuschungen seiner untreue.* De continuis Iovis furtis inter alios Catullus dicit in Elegia nobilissima v. 138. sq. qui locus nostro simillimus foret, si ibi defendi aliquo modo scriptura vulgata posset, *Coniugis in culpa — quotidiana.* Nunc dubium non est, quin sententiam Catulli, quae debuit esse, unus intellexerit Santenius. Ac fortasse etiam verba restituit Catulli:

*Saepe etiam Iuno, maxima caelicolum,*
*Coniugis in culpa flagrantem* continet iram,
*Noscens omnivoli plurima furta Iovis.*

Lachmannus nuper: *concoquit iram.* cui coniecturae scio speciem conciliari ex Homero posse. Possis etiam *comprimit iram.* ὑφ' ἓν figura quum olim in deliciis antiquioribus nonnullis philologis fuisset, postea in oblivionem contemptumque venit. Scio posse in ea re modum excedi, ut excesserunt Arnoldus ad h. l. Gifanius Collect. in Lucret. v. *Semper florens*, A. Schottus Observ. human. II. XLII. p. 89. sq. et qui omnium fortasse cupidissimus huius figurae fuit, Io. Passeratius in Tibull. p. 78. p. 128. in Propert. p. 242. alibi. Sed nonnulla tamen satis puto certa esse. Ut illa, quibus utentem Scaligerum vidimus. Nam apud Terentium Andr. I. II. 4. *Mirabar hoc si sic abiret, et eri semper lenitas Verebar quorsum evaderet,* manifestum est facilius iungi *semper lenitas,* quam *semper verebar*; estque illud magis comicum: *wo es mit der ewigen güte des herrn hinauswollte.* In Lucretii autem loco I. 125. quasi sponte in unum verbum, dum legimus versum, coalescunt *semper* et *florentis,* ἀειθαλής. Verum nullo opus est scribendi artificio, quod olim eiusmodi locis adhibebant viri docti, ut h. l. Pithoeus lineola inserta edidit *semper-mendacia.* Quae coniungenda verba essent, quae non coniungenda, et quo modo coniungenda essent, id sentiendum esse existimabant veteres. Dubito autem, an recte intellectum a quoquam sit, quod dicit Cato, *mendacia furti.* Ea non

sunt furta perfida, furta quibus fraudem coniugi suae fecit Iuppiter. Aliquanto subtilius Cato *mendacia furti* dicit varias mutationes, quibus sua furta Iuppiter, vel, ut ait Cato, *suum furtum* celabat, et dissimulabat; variae, maxime animalium, formae, quas in furtis Iuppiter mentitus est. Epigramma apud Suetonium Aug. LXX.

*Impia dum* Phoebi *Caesar* mendacia ludit,
*Dum nova divorum coenat adulteria.*

Sed ibi magis perspicua statim sententia est, quum additum sit *Phoebi.* Ab omni parte similis Catoni Statius Achill. I. 342. (II. 145.) ubi de Achille in puellam transformando:

*incepti — mendacia furti.*

Aliquid huic nostrae observationi simile ei obversabatur, qui glossas scripsit in Venet. Iens. Explicat enim *mendacia* : *mutationes suas in varias formas.* Iungebat ille *sui mendacia. factus* quomodo acceperit, non addit. Badius sic: *Iuppiter factus semper mendacia sui,* idque interpretatur *de se factus mendax.* Immo si quid in hac vitiosa scriptura *factus* posset verum esse, ita accipienda esset: Iuppiter qui se mutavit semper, semper alias personas induit. Heinsius: *ante sui nempe et mendacia pacti,* cum hac explicatione: quia fefellit maritale pactum adulteriis. sed etiam posse *mendacia* construi cum *gaudiis.*

*facti* marg. Lugd. 1529. Ven. 1544. 1555. nescio unde. *Iupiter* Paris. IV. cod. Bas. et Vrat. II. cum Romanis, Mut. Mediol. 1501. *mendatia* Vic. Brix. aliae nonnullae.

V. 64. (167.) CUM IUNONE PRIUS QUAM CONIUNX DICTUS U. E. *coniunx* August. et Thuan. diserte monente Vossio. et sic scripti plerique, vel omnes fortasse, atque editi ante Virgilium Aldi et Aldinas. *ductus* Norimb. 1492.

V. 65. (168.) GAUDIA LIBAVIT DULCEM FURATUS A.

*Gaudia libauit*] τῶν ἀφροδισίων ἀπήρξατο. allusum ad Homeri locum, ἰλιάδος ξ.

οἷον ὅτε πρώτιστον ἐμισγέσθην φιλότητι
εἰς εὐνὴν φοιτῶντε, φίλους λήθοντε τοκῆας. SCALIG.

Addo Nonnum XXXII. 30. sq. Venuste Statius, laudatus Wernsdorfio, etsi non addit diserte, amores fuisse furtivos, Theb. X. 61. sq. *Ipsa illic magni thalamo desponsa Tonantis, Expers connubii, et timide positura sororem, Lumine demisso pueri Iovis oscula libat, Simplex, et nondum furtis offensa mariti.* Et hic quidem egregie verecundiam describit virginalem. Alii vehementer repugnasse Iunonem narrant. Cf. de Iovis et Iunonis amoribus, nuptiisque, Hemsterhusius ad

Schol. Theocr. XV. 64. Welckerus in libro Schwenckii: Etymologisch-Mythologische Andeutungen, p. 269. sqq. Sed Welckero hoc spero me persuasurum esse, versibus Catonis qui sequuntur, de Veneris agi, non de Iunonis amoribus. Verbis Catonis non dissimilis laudatus a Wernsdorfio Calpurnius IX. 7. *Tum primum dulci carpebant gaudia furto.* Post *amorem* Mon. I. II. Vrat. I. *est* addunt.

V. 66. 7. 8. (169. 70. 71.) ET QUICUM TENERA GAVISA ELIDERE etc.
*Et mecum tenera*] Lege, *et secum.* scilicet Iuno.
*ludere in herba*] Lege: — *gauisa est lidere in herba*
*Purpureos flores* — vt supra,
*Membra reclinarit, teneramque illiserit herbam.*
*Purpureos flores*] In eadem historia, eadem descriptione vtitur Petronius:
*Idaeo quales fudit de uertice flores*
*Terra parens, quum se confesso uinxit amori*
*Iuppiter, et toto concepit pectore flammas:*
*Emicuere rosae, uiolaeque, et molle Cyperum;*
*Albaque de uiridi riserunt lilia prato.* etc. SCALIG.

*Et mecum tenera* absurde libri omnes. Monacenses tantum duo, et Vratisl. I. *Et mea cum t.* quod nihilo melius. Non de Lydia hoc loco, sed de deorum agitur amoribus. Verum neque Scaliger profecit quicquam, dum continuari his versibus furtivorum Iovis et Iunonis amorum descriptionem statuit: non concinunt sequentia v. 69. *Tum credo fuerat Mavors* etc. Et durissimum est, ne quid dicam fortius, *secum,* quicquid dicat idem Scaliger in Sphaeram Manilii p. 49. Nam recentiores quidem ita loquutos esse certum est, ut ipse sciens *suae* retinui in Epigrammate eleganti, sed recentioris aetatis, quod ad Ecl. 25. profero: in antiquioribus ferre id non audeam, nisi certis indiciis et quasi necessitate. Sic male olim Guarinus, alii, in Catullo II. 9. *secum* legebant, *Secum ludere sicut ipse possem.* Praeterea Petronii cap. CXXVII. versus, quos Catoni admovet Scaliger, non ad primos illos Iovis et Iunonis amores, sed ad concubitum referendi sunt eum, qui est in Iliados XIV. Id iam monuit ad locum Petronii Gonsalius. Homeri locum illum imitatur ac superare laborat, etiam florum multitudine, Nonnus lib. XXXII. Catonem de amoribus agere *Veneris,* quod monstrant sequentia: *Tum credo fuerat Mavors* etc. locusque de Vulcano, primus fortasse perspexit I. Fr. Gronovius, cuius haec erat ut ex Arnoldo cognoscitur, coniectura: *Et tecum tenera Dea visa elidere in herba P. flores, quos* etc. cum apostrophe ad Martem: quem in finem sic corrigebat versum 69. *Tum, credo, Mavors,* fueras *distentus in a.* Rectius Heinsius amatorem Veneris alium, quem illa praeter Vulca-

num maritum, et praeter Martem habuerit, quaerendum esse, et capiendum esse locum de *Anchise,* aut *Adonide,* vidit. Egregie. Minus felix in emendando fuit Heinsius. Nam coniecturam, praeter illud, quod alio tempore coniecerat, *laetum* pro *mecum,* fecit hanc: *Et Dea cum,* vel *Et Dea clam tenera gavisa est ludere in herba, Purpureos flores quotiens super accumbebat, Candida f. s. brachia collo.* Sed idem alio loco adscripserat, deesse forsan nonnulla, quia de Venere sermo. Wernsdorfii laudo rectum iudicium, qui aut Deae nomine, aut amatoris, opus esse, ne obscurus fiat locus, intellexerat. Et ab hac parte laudabilis est coniectura eius: *Et dea cum tenero gavisa est ludere Adoni,* vel: *Et dea cum Cinyrae gavisa est ludere ephebo.* Quanto elegantior, et verior haud dubie, nostra emendatio: *quicum,* ut nomen amatoris reticeat poeta. Deae vero nomen sequitur versu 68. Repperit hoc etiam doctus iuvenis, C. Putschius, qui *quocum* edidit. Mihi *quicum* placebat, quod sono ad vulgatam *mecum* aliquanto propius accedit, et facilius corrumpi potuit. Conformatio orationis, *Et quicum,* eadem quae supra Ecl. 44. *Et quae pompa deum.* Puto autem consulto factum esse a Catone, quod nomen reticetur adolescentuli. Saepe poetae aliquid divinandum relinquunt. Sic magnus harum rerum artifex, Theocritus, I. 105. nomine *βωκόλος,* Idaeque mentione, circumscribit *Anchisae* nomen, etsi statim v. 106. addit nomen: sed poterat illud omittere. Et ibid. 109. divinandum relinquit, quid cum *ὡραίῳ* Adonide Venus fecerit. Et rursus XX. 34. 5. describit Anchisen omisso nomine. Apud Catonem de Adonide sermonem esse, quod et ipsum Putschius vidit, non de Anchise, tria sunt quae demonstrant. Primum, quod *formosum collum* v. 68. unice convenit Adonidi: Anchisen deceret *robustum,* ut est apud Catullum loco simili, *Levia substernens robusto brachia collo,* de collo Pelei. Deinde Veneris in Adonin amor tum multo magis divulgatus, poetisque celebratus omnibus, tum sua memorabilis diuturnitate est, quum Anchisen, certe ut plerique rem narrant, quasi obiter Venus, eumque in finem tantum amaverit, ut conciperetur Aeneas. Hinc Anchisae amores fere ab iis tantum commemorantur, qui diserte enumerant amatores Veneris, ut Theocrit. I. 105. 6. Ovid. Art. am. III. 85. 6. Anth. Gr. Epigr. incert. CCXLVII. alii; aut qui Aeneam Romanosque in mente habent. In tota Anthologia Latina Anchises, si recte memini, nusquam, Adonis reperitur quinquies, vel sexies; apud Nonnum, cuius in recensendis deorum dearumque amoribus insatiabilis luxuria, Adonis ubique est, plerumque Assyrius, quamquam etiam in Cypro Adonin agnoscit XIII. 460. Anchises semel memoratur, XV. 210. De Adonide, ut nonnullos proferam, Plautus Menaechm. I. II. 35.

*Ubi aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum.* quo modo Adonin et Catamitum iungit etiam Ausonius Epitaph. xxxiii. Varro Testamento ap. Nonium p. 158, 15. ex mea qualicumque emendatione, quam abiiciam, si alia inventa fuerit lenior, haud invitus:

*sic puellus*
*Veneris repente Adonis*
*Cecidit cruentus olim.*

deletum a me *ille*, quod vulgo post *sic* insertum legitur; tum vulgo *vado*, unde viri docti fecerunt alius *fato*, alii *Adon*, vel *Ado*: cf. Muncker. in Fulgent. Mythol. III. viii. *uadon* cod. Nonii Guelferb. Et illud quidem *Ado*, vel *Adon*, etsi post alios Santenius Animadv. in H. Balbum col. 1819. aevo propriam seriori eam formam dicit, Varronis aetate et Varrone, non puto indignum esse, praesertim quum ita dicant Graeci. Nossis: *τῷ καὶ τῆνα καλὸν Ἄδωνα χρίει.* Scilicet multa sunt usitata latinis scriptoribus recentioribus, nec tamen his propria, sed ex vetustate assumpta remotiori. Fuit etiam αὐλητοῦ nomen Ἄδων apud Alcmanem, Athen. XIV. 624. B. Welcker. Fragm. LXXXVI. Me tamen, ut *Adonis* praeferrem, permoverunt numeri Anacreontei, quae ego mihi deprehendere visus sum in Varronis loco, vestigia. Quod enim hi numeri magis recentioribus, ut Petronio, Claudiano carm. XII. et Floro, Hadrianoque, Anthol. Lat. lib. II. xcvii. xcviii. Luxorio epigr. XI. tum Symmacho Epist. I. viii. Sidonio Apollin. Epist. IX. xiii. Boethio C. Ph. lib. III. et Prospero ap. Heusinger. in Fl. Mallii Theodori Cap. V, 10. usitati sunt, quam veteribus, nulla caussa est, cur Varronem, quem tot aliis metris lusisse constat, hoc metro usum esse negemus. Alibi idem de eo metro egerat, eiusque naturam explicuerat: Terentian. M. v. 2882. sq. Tenerum autem fuisse Adonin plerique significant: ut magis Venus Adonin habuerit, quam ipse Venerem. Quod etiam inest in Plauti Varronisque locis. Unde fictum, non solum Veneri dilectum Adonin fuisse, sed etiam diis viris. Ut Dionyso, testantibus Platone Comico ap. Athen. X. 456. A. et Phanocle ap. Plutarch. Sympos. IV. v. p. 671. C. Apollini, Ptolemaeo Heph. teste, in Bibl. Photii ed. Bekker. 151, 5. Quos locos congessit docta G. Bacheti de Meziriac diligentia ad Ovid. Epist. IV. 97. Addo, Herculis *ἐρώμενον* fuisse Adonin, ex Ptolemaeo Heph. 147, 10. Bekk. Nempe *ἀνδρόγυνον* fuisse nonnulli tradebant. Criticum etiam non malum se praebuit Meziriac. loco illo. Nam in Phanoclis fragmento, ubi *Κύπριν* magnis viris, Scaligero Animadv. in Euseb. p. 42. a. Valckenario in Theocr. Adoniaz. p. 378. B. et Ruhnkenio, imposuit, ille recte *Κύπρον* laudat, ut Xylander in Plutarch. Et Euphorioni, Fragm. xxxix. ante eruditum nostrum Meinekium medelam repperit,

ἀφ' ἕλκεα: Le Cocyte laua seul d'Adonis la playe. Est etiam Ptolemaei H. locus, in quem coniectura inferendum esse nomen Adonidis suspicor, ubi de variis Achillibus, 152. b. 1. ed. Bekk. *καὶ Διὸς καὶ Λαμίας Ἀχιλλέα φασὶ γενέσθαι τὸ κάλλος ἀμήχανον, ὃν καὶ ἐρίσαντα περὶ κάλλους νικῆσαι τοῦ Πανὸς κρίναντος· καὶ διὰ τοῦτο Ἀφροδίτη νεμεσήσασα ἐμβάλλει Πανὶ τὸν Ἠχοῦς ἔρωτα*, etc. Quid hoc irasci tantopere Venus potuit? Coniicio nomen excidisse post *ἐρίσαντα*, vel post *κάλλους*, *Ἀδώνιδι*. De prole autem Adonidis ex Venere etsi nemo tali in re unanimem fuisse antiquitatem exspectet, ut est singularis ap. Athenaeum XIII. 575. A. narratio, illud tamen, Priapum ortum ex eo concubitu esse, quod Tzetzes in Lycoph. 831. et Favorinus v. *Ἄδωνις* tradunt, suspectum videbitur, si comparentur Tzetzes et Favorinus cum Interpretibus graecis Apollonii in I. 932. et cum Etymologo v. *Ἀβαρνίδα*, vel etiam cum Suida v. *Πρίαπος*. Sed haec satis de Adonide, si unum addidero, in quo tertium de tribus, quae dicebam, argumentis meis positum est. In Adonidis concubitum admirabiliter convenit apud Catonem *herbae florumque* mentio: sive de fortuito Veneris cum suo puello congressu, sive de cubili inter flores, augendae voluptatis caussa, studiose adornato, Cato cogitaverit. Si illud, non inusitata veteribus imago fuit, in gramine ludens cum Venere Adonis. Quam in rem reputandum est, quod supra ad Ecl. 44. monui, amores deorum plerosque campestres fuisse, aut silvestres. Nec mirum in Adoni, qui pastor fuit, aut venator. Theocritus XX. 35. 6. *αὐτὸν Ἄδωνιν ἐν δρυμοῖσι φίλασε, καὶ ἐν δρυμοῖσιν ἔκλαυσεν.* Ovidius Metam. X. 556. 7. *Datque torum cespes. libet hac requiescere tecum, Et requievit humo: pressitque et gramen, et ipsum: Inque sinu iuvenis* etc. Idem Epist. IV. 97. 8. *Saepe sub ilicibus Venerem, Cinyraque creatum, Sustinuit positos quaelibet herba duos.* Quo pertineret, nisi suspecta esset antiquitate, gemma, quam Wernsdorfius commemorat, in Begeri Thes. Brand. T. I. p. 200. Sed potuit etiam fingi alterum, inter flores adornatum dedita opera cubile fuisse, quo laetius esset iuvenis omnium delicatissimi et deae omnium venustatum matris connubium. Maxime ab iis, qui philosophabantur in ea fabula, ut Macrobius Sat. I. xxi. Revoces huc Plinium H. N. XIX. iv. qui de vero *Adonidis horto* cogitare videtur: nam qui vulgo *κῆποι Ἀδώνιδος* dicuntur, de quibus praeter alios Valckenarius et Toupius in Theocr. Adoniaz. v. 113. Bastius Epist. Crit. p. 191. sqq. disseruerunt, alieni ab hac disputatione. Flores sacros quodammodo Adonidi fuisse, vel addictos, Bio statuit I. 75. 6. *βάλλε δ'ἐνὶ* (vel *δέ νιν*) *στεφάνοισι καὶ ἄνθεσι· πάντα σὺν αὐτῷ, ὡς τῆνος τέθνακε, καὶ ἄνθεα πάντ' ἐμαράνθη.* hoc est, ut iam acceptum locum elegantissi-

mum in editione H. Stephani video: *omnes cum eo, ut ille mortuus est, etiam flores contabuerunt omnes.* Post πάντα σὺν αὐτῷ inhibenda ac sistenda paullisper vox est. Quamquam quod rem attinet nostram, non multum Bioni tribuerim: potest enim, quod de floribus dicit, ab ipso fictum esse. Ut statim imitans Bionis locum Moschus III. 32. etiam in Bionis obitu hoc accidisse dicit: τὰ δ' ἄνθεα πάντ' ἐμαράνθη. Denique apud Nonnum, in descriptione Horarum, XI. 500. *Adonis* et *Cytherea* vernum repraesentare tempus, vel praesides esse temporis verni videntur.

*gavisa elidere* non meum inventum, quamquam vellem meum esse, sed G. Canteri, Scaligeri, I. Fr. Gronovii est, quum vulgo esset *gavisa est ludere.* Nempe in emendatione differt aliquid inter illos; at hoc, quod praecipuum, viderunt omnes, verbo opus esse eo, a quo pendeat, quod sequitur, *Purpureos flores.* Igitur Gul. Canteri Nov. Lect. V. XVI. p. 340. ed. Antv. Plant. 1571. verba sunt: *Nam et heic* Laedere *scribendum, pro* ludere. *alioqui flores quorsum pertinebunt? lidere* ausum Scaligeri, quod perstringit Salmasius ap. Arnoldum. Gronovius autem, ut iam dictum est: *Dea visa elidere* coniiciebat. *Et secum tenera gavisa elidere* Arnoldus edidit. Libri longe plurimi unanimi consensu: *gauisa est ludere in h.* In Parisino IV. *uisa est* legitur pro *gauisa est,* et *visa est colludere* in Mediceo, Burmanno teste. *gauisa est udereinherba* August. in quo fortasse verae scripturae vestigia, *udere, lidere.* Verum ad veterem ac veram scripturam satis etiam prope accedit vulgatum *gauisa est ludere.* Locum simillimum, sup. 13. 14. *Aut inter varios, Veneris stipendia, flores Membra reclinarit, teneramque illiserit herbam,* apposuit Scaliger. Is locus multam vim habet ad commendandum, quod nos restituimus, *gavisa elidere.* Solet enim sua repetere Cato, ut moneo infra Diss. III.

Versus 67. nulla opus habet emendatione, postquam inventum est, a quo pendet *Purpureos flores,* verbum *elidere.* Heinsius, quippe memor eorum, quae ipse ad Ovid. Epist. XVII. 17. Amor. I. VIII. 43. annotasset, de usu verbi *ludere* in re Venerea, hic quoque religiose servandum *ludere* verbum versu 66. at versu 67. *quotiens super* emendandum putabat, approbantibus Burmanno ad Anth. Lat. T. I. p. 741. Wernsdorfio, et nuper Putschio. Ac bona foret, est enim facilis, emendatio, si sola bonitatem faceret facilitas. At quorsum *quoties*? Sufficiebat in eam sententiam *quum. Insuper* sic positum, ut est a Catone positum, satis unus tuebitur Lucretius VI. 191. *accumbebat,* scil. Venus. *acumbebant* Vratisl. I. *ros ut super accumbebat,* aut *qua ros super a.* coniecturae Heinsii, ante illam factae. De floribus *purpureis* monitum est ad Dir. 21.

Iam vs. 68. quod libri scripti, Petav. Thuan. Med. Leid. meique, etiam Vossianus I. diserte monente Vossio, itemque editi ante Virgilium Aldi, et ante Aldinas, omnes praebent, *Grandia f. s. gaudia c.* manifesto corruptum, neque explicabile cuiquam, praeter bonum Badium, qui haec construebat cum praecedentibus: Purpureos flores — grandia gaudia — supponens collo. Non inepte, quod constructionem attinet, modo *grandia gaudia* dici possent flores. Ita tamen conceptum locum obversari opinabar Reposiano, in carmine de concubitu Martis et Veneris, Anth. Lat. lib. I. LXXII. v. 109. sqq. *Stringebat Paphiae Mavors tunc pectora dextra, Et collo, innexam ne laedant pondera, laeva Lilia cum roseis supponit candida sertis.* Sic fortasse scribendum. Cf. ibid. v. 46. 7. *Flos lectus, flos vincla, toris substramina flores Deliciis Veneris dives natura laborat.* *Gaudia f. s. gaudia c.* vitium est Venetae Achat. Norimbergensis, Venetarum 1499. 1500. Ascensianae I. et Cronflitii. *Candida — brachia* Virgilius Aldi Taurinensis 1518. et ex his marg. Lugd. 1529 (quae ipsa *Grandia — gaudia* servat) Venetarum 1544. 1555. 1558. et sic in Basil. Bryl. 1543. Lugd. et Antv. 1556. Mog. 1549. Basil. H. P. 1561. Scaligeranis, et recentioribus ante Putschium omnibus editum. *Grandia — brachia* in Aldinis, Venetis 1544. 1555. 1558. et marg. Basil. 1543. Ex his *brachia* statim summam probabilitatem habet. *Candida,* quod annotaverat etiam ille, quem volunt Pierium esse, suspectum est. *Grandia* vero *brachia* tum demum valeret, si probabile esset, descriptionem in versu 66. praecessisse viri. Ut mihi ante multos annos, de Anchise cogitanti, codicemque Mediceum magno aestimanti, hoc in mentem venire memini: *Et qui cum Venere est visus collidere in herba P. flores, quos i. a. Grandia f. s. brachia c.* At vero in versum 66. si *mecum* exceperis, nulla gravioris corruptionis suspicio cadit: contra in versu 68. sedem mali satis arguit vetus ulcus *Grandia — gaudia.* Itaque in hoc versu Deae nomen excidit, quod aliud esse nequit, quam *Cypria.* Idque dudum restitutum habebam, quum me industria praevertit Putschii, qui ita edidit: *Et quocum tenera gavisa est ludere in herba, Purpureos flores quoties super accumbebat, Cypria, formoso s. brachia c.* Ego et praecedentia aliter, et v. 68. paullo, nisi fallor, melius, lego hoc ordine: *Brachia f. s. Cypria c.* Et de caussis corruptionis ita statuo, primo *Cypria* corruptum in illud, quod in omni libro vetere legitur, *gaudia;* tum *Brachia* in *Grandia.* Nam quod *Grandia — brachia* in Aldinis, in eo *brachia* non ex libris ductum scriptis, sed felici inventum coniectura videtur.

*Augusti saeculi nemo* Cypris, *omnes dixerunt* Cypria: Santenii praeceptum, Animadv. in H. Balbum col. 1819. Cf. idem ibid. c. 1825.

et 1839. et Burmannus ad Anth. Lat. III. XL. 4. CLXX. 3. Burmanni exemplis addere licet Anth. Lat. II. CCXXXIV. III. CCXXII. III. CCLXXXIX. IV. CXII. VI. LXV. LXXV. Recentiorum omnia. At vellem alterius formae, *Cypria*, exempla monstrasset Santenius, aevi eius, cui eam propriam dicit, Augusti. Ego ut recentiores, Arnobium, Firmicum, taceam, haec tantum observavi, Tibull. III. III. 34. Anth. Lat. IV. LXII. et apud Festum. Quae sane sufficiunt. Atque observandum, *Cypriam* quasi proprie dici a Catone Venerem, quum *Cyprium* haud dubie Adonin poeta, ut est vulgata fabula, in mente habeat. Iam commemoravi similem Catulli versum: *Levia substernens robusto brachia collo.* LXIV. 332. Ubi Ant. Parthenius apte Tibullum laudat, I. VIII. 33. *Huic tu candentes humero suppone lacertos.* In eamdem sententiam accipiendus haud dubie Ovidius Amor. III. VII. 7. 8. Alia ratio est apud Ovidium Epist. XIII. 106. et rursus alia in Epithalamio Anth. Lat. VI. LXXXVII. v. 82. 3. et ap. Reposianum loco paullo ante laudato. Diversa miscet Burmannus ad Propert. I. III. 15.

*formosa* August. Mutin. *subponens* August. Monac. II. *colla* Paris. IV.

V. 69. (172.) TUM CREDO FUERAT MAVORS DISTENTUS IN ARMIS.

*Tum credo fuerat*] Haec omnia εἰρωνικῶς. Contra enim sentit. Iam puto, inquit, eo aureo seculo Martem districtum fuisse bellis: Vulcanum autem ensibus, et telis fabricandis. Quasi dicat: Non. Non enim armis opus erat eo tempore, in quo voluptati tantum, et otio studebant homines. SCALIG.

De diis hic agitur, non de hominibus. Si autem de diis, non decebat Catonem negare, quod communis clamabat fabula, Martem omni tempore bellis praefuisse. Intellexit nexum sententiarum Putschius. Et sane latere ille neminem potest, qui viderit, versibus, qui praecedunt, de Veneris dici cum iuveni mortali commercio. Monstrat poeta, per coniecturam, satis lepide, quomodo fieri potuerit, et qua opportunitate, ut cum Adonide luderet Venus. Qua re simul hoc assequitur Cato, valde ad rem, quam agit, aptum, ut clarissime ostendat magnam Veneris levitatem, quae neque marito contenta, neque Marte adultero, admiserit tertium. Nam cum Marte adulterium, ut notum omnibus tritumque, fere condonabatur Veneri, et Mars, ut fit, pro marito eius altero habebatur. Cf. si placet, Nonnus X. 202. Etsi facile apparet nihil in tali quaestione praescriptum omnibus statumque esse. Sunt enim qui etiam Adonin coniugii quodam vinculo et consuetudine iunctum cum Venere praedicant, obliti illi Vulcani Martisque, ut Theocritus Adoniazusis v. 129. 131. Bio I. 24. 54. 59. Idque consuetum in cultu Adonidis. In Adonin

Iam vs. 68. quod libri scripti, Petav. Thuan. Med. Leid. meique, etiam Vossianus I. diserte monente Vossio, itemque editi ante Virgilium Aldi, et ante Aldinas, omnes praebent, *Grandia f. s. gaudia c.* manifesto corruptum, neque explicabile cuiquam, praeter bonum Badium, qui haec construebat cum praecedentibus: Purpureos flores — grandia gaudia — supponens collo. Non inepte, quod constructionem attinet, modo *grandia gaudia* dici possent flores. Ita tamen conceptum locum obversari opinabar Reposiano, in carmine de concubitu Martis et Veneris, Anth. Lat. lib. I. LXXII. v. 109. sqq. *Stringebat Paphiae Mavors tunc pectora dextra, Et collo, innexam ne laedant pondera, laeva Lilia cum roseis supponit candida sertis.* Sic fortasse scribendum. Cf. ibid. v. 46. 7. *Flos lectus, flos vincla, toris substramina flores Deliciis Veneris dives natura laborat.* *Gaudia f. s. gaudia c.* vitium est Venetae Achat. Norimbergensis, Venetarum 1499. 1500. Ascensianae I. et Cronflitii. *Candida — brachia* Virgilius Aldi Taurinensis 1518. et ex his marg. Lugd. 1529 (quae ipsa *Grandia — gaudia* servat) Venetarum 1544. 1555. 1558. et sic in Basil. Bryl. 1543. Lugd. et Antv. 1556. Mog. 1549. Basil. H. P. 1561. Scaligeranis, et recentioribus ante Putschium omnibus editum. *Grandia — brachia* in Aldinis, Venetis 1544. 1555. 1558. et marg. Basil. 1543. Ex his *brachia* statim summam probabilitatem habet. *Candida,* quod annotaverat etiam ille, quem volunt Pierium esse, suspectum est. *Grandia* vero *brachia* tum demum valeret, si probabile esset, descriptionem in versu 66. praecessisse viri. Ut mihi ante multos annos, de Anchise cogitanti, codicemque Mediceum magno aestimanti, hoc in mentem venire memini: *Et qui cum Venere est visus collidere in herba P. flores, quos i. a. Grandia f. s. brachia c.* At vero in versum 66. si *mecum* exceperis, nulla gravioris corruptionis suspicio cadit: contra in versu 68. sedem mali satis arguit vetus ulcus *Grandia — gaudia.* Itaque in hoc versu Deae nomen excidit, quod aliud esse nequit, quam *Cypria.* Idque dudum restitutum habebam, quum me industria praevertit Putschii, qui ita edidit: *Et quocum tenera gavisa est ludere in herba, Purpureos flores quoties super accumbebat, Cypria, formoso s. brachia c.* Ego et praecedentia aliter, et v. 68. paullo, nisi fallor, melius, lego hoc ordine: *Brachia f. s. Cypria c.* Et de caussis corruptionis ita statuo, primo *Cypria* corruptum in illud, quod in omni libro vetere legitur, *gaudia;* tum *Brachia* in *Grandia.* Nam quod *Grandia — brachia* in Aldinis, in eo *brachia* non ex libris ductum scriptis, sed felici inventum coniectura videtur.

*Augusti saeculi nemo* Cypris, *omnes dixerunt* Cypria: Santenii praeceptum, Animadv. in H. Balbum col. 1819. Cf. idem ibid. c. 1825.

et 1839. et Burmannus ad Anth. Lat. III. xl. 4. clxx. 3. Burmanni exemplis addere licet Anth. Lat. II. ccxxxiv. III. ccxxii. III. cclxxxix. IV. cxii. VI. lxv. lxxv. Recentiorum omnia. At vellem alterius formae, *Cypria*, exempla monstrasset Santenius, aevi eius, cui eam propriam dicit, Augusti. Ego ut recentiores, Arnobium, Firmicum, taceam, haec tantum observavi, Tibull. III. iii. 34. Anth. Lat. IV. lxii. et apud Festum. Quae sane sufficiunt. Atque observandum, *Cypriam* quasi proprie dici a Catone Venerem, quum *Cyprium* haud dubie Adonin poeta, ut est vulgata fabula, in mente habeat. Iam commemoravi similem Catulli versum: *Levia substernens robusto brachia collo.* lxiv. 332. Ubi Ant. Parthenius apte Tibullum laudat, I. viii. 33. *Huic tu candentes humero suppone lacertos.* In eamdem sententiam accipiendus haud dubie Ovidius Amor. III. vii. 7. 8. Alia ratio est apud Ovidium Epist. xiii. 106. et rursus alia in Epithalamio Anth. Lat. VI. lxxxvii. v. 82. 3. et ap. Reposianum loco paullo ante laudato. Diversa miscet Burmannus ad Propert. I. iii. 15.

*formosa* August. Mutin. *subponens* August. Monac. II. *colla* Paris. IV.

V. 69. (172.) TUM CREDO FUERAT MAVORS DISTENTUS IN ARMIS.

*Tum credo fuerat*] Haec omnia εἰρωνικῶς. Contra enim sentit. Iam puto, inquit, eo aureo seculo Martem districtum fuisse bellis: Vulcanum autem ensibus, et telis fabricandis. Quasi dicat: Non. Non enim armis opus erat eo tempore, in quo voluptati tantum, et otio studebant homines. SCALIG.

De diis hic agitur, non de hominibus. Si autem de diis, non decebat Catonem negare, quod communis clamabat fabula, Martem omni tempore bellis praefuisse. Intellexit nexum sententiarum Putschius. Et sane latere ille neminem potest, qui viderit, versibus, qui praecedunt, de Veneris dici cum iuveni mortali commercio. Monstrat poeta, per coniecturam, satis lepide, quomodo fieri potuerit, et qua opportunitate, ut cum Adonide luderet Venus. Qua re simul hoc assequitur Cato, valde ad rem, quam agit, aptum, ut clarissime ostendat magnam Veneris levitatem, quae neque marito contenta, neque Marte adultero, admiserit tertium. Nam cum Marte adulterium, ut notum omnibus tritumque, fere condonabatur Veneri, et Mars, ut fit, pro marito eius altero habebatur. Cf. si placet, Nonnus X. 202. Etsi facile apparet nihil in tali quaestione praescriptum omnibus statumque esse. Sunt enim qui etiam Adonin coniugii quodam vinculo et consuetudine iunctum cum Venere praedicant, obliti illi Vulcani Martisque, ut Theocritus Adoniazusis v. 129. 131. Bio I. 24. 54. 59. Idque consuetum in cultu Adonidis. In Adonin

Martem, scilicet invidia pueri, quem sibi praelatum a Venere videret, aprum immisisse, vel ipsum irruisse in formam apri conversum, communis Nonno XXIX. 136. XXXII. 220. XII. 209. sq. cum aliis fabula est. Illud proprium Nonno, dignissimum hoc inventore, Vulcanum *τεύχεα θήρης* fabricatum esse Adonidi, XLII. 321. Ut quasi quaedam coniuratio fuerit duorum virorum Veneris, Vulcani et Martis, contra tertium, Adonin. Alii a Musis iniectum amorem venationis Adonidi, et sic obvium factum Marti puerum dictitabant: Tzetzes in Lyc. 831. Favorinus v. *Ἄδωνις*. Nec defuerunt, qui Dianae ira illum interfectum dicerent: de quo Muretus Var. Lect. V. vii. Et de Apolline, qui Adonin interfecerit, mutatus in aprum, singularem, ut solet, fabulam habet Ptolemaeus Heph. ap. Photium p. 147. a. Bekk. Propertius in excusatione amoris furtivi, II. xxxii. 33.

*Ipsa Venus quamvis corrupta libidine Martis,*
*Num minus in coelo semper honesta fuit?*
*Quamvis Ida — pastorem dicat amasse,*
*Atque inter pecudes accubuisse deam.*

ubi hoc certum est, componi Martem adulterum, cum altero mortali Veneris adultero. Et Valckenarium quidem ibi de Anchise cogitavisse constat, quod per se admodum probabile. Legebat autem: *Quamvis Ida* boum *pastorem dicat a.* Si *Parin*, vel *Parim*, quod in libris, fatendum est, magnam hanc esse audaciam Propertii in diffingenda fabula. Nam qui Parin consuevisse cum Venere dixerit, neminem usquam vidi, ne ea quidem aetate, quae in fabulis amatoriis ludit liberius. Lucianum, ut exemplo utar, illud, si notum fuisset, puto indicaturum fuisse in Iudicio Paridis. Nihil tale apud Ovidium in Epistola Oenones, neque in Epistola Paridis, quae A. Sabino tribuitur. Nihil in Iudicio Paridis apud Apuleium lib. X. extr. p. 255. Videbar mihi eius narrationis vestigia deprehendisse apud Lampridium, in Vita Heliogabali cap. v. sed dum iterum inspicio, nulla esse satis certa intelligo. Commemorato Martis adulterio mortalem, Anchisen, adiungit A. Sabinus Epist. III. 63. sqq. et sic alio consilio, in suis disputationibus, Veneris amores, Martem, Anchisen, Adonin, cumulant Clemens Alex. Arnobius, Firmicus.

Ad *credo* parum apta sunt, quae Arnoldus confert exempla. Apta haec: Catulli carm. II. *Quum desiderio meo nitenti Carum nescio quid lubet iocari, Et solatiolum sui doloris*: Credo, *ut tum gravis acquiescat ardor.* Idem: Credo, *sic mater, sic Liber avunculus eius,* etc. Ovid. Epist. XVI. 89. *fuerat,* ut paullo ante: *Conditio similis* fuerat *mortalibus illis.*

*tVnc* Paris. IV. *Tunc* Mut. super *credo* in Paris. III. *spero* scri-

ptum est. *Tum vero* Cronflit. *fueras* coniectura I. Fr. Gronovii, quam ipse ita interpretatur apud Arnoldum: *Totum hoc de Venere et Marte intelligo, pronunciarique per apostrophen. Tecum etiam, Mavors, Dea Venus visa est frangere et elidere flores purpureos in tenera herba: nisi forte tu tum, non vacans scilicet amoribus, armis distinebare. Hoc postremum* εἰρωνικῶς, *ut vidit etiam Scaliger: significans, nihil ei minus tum curae fuisse, quam arma.* Non inepte, nisi vera esset nostra et scriptura et interpretatio.

V. 70. 1. (173. 4.) NAM CERTE VOLCANUS OPUS FACIEBAT etc.

*Tristi turpabatque*] In hoc versiculo plus est fuliginis, quam in barba Vulcani: quae ita abstergenda est — *et illi*

*Tristi turpabat malas fuligine barba.*

et haec omnia, ut iam monui, εἰρωνικῶς. Contra enim sentit. SCALIG. Emendatio verissima, interpretatio non item. Hoc quoque ut perspicuum fiat, aliorum comparatione mythologorum poetarumque faciam. Nota antiquitati imago Vulcani est, laborantis ac sudantis in officina, et ab opere sordidi. Quae imago κωμικωτέρα hoc loco, ubi ostenditur, quid interea coniux Vulcani Venus fecerit. Lucianus Deor. dial. V, 4. ἀλλὰ τὸν Ἥφαιστον ἔδει τὸν σὸν υἱὸν οἰνοχοεῖν ἡμῖν χωλεύοντα, ἐκ τῆς καμίνου ἐλθόντα, ἔτι τῶν σπινθήρων ἀνάπλεων, ἄρτι τὴν πυράγραν ἀποτιθέμενον, καὶ ἀπ' ἐκείνων αὐτῶν τῶν δακτύλων λαμβάνειν ἡμᾶς τὴν κύλικα, καὶ ἐπισπασαμένους φιλῆσαι μεταξύ, ὃν οὐδ' ἂν ἡ μήτηρ σὺ ἡδέως φιλήσειας ὑπὸ τῆς ἀσβόλου κατηθαλωμένον τὸ πρόσωπον. Iovis verba. Cui Iuno respondet exacerbato animo: nunc tibi claudus est Vulcanus, nunc ἀσβόλου μεστός, postquam Ganymedem habes. Non minus lepide Dial. XV, 1. Mercurius et Apollo sortem Vulcani, qui tam pulchras uxores habeat, praedicant, mirunturque, τὸ ἀνέχεσθαι συνούσας αὐτῷ, καὶ μάλιστα ὅταν ὁρῶσιν ἱδρῶτι ῥεόμενον, εἰς τὴν κάμινον ἐπικεκυφότα, πολλὴν αἰθάλην ἐπὶ τοῦ προσώπου ἔχοντα. Cf. de Sacrificiis c. 6. Vol. III. p. 72. Bip. — τὸν Ἥφαιστον, οὐ μάλα εὐτυχῆ τοῦτον, ἀλλὰ βάναυσον, καὶ χαλκέα, καὶ πυρίτην, καὶ ἐν καπνῷ τὸ πᾶν βιοῦντα, καὶ σπινθήρων ἀνάπλεων, οἷα δὴ καμινευτήν, καὶ οὐδὲ ἄρτιον τὼ πόδε. Denique idem Deor. dial. XVII, 1. ut Cato, eo opportunitatem furti fecisse Veneri Vulcanum narrat, quod occupatus esset in officina: εἰργάζετο, *opus faciebat,* ἀπελθὼν ἐπὶ τὴν κάμινον. sed Lucianus ibi consulto id *facere* Vulcanum fingit, ut securam deprehenderet Venerem. Nonni lib. XXIX. extr. absurda inventio est, Martem e longinquo speculari Venerem, παρ' Ἡφαίστοιο καμίνοις, ὡς πάρος, ἱσταμένην, ac timere, καὶ ἐδείδιε, μή οἱ ὀπωπὴν καπνὸς ἀμαλδύνειε μελαινομένης

Ἀφροδίτης. ὀπωπή Nonno idem quod εἶδος: cf. V. 416. 431. 528. 537. De fuligine videtur αἰθαλόεις, Vulcani apud Nonnum XXVII. 123. epitheton, accipiendum esse: nisi forte, ut πυρόεις II. 299. X. 300. XXIX. 348. XXXIX. 206. eiusdem Vulcani epitheton, latiore accipere significatione malis, ut sit *igneus*. cf. XXXVI. 88. XXXVIII. 367. Fuerunt, qui ad speciem Vulcani referrent *ardens* epitheton in Horatii loco Carm. I. IV. *dum gravis Cyclopum Volcanus ardens urit officinas.* sed eum locum primus ac solus expedivit Toupius.

Igitur verbis *et illi Tristi turpabat malas f. barba*, ut legendum ex emendatione Scaligeri, descriptio continetur Vulcani. Tam bonam emendationem non intellexit Burmannus, qui comminiscitur incredibilia, puto quod persuasum ei nescio quo modo esset, *illi* ad Martem esse referendum. Immo ad Vulcanum. At *Tristi* cum *fuligine* iungendum. Et accurate dicta omnia. Scilicet barba, praesertim densa, horrida, late diffusa, qualem esse Vulcani consentaneum est, ut ipsa cuiusvis generis immunditiem, etiam fluidam, sed maxime fuliginem, quae leviter volitare solet, et adhaerescere corporibus celeriter, facillime recipit, ita facile eas res communicat cum reliquo vultu. Adscripsi locum simillimum Claudiani R. P. II. 315. 6.

*Flagrantibus hispida rivis*
*Barba madet, totoque fluunt incendia vultu.*

Ovidius Fast. I. 375.

*Oraque caerulea tollens rorantia barba.*

Metam. I. 339.

*ora dei madida rorantia barba.*

Neque dissimilis *barbae* mentio in versibus Aeschyli, Pers. 316. πυρσὴν ζαπληθῆ δάσκιον γενειάδα ἔτεγγ', ἀμείβων χρῶτα πορφυρᾷ βαφῇ. An simili modo accipiendus Valerius Flaccus VI. 247. *tenerae liquuntur vulnere malae*? ut intelligatur defluens ab oculo in malas humor sanguisque. Sed fortasse *liquuntur* ibi recte explicatur *franguntur*. Praeterea in verbis *et illi* et incisio, sollemnis illa poetis latinis in his verbis, et illud observandum, quod non minus usitatum poetis latinis, *ille* ad eum, cuius proxime praecedit mentio, referri. Propert. I. XX. 49. IV. IV. 15. VII. II. Ovid. Epist. XVI. 229. XVII. 173. Metam. I. 283. X. 457. Incisio ea etiam in Culice v. 55. *at illa. et illinc* v. 315. Alius ordo Manilio placuit, sic: *immotus at ille* I. 289. cf. II. 185. 554. 866. III. 490. V. 440.

Ad V. 70. cum umbra pugnat Arnoldus, quum reiicit *Non*, et *Nam* commendat, quam Salmasii dicit lectionem esse. *Nam* lectio non Salmasii est, sed librorum atque editorum quotquot sunt omnium, praeter Monac. I. II. Vratisl. I. in quibus *Hoc* legitur. *Non* qui ediderit,

habeo neminem. Deinde *Vulcanus* vulgo. *Volcanus* nemo, ex meis quidem, ante Scaligeranas, et recentiores. V. 71. Scaligeri emendationem receperunt Arnoldus, Wernsdorfius, Putschius. Caeteri omnes: *Tristi turpabatque* (*turbabatque* Paris. IV. Monac. I. II. Vratisl. I. Ven. Achat. Ven. 1488.) *mala fuligine barbam.* Thuaneus tantum, et Helmstadiensis, de vera scriptura aliquantillum conservaverunt: nam in Helmst. *turpabat mala.* et *malum* in Thuaneo, unde possit *malam* scribi pro eo, quod Scaligero placuit, *malas.* *ferrugine* pro *fuligine* Medic. ap. Burm. et *fugile* Paris. III. Fuerunt qui corrupto loco nescio quomodo succurrere interpungendo vellent, colo, vel commate, inserto, sic: *et illi Tristi, turpabatque* etc. ut in Argent. 1502. Aldinis, et post Aldinas aliis. Mira sunt Pomponio annotata, et male accepta haud dubie ab auditore: *Vulcanus.*) *hic omnibus diis arma fabricabat. Fuligine.*) *id est galea noua.* Fortasse Pomponius ita legebat: *et illi Tristi turpabat galea fuligine barbam. illi* scil. Marti. Domitius *opus* inepte interpretatur *rhetia,* deinde iungit *illi tristi* scil. Vulcano. Gronovius ap. Arnoldum: *et illis Tristis, turpabatque* ut intelligatur Vulcanus, Marti ac Veneri iratus. sed idem non repugnare se Scaligero dicit. *et illi Tristi purgabat malas fuligine barba* coni. Burmanni. idem monet versus hos tamquam ex Virgilii Carmine in Battarum afferri ab Ursino in Famil. Rom. pag. 34.

V. 72. 3. (175. 6.) NON AURORA NOVOS ETIAM PLORAVIT etc. Miror Silligium et Putschium, qui hoc, ut ante voluerat Domitius, sine interrogatione enunciandum, et *non — etiam* dictum pro *neque* putant, quae et dura est oratio, et perversam facit sententiam. Quod enim illi contendunt, non potuisse hoc loco de amore, cuius infelix fuerit exitus, agi, de eo longe aliter sentio. Cf. ad v. 53. et v. 63. a me monita. Hoc agit Cato, ut amores Aurorae furtivos indicet: quam in rem perinde erat, utrum amor ille felicem, an infelicem, plorandum Aurorae, exitum habuisset. Quin, si quid dicere licet subtilius, maiorem probandi vim habet infausti amoris exemplum: nam si ploravit infaustum exitum Aurora, id magnam amoris vehementiam probat. Itaque in eo persto, atque ab eo progredior, sive *non* aliquis legerit, sive *nonne,* interrogativam esse sententiam, et *ploravisse Auroram.* Hinc statim sequitur, non posse *novos amores* Tithonum esse. *Tithonum* non perdidit Aurora, sed semper habuit, tamquam maritum, et habet etiam nunc; et si quid Aurorae in Tithono *plorandum,* id in eo positum, quod senex factus Tithonus, ad amorem non amplius habilis: verum id alienum a re Catonis, neque apte *novos amores* diceret senem Tithonum. Igitur alius, praeter Tithonum, quaerendus est dilectus Aurorae iuvenis. An

*Cephalus*? Sane hic post Tithonum fere vulgo notissimus Aurorae amor. Glossa V. I. *Aurora Cephalum amauit et Titonum.* Igitur cogitarem de Cephalo, ad quem *ibat*, ut verbis utar Ovidii, *sapiens a sene Diva viro*, Epist. IV. 96. si infelicem fuisse exitum Cephali constaret. Sed Cephalum veteres, ut ex Euripide Hippol. 455. colligere licet, raptum ab Aurora, assumptumque inter deos narrabant, ubi illo usque ad satietatem frui dea potuit, neque caussam *plorandi* ullam habuit. Cf. Hesiod. Theog. 986. Apollodor. III. xiv, 3. Ab hoc Cephalo diversus, ut videtur, Cephalus est, maritus Procridis, quamquam et hic perantiquus: nam de hoc cogitare Homerum credibile est, Odyss. XI. 320. et Virgilium Aen. VI. 445. cf. Callim. h. Dian. 209. Eum recentiores confundentes cum priore illo, raptum, sed postea restitutum suae coniugi, Procridi, ab Aurora tradunt: Ovid. Metam. VII. 700. sqq. cf. Art. am. III. 84. Antonin. Lib. XLI. Apollodor. I. ix, 4. At antiqua sit, per me licet, haec quoque fabula: semper fatendum est, non bene convenire Cephalum ad verba Catonis *novos ploravit amores.* Eadem *Cliti* ratio est, quem Aurora rapuit *κάλλεος εἵνεκα οἷο, ἵν' ἀθανάτοισι μετείη*, Hom. Odyss. XV. 250. 1. Restat, aptissimus in rem nostram, pulcherrimus, iuvenis haud dubie, praematura morte ereptus Aurorae, *Orion*, de quo Catoni locum ante oculos versari Homeri puto, Odyss. V. 121.

*ὥς μὲν ὅτ' Ὠρίων' ἕλετο ῥοδοδάκτυλος Ἠώς,*
*τόφρα οἱ ἠγάασθε θεοὶ ῥεῖα ζώοντες,*
*ἕως μιν ἐν Ὀρτυγίῃ χρυσόθρονος Ἄρτεμις ἁγνὴ*
*οἷς ἀγανοῖς βελέεσσιν ἐποιχομένη κατέπεφνεν.*

Apollodorus I. iv, 4. *Ὠρίωνος δὲ Ἠὼς ἐρασθεῖσα ἥρπασε, καὶ ἐκόμισεν εἰς Δῆλον· ἐποίει γὰρ αὐτὴν Ἀφροδίτη συνεχῶς ἐρᾶν, ὅτι Ἄρεϊ συνευνάσθη. Ὁ δὲ Ὠρίων, ὡς μὲν ἔνιοι λέγουσιν, ἀνῃρέθη*, etc. ubi mirum, et inauditum mihi quidem, quod dicere videtur Apollodorus, Auroram amores cum Marte exercuisse. An, ut statim aliquid proferam *αὐτοσχεδιαστί*, lacuna est in verbis Apollodori? ut narraverit hoc, irritatam Venerem in Auroram fuisse, quod Aurora ipsi amorem exprobravisset Martis. Similis eiusdem scriptoris I. iii, 3. narratio, Clio Musam amore captam Pieri esse *κατὰ μῆνιν Ἀφροδίτης· ὠνείδισε γὰρ αὐτῇ τὸν τοῦ Ἀδώνιδος ἔρωτα.* Cum Apollodori loco de Orione componendum est Scholion in Odyss. V. 121. hoc: *Τούτου γὰρ ἐρασθεῖσα ἡ Ἡμέρα ἥρπασεν ἀπὸ Τανάγρας εἰς Δῆλον, ἔνθα τὴν ἀμαλλοφόρον Οὖπιν* (*Οὖπιν.* ap. Apollodor. *Ὦπιν*) *ἰδὼν ἠθέλησε βιάσασθαι. ἐφ' ᾧ ὀργισθεῖσα ἡ θεὸς ἀναιρεῖ αὐτόν, ὡς Εὐφορίων δηλοῖ.* ubi quod laudatur Euphorio, eius testimonium fortasse ad posteriorem tantum narrationis partem, de morte Orionis, per-

tinebat, non ad priorem de amore Aurorae. Apud alios narrationum, quae de Orione ferebantur, aliarum varietas obscurasse videtur, atque obruisse, huius fabulae, quae est de amoribus Orionis et Aurorae, recordationem. Apud latinos poetas eam non repperi, praeterquam in Catonis loco. Ut neque Clitum. At Nonnus, puto quod ea aetate pertaesum erat illius semper semperque celebrati Tithoni, in sua iura Orionem restituit: Tithonum bis commemorat obiter, XV. 278. 9. XLVIII. 665. 6. ubi quod *δυσίμερον* appellat Tithonum, haud dubie notam de senectute fabulam respicit; Cephalo dat primas, et iura mariti, in ipso libri XXVII. exordio, contra Homeri auctoritatem, quem sequuti alii, Lycophro, Virgilius, Ovidius in Fastis ubique, Val. Flaccus, Statius, in librorum initiis, vel in exordio rei novae, *Tithoni* excitare coniugem solent; et adversatus illi, qui proximus ante Nonnum aetate est, Quinto Smyrnaeo lib. VI. init. cf. idem Nonnus XLVIII. 680. 1. et, quibus locis duos Aurorae amasios coniunctos, Cephalum cum *Orione*, habes, IV. 193. 4. XI. 388. sq. XLII. 246. 7. Orion praeterea est, raptus ab Aurora, V. 516. 7. Exitum quod attinet Orionis et Aurorae amorum, cum Homero, aliis, consentit Nonnus, fuisse infaustum: ita tamen, ut a Diana interfectum irata, quod vim inferre ei deae voluerit, Orionem narret. Etsi id non primus narravit. Et interfectum scorpio immisso: IV. 338. sqq. V. 510. 1. XXXVIII. 374. 5. XLVIII. 398. 402. cf. II. 306. XXXIII. 126. 7. XLIV. 305. Hinc est quod *δυσίμερον* dicit Orionem Nonnus IV. 338. XX. 83. scilicet propter impetum in Dianam, quo mortem meruit. Contra Aurora cur *δυσίμερος* audiat Nonno XXXIII. 44. incertum est. Fortasse propter Orionem: nam profecto *δυσίμερος* est, cuius amores interficiuntur ab alia. Sed potuit alio modo *δυσίμερος* Aurora dici: quae nunquam desinit amare, quae semper ardet. Ut supra erat apud Apollodorum: *ἐποίει γὰρ αὐτὴν Ἀφροδίτη συνεχῶς ἐρᾶν.* Est *δυσίμερος*, ut *δυσέρως*, ex iis vocabulis, quae frequentat Nonnus usque ad taedium. Nonnum, scriptorem cura non indignum, quo ego tamquam lexico mythologico uti soleo, antequam relinquam, de loco paullo ante allato IV. 338. monebo, qui fortasse ita scribendus:

*ἧχί ποτ' Ὠρίωνα δυσίμερον, υἱέα γαίης,*

ut geminus fiat his: XX. 83. *οὐ θρασὺν Ὠρίωνα δυσίμερον, οὐ πρόμον Ἥρης.* XLVIII. 419. *οὐ νέος Ὠρίων με βιάζεται, υἱὸς ἀρούρης.* cf. II. 631. Etsi alios esse locos scio, qui Graefii distinctioni, viri accuratissimi, *ἧχί ποτ' Ὠρίωνα, δυσίμερον υἱέα γαίης*, faveant: IV. 331. XX. 84. XLVIII. 666. Dubius etiam locus est XIV. 97. Deinde illud non est a Catone alienum, aliquoties Nonnum tria inter se componere paria amantium, *Lunam* cum *Endymione*, *Venerem* et *Adonin*,

*Auroram* et *Cephalum*, vel *Orionem*, vel *Tithonum*; quibus etiam addit *Cererem* cum *Iasione*: V. 516. sq. XI. 388. sqq. XXXIII. 35. 6. et 44. XLII. 244. seq. XLVIII. 665. seqq. Et sic Ovidius locis supra indicatis, A. A. III. 83. sqq. Epist. IV. 93. sqq.

*novos amores* Orionis fortasse aliquis propter *veteres* Tithoni amores dici putaverit. Ego malim amores, quibus dea nondum assueta, nondum satiata fuit, intelligere: die junge Liebe. Sane brevia fuisse Aurorae in Orione gaudia, ex Homero colligitur. Sic Ovidius Metam. VII. 709. *coïtusque* novos, *thalamosque recentes*, dixit. Eo autem fuit dolor Aurorae vehementior. *Nonne*, Heinsii emendatione, facile carebimus, quum satis sit sine ea particula perspicua interrogatio. Ut supra v. 53. non opus erat *egon* pro *ego*. Virgilius Ecl. III. 17. Non *ego te vidi Damonis, pessime, caprum Excipere* —? ubi *Nonne* in Mutinensi. Lucretius V. 1228. Non *divom pacem votis adit, ac prece quaesit* —? Terentius Andr. IV. IV. 13. *Deliras*: non *tute ipse*? et V. II. 11. *Eho* non *tu dixti esse inter eos inimicitias, carnufex*? Valgius apud Donat. in Vita Terentii: *Hae quae vocantur fabulae Terentii,* Non *has, qui iura Poblius gentibus dabat, Honore summo affectus, fecit fabulas?* ut versus eos scribit Scaliger Animadv. in Euseb. p. 144. b. Ego nunc nihil teneo nisi *non* interrogativum: emendationem exspecto a Schopeno meo. Caeterum tenendum, aliis locis aliam esse interrogationis cum *non* potestatem, neque ubique ad eam declarandam sufficere, vel aptum esse, *nonne. nonne* enim quum interrogare soleat is, qui factum esse, vel esse, vel futurum esse illud, quod continetur interrogatione, putat, ita ut responsio exspectetur affirmativa, ut apud Catonem responsio foret: *ploravit; non* cum interrogatione saepe sic ponitur, ut ille, qui interrogat, responsionem exspectare negativam videatur. Velut apud Virgilium Aen. IX. 598. 786. XII. 229. *Non pudet*? non est *schämt ihr euch nicht*? sed est *ihr schämt euch nicht*? quod multo fortius. Sic Aen. V. 466. *du merkst nicht*? Sic Lucceius in Cic. Epist. Famil. V. XIV. *Quid enim*? *tu solus aperta* non *videbis, qui propter acumen occultissima perspicis*? *tu* non *intelliges* etc. ubi Graevius ad Flor. III. XXI, 25. nescio quo consilio *non* esse *nonne* statuit. Apparet in hoc genere admirationem esse cum interrogatione coniunctam, ut magis exclamationem debeas quam interrogationem dicere. Possis eodem modo illud Virgilianum Ecl. III. 17. accipere, ut sit: *ich habe dich wohl nicht gesehen*? *quasi te non viderim.* sed ibi simplicius est, ac melius nectitur cum versu praecedente, *non* pro *nonne* acceptum.

Versum in eadem verba exeuntem *ploravit amores*, supra habuimus, Ecl. 36.

V. 73. *rubens* bene explicat Gloss. V. I. *propter fletum.* Catullus: *Tua nunc opera meae puellae Flendo turgiduli rubent ocelli.* Eleganter autem Cato oculorum a flendo ruborem cum *roseo amictu* coniungit. Alii ruborem, quem Aurora facit in coelo, cum eo comparabant, quem *pudor* habet. Unde Laevius Gellio XIX. vii. testante, rubentem Auroram *pudoricolorem* appellavit. Et de pudore cogitabat Pomponius Sabinus loco statim laudando. Signum interrogandi post *amictu* primum recte exhibuerunt Ascensianae, tum Lugd. 1529. 1556. Bas. H. P. 1561. Scaligeranae, Pithoeus, et recentiores praeter Putschium. Anglicanus autem et hoc loco interrogandi signum habet, et versu praeced. post *amores.*

*rubeo* pro *roseo* Monac. I. II. *velavit* coni. Broukhusius in Prop. II. xiii. 54. p. 168. approbante Burmanno in Anth. Lat. T. II. p. 300. et sic apud Pomponium exstat, cuius haec fertur ad h. l. observatio: *Non aurora.*) *Aurora filia Titanis et Terrae, Tithoni filii Laomedontis* (excidit *uxor*, vel simile vocabulum). *Velauit amictu.*) *Virgines amissa uirginitate, celabant prae pudore oculos panniculo.* sed ibi *velavit* casu irrepsisse arbitror, quum statim ipse Pomponius *celabant* scribat. *celauit* recte Thuan. Angl. Aug. utraque Romana, aliae. *caelauit* Paris. III. IV. Veneta Iens. Virg. Aldi, Aldinae. *cellauit* Voss. II. Ven. 1482.

Haec scripseram, quum in mentem venit coniecturae, quam olim Hermannus faciebat tam ingeniosam, ut ei sua quaedam laus ac praestantia constet, etiamsi neges, ut fateor me negare, veram esse. Hermannus, de Tithono cogitans, quem *novos amores* dici non posse intelligeret, *nothos* fortasse scribendum esse v. 72. dicebat, non *novos.* ut senis Tithoni Aurora amores ploraverit, qui non amplius veri essent amores. Elegantissime. Adde, *nothus* vocabulum satis munitum esse Catulli auctoritate. E Graecis nemo unquam cupidius ac liberius vocabulum νόθος usurpavit quam Nonnus, et similiter ψευδήμων, vel ψευδαλέος, μιμηλός. Obstat Hermanno argumentationis, quam Cato instituit, ratio. Amavisse furtim Auroram, melius exemplo probatur eius, quem illa iuvenem perdidit, quam senis olim apti amoribus. Ut taceam, quos cum Tithono Aurora amores habuit, vix posse inter furtivos numerari. Haec de Hermanni coniectura, cuius ipse haud dubie oblitus est. Nam fecerat eam vir summus ex tempore. Me conservare eam grata Societatis Graecae recordatione decuit.

V. 74. (177.) **TALIA CAELICOLAE. NUMQUID MINUS AUREA PROMO.**

*nunquid minus aurea*] Nunquid minus digne de illo aureo seculo loquor? SCALIG. Mihi hoc sine explicatione perspicuum est: num-

quid minus aurea profero? quae exempla profero, nonne sunt aetatis aureae? Et ratiocinatur ita: si illa sunt ex aurea aetate, ut sunt, certum est tum amores fuisse furtivos. Ergo etc. *minus λιτότης*, pro negatione simplici. ut in Diris: *Si minus haec Neptune tuas infundimus auris. Aurea saecula* supra v. 47. distinxerat a deorum aetate; hic deos heroasque comprehendit ea appellatione. Sane incerti sunt fines aetatis aureae, ubi de deorum agitur amoribus. Nam Ariadnen, etsi amata Baccho fuit, recte Cato v. 47. a deorum aetate separat, quum illa, quod ostendunt amores Thesei, historico tempori sit propior. At alios deorum amores, Endymionem, Adonin, Orionem, remotiori saeculo, vel aetati nullis certis finibus definiendae assignabat antiquitas. *aurea* non solum aetas dicitur ipsa, sed etiam quae ad illam pertinent. ut homines: Theocrit. XII. 15. 16. *ἦ ῥα τότ' ἦσαν χρύσειοι πάλαι ἄνδρες, ὅχ' ἀντεφίλησ' ὁ φιληθείς.* et qui ei praesunt, dii: *Aureus Saturnus* Virg. Georg. II. 538. *aurea Virgo* Eleg. in Macc. ob. 23.

Interpunctionem olim editi nullam habent nisi in fine versus; punctum Rom. I. Mut. signum interrog. Rom. II. Ven. Achat. Rub. Iens. Praeter hoc Veneta Rub. Vicent. cum Voss. II. Veneta 1482. duae Venetae Burmanni, al. inepte colon post *minus*. *nunquid* libri nonnulli scripti et editi, ut Rom. I. Ven. Achat. Iens. Mut. Vic. et Aldinae. *nunquit* cod. Bas. *nimis* Medic. *prono* Voss. I. *numquid minus aurea proles*? Vonckii in Commentariis Acad. Elect. Palatinae coniecturam, a Burmanno prolatam, recepit Putschius, ut a coelicolis transeat poeta ad heroum amores, hoc sensu: num quid hi, heroes, secus fecere? Fuit altera Vonckii coniectura: *numquid minus aurea Pomona*? Burmanno autem ipsi ita scribi posse videbatur: *nunc quur minus aurea proles*? Erratum in Vratisl. I. ubi hic versus postpositus ei, qui est 75.

V. 75. (178.) **ERGO QUOD DEUS ATQUE HEROS, CUR NON MINOR** etc. *deus*, Iuppiter; *heros*, Adonis, Orion. Etsi hoc iam in universum dictum est. Potuerat sic: Ergo quod dii atque heroes. *heros* Adonis etiam Ovidio audit, *Cinyreïus heros* Metam. X. 730. Negat Catullus in ea re divis componendos esse homines. Magis callide Chaerea Terentii ita ratiocinatur, quod deum non pigeat facere, id facile posse in se admittere hominem. Cf. Aristoph. Nub. 1080. sq. *Eros* Paris. II. *haeros* Mut. *quoi* pro *cur* Voss. I. *n̄ē* pro *non* Paris. IV.

V. 76. 7. 8. (179. 80. 1.) **INFELIX EGO, NON ILLO QUI TEMPORE** etc. Quum v. 63. amores recensere deorum ordiebatur, hoc agebat Cato, ut suum factum deorum heroumque, qui ante ipsum violassent pudorem, auctoritate praetexeret. Nunc, extremo carmine, totus delapsus

in suavem pristini aevi recordationem, rediens ad sententiam v. 39. seqq. exornatam, felici deorum heroumque aetatis licentiae suam aetatem, et multa, quae nunc sunt, amoris impedimenta, saepe necessaria amantium discidia, vehementesque ex discidiis dolores, opponit. Non puto autem Catonem credidisse ea, quae de amoribus deorum heroumque narrat omnia. Fingit se credere, ut decet poetam. Illud credebat, atque hoc cum desiderio cogitat, tempus fuisse quondam, quo facilis, ut pulchre supra v. 37. dixit, et dicit hoc loco, *natura* fuerit, et *conditio vitae* multo, quam nunc est, simplicior ac liberior, ita ut libere obsequi nascentibus ex natura humana cupiditatibus licuerit. Perbene dictum est *sors o mea l. nascendi, miserumque genus,* h. e. quod natus sum in hoc misero hominum genere, cui etc. Non intellexerat Arnoldus, qui ita distinguit: *sors o mea laeva, Nascendi miserumque genus.* neque N. Heinsius, quum coniiciebat *Nascentis miserumque genus.* Veram interpunctionem post *Nascendi,* iam habent antiquissimae, Romanae et Ven. Achat. Apud Plautum Philto senex Trin. II. II. dolere se, quum suae aetatis mores videat, dicit,

*quia ego ad hoc genus*
*Hominum duravi.*

Apud Ovidium Myrrha, iniquitatem impugnans legum, negantium id, quod natura remittit, invidet gentibus aliis, X. 334.

*Me miseram, quod non nasci mihi contigit illic,*
*Fortunaque loci laedor.*

Seneca Thyest. 878. 9.

*In nos aetas ultima venit.*
*O nos dura sorte creatos.*

Anth. Lat. IV. CXVIII. de puella loco haud obscuro, vel e parentibus locupletibus orta:

*Felix haec visa est* nascendi lege *puella.*

Cf. si placet, Pseudogalli elegia, ab Aldo Manutio edita, ap. Wernsd. P. M. To. III. p. 193. v. 71. sqq. *Tunc Venus — spirabat dulciter ignes, Spiculaque in silvis tuta vibrabat Amor.* Cur mihi non illis nasci, mea vita, diebus Contigit? *invidit quis bona tanta deus*? etc. Aliter Manilio IV. 230. 1. *sors nascendi* dicitur.

Adhuc expedita omnia, neque libri quicquam varietatis offerunt praeter vitia. V. 76. *Infelix illo, non illo* Medic. ap. Burm. Monac. II. *illo qui t. illo.* *ergo* pro *ego* Venet. Rub. et Iens. vitium propagatum per Voss. II. Vic. alias, correctum in Arg. 1502. *Infoelix* cod. Bas. Voss. II. Ven. Iens. Mut. V. 77. *nostra fuit sors* Voss. I. *fors* Mon. I. Vrat. I. *leua* nonnulli, ut Aug. Rom. II. sed *laeva* recte alii, ut Paris. II. III. Rom. I. Mut. *mea la le va* (sic) Mon. II. *sors o mea*

lenta *Nascendi,* D. Heinsii in Hesiod. Ἔργ. 174. coniectura non inepta quidem, sed tamen minime necessaria. Existimabat D. Heinsius locum Catonis totum, *Ergo quod deus* etc. expressum esse ex loco illo Hesiodi: *facilem naturam* esse τὸν ῥήϊστον βίον; *minorem aetatem* esse quod apud Hesiodum τὸ πέμπτον γένος, oppositum θεοῖς καὶ ἥρωσι.

Gravior de versu 78. quaestio, ubi *quo sera libido* in libris omnibus, sed hoc dubium, utrum *est* extremo versu addendum sit, an non addendum. Omittunt *est* Petav. Thuan. Voss. I. si f. s. Leid. Paris. IV. Angl. Aldinae, Flor. Iunt. Venetae 1544. 1555. 1558. Antv. 1556. Addunt Paris. II. III. August. Mon. I. II. Vrat. I. et codices novitii, Bas. Vrat. II. Voss. II. cum Romanis, Venetis antiquis tribus, Mut. Vic. aliis, etiam recentioribus, ut Ascens. Virg. Aldi, Lugd. 1529. Bas. 1543. Lugd. 1556. Mog. 1549. Et mihi quidem, cui semper persuasum fuit, finiri hoc versu sententiam, non multum differt, utrum addatur *est,* an omittatur. Malui addere propter sonum pleniorem, quem poetae etiam latini amant in exeunte versu: cf. Huschk. iu Tibull. I. I. 34. IV. 4. Punctum post *libido est* iam habent Romanae, et caeterae fere omnes; Pithoeus vero cum signo exclam. *quo sera libido est!* Contra qui editores *est* omittunt, aut plerique aut omnes, praeeuntibus Aldinis, sublata interpunctione, verba haec *quo sera libido,* nescio quo modo, construi cum versu seq. voluere. Deinde *quo* nonnulli in *et* mutaverunt. id ego reperio in Antverp. 1566. et 1580. in Scaligeranis, Lugd. 1592. apud Boxhorn. Burm. Arnold. Wernsdorf. et ap. D. Heinsium l. l. *o sera libido!* vel *pro sera libido!* coniecturae N. Heinsii, quarum hanc approbant Burmannus et Putschius. Nos *quoi* restituimus, emendatione longe facillima. Eam quum iam manibus tenebat, rursus elabi sibi passus est Putschius. Sane fieri nequit, quod statuit Badius, ut *quo* significet *in quo.* Sed video explicandum esse, quid sit quod *seram* Cato sua aetate *libidinem* esse dicit. Nam ut Badii explicationem taceam, quae prorsus mori sensibusque veterum hominum repugnat, coniiciat aliquis, *seram* libidinem dici tardam, quae saepe interruptum videt commercium amatorium, cui saepe multum exspectandum, ut amoris fructum percipiat, quum olim felicior aetas semper paratum amorem habuerit. Quo fere sensu poeta Germanorum, quem hoc ipso tempore, intra paucos dies iam iamque ereptum rebus nostris cum horrore comperi, et restitutum orbi admirabili naturae beneficio esse gavisus sum, semper-florens Goethius:

In der heroischen Zeit, da Götter und Göttinnen liebten,
Folgte Begierde dem Blick, folgte Genuss der Begier.

Verum tum *sera voluptas* dicendum erat Catoni, non *libido.* Igitur

etsi certissimum est, hoc male habere Catonem, quod non liceat, quum libuerit, sententia tamen, quam dicit, alia est, ac nova. *Libidinem* ipsam *seram* dicit, h. e. non amplius suae aetati aptam. *Serum* est enim, quod ita venit, ut non amplius sit usui. Et sic *libido* ea aetate, qua non satis fit libidini.

*quo saeva libido est* Silligii coniectura, quam nunc, puto, ipse reiecit. *sero* Paris. III. Basil.

V. 79. 80. (182. 3.) TANTAM VITAE IN ME CORDIS FECERE etc.

*Tanta meae uitae cordis*] Lego :

*Tanta meae uitae cum Diis fecere rapinam.*

Sic Graeci semper σὺν θεοῖς. Ennius — *uolentibu' cum magnis Dis.* Sed hic in malam partem, vt Graeci non raro. *Tanta*, Graecismus est, τόσσα, haec omnia. Est ἐπιφώνημα. *Cordis*, pro *cum dis.* ut apud Varronem [in Varr. de R. R. p. 218. HSt. Cf. Scaligerana p. 103.] *Cordo,* pro *condo* etc. Neque, ut puto, alia melior lectio. Putaui tamen aliquando, posse legi : *Tanta meae uitae excordis.* Graeci in eum sensum ἀκήριος. ut ὄνειρος ἀκήριος Apollonio Rhodio: hoc est ἀμενηνός. Cognatum illi ex Prometheo Attii :

*Sic me ipse uiduus noctes excipio anxias.*

Me viduus, ἐγὼ κένανδρος, puto fuisse in Graeco : quod inueni in commentariis Grammaticorum. Et in Tragoedia quod scriptum fuit : *Ita me destituit nudum,* est eiusdem sententiae, alludens nimirum ad illud Homericum : ὄφρα με γυμνωθέντα κακὸν, καὶ ἀνήνορα θείῃς. et Hesiodus — ὅτ' ἀνέρ' ἀνήνορα ποιεῖ. Nam *Me uiduus*, κένανδρος, ἀνήνωρ, idem. Sed in Tragico illo κακήφατον commisit ille, qui dicit se destitutum nudum a Virgine : utpote quod in obscoenum sensum detorqueri possit. Itaque sic illustramus locum ex Tragoedia, in erudita Ciceronis epistola ad Paetum. Sed ut ad rem redeamus, non censeo mutandam lectionem in *excordis*, sed, ut dixi, in *cum dis.* Atque haec in Diras satis. quas qui ex correctione nostra legerit, tantum abest, ut ex illis aliquid boni expiscari possit, ut secundum illum Terentianum, incertior multo discedat, quam prius. Nihil enim aliud praestare potui. Quod tamen aequos lectores quidquid laboris est, boni consulant, etiam atque etiam oro. SCALIGER.

Aliud tentasset haud dubie vir magnus, si libros habuisset. Nunc nihil ante oculos habuit, nisi scripturam vulgatam editorum, inde a Romanis, omnium :

*Tanta meae vitae cordis f. r.*

Recepit emendationem Scaligeri Arnoldus. Et laudat versum sic scriptum, *Tanta meae vitae, cum diis, f. rapinam*, Acidalius in Plaut.

Mil. p. 278. sed dubitans, an possit *cum diis* in malam partem dici. *Tanta* eo fere modo, quo Scaliger, accipiebat Domitius, cuius haec est explicatio, si hanc possis explicationem dicere: *Tanta. mala mihi fuere: ut ita maneam quod me vix posses cognoscere.* Domitium sequitur Gl. V. I. Fuisse qui hic continuari coeptam verbis *quo sera libido* sententiam opinarentur, monitum est ad vs. praeced. Ut in Aldinis: *quo sera libido Tanta meae uitae* etc. at tamen harum posterior a. 1534. recte monstrat corruptum esse versum: nam asteriscum praefixum habet. Iam de emendando multi cogitaverunt, post Scaligerum, multis modis. Minatur aliquid praeclari Boxhornius, sed non praestitit, quod ego sciam. Heinsio nunc *cordis* corruptum videbatur, mutandum in *sortis* vel *sorti*, hoc modo: *Fata meae tantum* (puto *tantam*) *sortis fecere ruinam.* vel aliter: *Tantam fata meo cordi fecere ruinam.* vel denique *mei morbis fecere rapinam.* *Tantum mi vitae curae* Francius. Silligius: *Tantum vita mea est! cordis f. rap.* scil. sors et genus. Putschius: *Fata meae vitae partis f. rap.* ut pars vitae dicatur Lydia. Et pars quidem harum emendationum librorum scriptorum auctoritate nititur, ab Heinsio collatorum, quibuscum mei scripti omnes consentiunt in eo, quod *meae* tertio positum loco habent, non, ut vulgo, secundo. De antiquioribus loquor: nam classi recentiori, Basil. Vrat. II. Voss. II. ut alibi, ita hic quoque cum vulgata convenit. Igitur *Tantum vitae* (vel *vite*) *meae cordis* Thuan. Paris. II. August. et sic Paris. III, vel Anglicanus, vel uterque; nam de his duobus est quod dubitem. *Tantam uitae meae cordis* Par. IV. *Tantum vitae meae cordi* Voss. I. et Leid. *Tantum vitae cordis* Petav. ap. Heins. *Tam vitae meae cordis* Medic. ap. Burm. *Tantum uita meae* (vel *mee*) *cordis* librarii correctio, metro prospicientis, in Mon. I. II. Vrat. I. Hinc quod ego feci, *Tantam vitae in me cordis fecere rapinam*, et mutatio est longe facillima, et magnam a tota Catonis disputatione commendationem habet. Partem carminis huius extremam totam in eo versari vidimus, ut suam Cato aetatem accuset, et de vitae conditione, quae nunc sit, conqueratur. Quod igitur v. 48. dixerat, *conditio*, et v. 52. *Conditio vitae*, id nunc breviter *vitas* dicit. Itaque non inepte Badius: *Vitae meae fecere tantam rapinam cordis: id est tantum abstulerunt a corde meo*: etsi non intelligitur, quomodo effici hunc sensum e scriptura vulgata *Tanta meae* etc. posse putaverit. Deinde *vitas* non, ut Badius, de unius vita Catonis, sed accipio sic: vitae hominum, vitae quales nunc sunt. Fateor autem singulari modo hoc dictum esse, *vitae.* Ut alia nonnulla apud Catonem. Non quod per se insolens sit *vitae* numero plurali, sed hac sententia. Annotavi locos hos, in quibus unus tamen et al-

ter prope accedit ad sententiam Catonis: Plaut. Pseud. I. II. 47. Terent. Adelph. III. III. 61. Virg. Georg. IV. 224. Aen. VI. 433. Manil. II. 85. III. 58. Boethius C. Ph. III. p. 69. *animas* — vitasque *minores*. Operae pretium faceret, si quis, quod non memini a quoquam factum esse dedita opera, insolentiores plurales eiusmodi colligere instituerет. Nonnullos Gronovius ad Plaut. Trin. II. IV. 89. Unam reliquam dubitationem habeo, quae tamen non tam sententiam Catonis ipsam, quam aestimationem Catonis codicum attinet. Possit aliquis vulgatae amore, cuius sane, maxime ubi a Mutinensi sustentatur, et ab Aldinis, ut hoc loco, haud contemnenda est auctoritas, relictis libris scriptis, hoc legere velle ordine: *Tantam in me vitae cordis f. r.* Nullo sententiae discrimine. Eumque ordinem mihi olim placuisse, nunc autem non displicere, fateor.

Rursus insolenter dictum *cordis rapina*. Sed ea insolentia, quae ferenda in Catone. *cordis*: quia moestitia cor consumitur atque comminuitur, ut apud Graecos *κῆρ*. *φθινύθεσκε φίλον κῆρ*, et similia: unde Cicero notis versiculis, Q. Tusc. III. XXVI. *Ipse suum cor edens*. Lucretius VI. 1231. *Deficiens animo*, moesto cum corde *iacebat*: de iis, qui se correptos a morbo isto sentirent in urbe Athenarum. *cordolium* de vehementi amoris desiderio, Plautus Cistell. I. I. 67. Anthol. Lat. IV. CLIII. 10. Supra noster: *Cur ego crudelem patior tam saepe dolorem*?

*Ut maneam, quod vix* etc. ut vix quicquam de me sit reliquum. Cordis consumptionem comitatur ac sequitur formae mutatio. Sic noster iam supra: *At male tabescunt morientia membra dolore*, etc. Commode Arnoldus Propertium contulit, I. v. 21.

*Nec iam pallorem toties mirabere nostrum,*
*Aut cur sim toto corpore nullus ego.*

Et Cato quoque haud dubie utrumque significat, pallorem, et maciem. De macie eorum, qui amoris consumuntur desiderio, unus ex multis locus Theocriti est II. 89. sq. Thyonichus Theocriti XIV. 3. de Aeschine, quem Cynisca vexabat: *ταῦτ' ἄρα λεπτός, χὠ μύσταξ πολὺς οὗτος, αὐσταλέοι δὲ κίκιννοι.* Cf. Theocr. XI. 69. *λεπτὸν ἐόντα.* Callim. Epigr. XXXII. 3. *ὀστέα σοι καὶ μοῦνον ἔτι τρίχες.* ubi quod male habebat Valckenarium, et olim Jacobsium, *τρίχες*, id defendo, atque illustro, illo Theocriti loco in Thyonicho. Ovidius Epist. ex P. I. IV. 5.

*Nec si me subito videas, agnoscere possis:*
*Aetatis facta est tanta ruina meae.*

quod tota conformatione sententiae simile Catoni. Cf. Ovid. ibid. I. x. 25. sqq. Etsi Cato, quod multo fortius, se ad nihilum redactum esse dicit, vix ut *cognosci* queat; Ovidius hoc tantum, se sui dissimilem

factum esse, ut nequeat *agnosci.* Cum Ovidio Callimachus Epigr. XXXII. 2. *οὔ σ' ἔγνων. σχέτλιε, τίς γέγονας;* et Terentius Eunuch. II. i. 19. *adeon homines inmutarier Ex amore, ut non cognoscas eundem esse?* Verum Terentius de moribus amantium loquitur, non de corpore. Singulare est, quod Aldinae exhibent cum Mediceo, Paris. IV. et Anglicano, *quod uix oculis c. possim.* sed futile, non defendendum locis, qui magis videntur similes esse, quam sunt, Lucretii VI. 1212. *neque se possent cognoscere ut ipsi.* aut Propertii I. v. 18. *Nec poteris, qui sis, aut ubi, nosse miser.* Mirabar Pamphili versum, quem repperi in Alberti de Eyb Margarita Poetica fol. 102. ed. Rom. Han. 1475. *Non sum qui fueram vix me cognoscere possum.* Nam illa Goldasti Erotica sive Catalecta Ovidii, quibus Pamphilum contineri Leyserus Hist. Poetar. med. aevi p. 2071. et Fabricius me docuerunt, frustra quaesivi. Mirabar autem, quoniam non videbatur incredibile, Pamphilo isti locum obversatum Catonis esse, in posteriore versus parte. Prius hemistichium a Propertio I. xii. 11. vel ab Ovidio Trist. III. xi. 25. vel potius ab suo compare sumpsit, Maximiano, Eleg. I. 5.

Pro *quod* in Ven. Achat. et Mut. *ut* legitur. et sic, non *et*, ut Burmannus dicit, in Voss. I. fuit a m. pr.

---

# DISSERTATIONES

# IV.

Lat. Auth.
§ – Virgil – Minor Poems.

# I.

# DE VIRGILII LIBELLO IUVENALIS LUDI.

Virgilium praeter tria opera maiora, Bucolica, Georgica, Aeneidem, et maxime ante ea opera, alia scripsisse, minora, tam per se probabile est, ut nihil ei, qui ita factum esse contenderit, sed contrarium ei, qui factum esse neget, probandum sit. Magis, non dicam mirum, sed inexspectatum, eoque magis laetum, videri debet, quod illa iuvenilis exercitationis specimina vel ludentis per otium ingenii subita inventa conservata sunt ex parte, tempusque viderunt nostrum. In plerisque scriptoribus operum matura aetate diligenter elaboratorum praestantia, et apud antiquos iudices aestimatio, in ruinam traxit iuvenilia, minus perfecta, ex tempore fusa. Virgilium quod attinet, inter carmina minora, quae tribuuntur Virgilio, unum et alterum tam bona auctoritate tribuuntur, et ab idoneis testibus comprobantur, ut etiam alia, cum illis edi solita, nisi per se Virgilio sint indigna, pro Virgilianis haberi possint. Non exspectandum est enim, ut omnia carmina Virgiliana singula suum quodque locupletem testem habeant. De *Culice* nulla dubitatio: testes, satis multos ac locupletes, Heynius monstrat Prooemio in Culicem. Quibus addere licet quamvis minori auctoritate testimonium, Focae Grammatici in Vita Virgilii versibus scripta. *Copam* testatur Sosip. Charisius I. c. 47. *Catalecta Maronis* sua aetate exstitisse Ausonius testatur; *Prolusiones* Diomedes loco infra laudando. Et de singulis carminibus e Catalectis Ausonius, Quintilianus, Marius Victorinus: de epigrammate *Corinthiorum amator iste verborum*, Ausonius et Quintilianus; de epigrammate in *Noctuinum* Marius Victorinus. Cuiusmodi testimoniis comprobari atque confirmari non solum carminum eorum, quae illi diserte laudant tribuuntque Virgilio, sed etiam aliorum in Catalectis carminum auctoritatem, recte sensit I. H. Vossius ad Virg. Ecl. VI. 31. p. 303. seq. Quod enim aliquis dicat, Quintilianum unius

tantum e Catalectis sponsorem esse, non omnium: vide quae haec futura esset iniquitas, quod in Catulli, Horatii, aliorum, carminibus nemo postulat, ut singulis carminibus suus cuique testis ac sponsor sistatur, id postulare velle in Catalectis Virgilii.

Minus boni testes, sed tamen audiendi, qui opuscula Virgilii complectuntur omnia, Donatus et Servius. Donatus, qui dicitur, Vita Virgilii cap. VII. postquam commemoravit distichon in Balistam: *Deinde Catalecton, et Moretum, et Priapeia*, (Vicentina et Vossianus II. *Priapeiam*:) *et Epigrammata, et Diras, et Culicem*, et paullo post, interiectis nonnullis, quae ad Culicem spectant: *Scripsit etiam de qua ambigitur, Aetnam.* Servius, si hic dici queat Servius, Praefatione in Aeneidem, commemorato disticho in Balistam: *Scripsit etiam* [*septem sive*] *octo libros hos*: *Cirinam, Aetnam, Culicem, Priapeia, Catalecton, Epigrammata, Copam, Diras.* Quae uncis inclusi, leguntur in libro meo Augustano, et in Leidensi, Catal. Bibl. Publ. U. L. B. p. 324. nr. 5. sed desunt in Veneta Rubei, Vicentina, aliis. mox *Ciriniam* Veneta Rub. et Vicent. *cinna*, ut videtur, Augustanus, sed manus recentior inde *cirina* fecit, vel *cirna*. similia monstra apud Burmannum. *Cirena* codex quem dixi Leidensis. Taceo alia vitia, ut *Priapeiam* Venet. Rub. *triapeia* August. et *catalector* in eodem, sed hoc a manu recent. E Servio ista in Vitam Virgilii illata sunt eam, quam ex Veneta Achat. 1472. Maittairius protulit, ego in Veneta Achat. 1473. habui: *Primus eius uersus. disticon in Balistam latronem ludi magistrum. Dehinc compositi sunt ab eo libelli*: *Cirna Ethna Culex Priapeia Cathaleton Copa Dire Epigramata.* Et ex eodem Servio in Vita Virgilii ea, quae legitur in Breviloquo Vocabulario, qui Guarino tribuitur: *Scripsit Bucolica Georgica et Aeneidem. Praeterea et octo libros hos. Cirna* (vel *Cirnam*) *Etnam. Culicem. Priapeam. Catalecton. Epigrammata. Copam. Diras.* Minus bonos hos esse testes dixi, tum quia manifesto falsa veris miscent, ut quum Aetnam referunt ad Virgilium, et Diras; tum quia ipsi, quam antiqui sint, valde incertum. Donati quidem Vita ista ad quam aetatem pertineat, nemo dum dixit. Servii autem in Aeneidem Praefationem, qua locus iste continetur, totam non antiqui illius Servii esse, sed recentioris cuiuspiam, haud iniusta est suspicio. Abest enim a libris multis, ac fortasse optimis. Locus autem ille ipse unde illatus sit, demonstrare probabiliter licet. Nimirum ex Donato. Unde etiam illud explicatur, quomodo in libros mirum istud *septem sive octo* venerit. Septem sunt apud Donatum opuscula, si annumeraveris Aetnam; apud Pseudoservium, qui Moretum omittit, sed Copam de suo addit, et Ciriu, octo. Vel sic tamen aliquid tribuendum Donato et Servio isti censeo. Nam ut taceam

Servii locum, quantumvis recentem, tamen non tam esse recentem, quam videatur alicui: si quidem ille in libris haud contemnendae vetustatis legitur, ut in Augustano, et in Leidensi, qui, quod obiter observo, hanc adscriptam notam habet: *Servium hunc contulit Nic. Heinsius et notavit litera L.* ut igitur hoc taceam, aliunde doceri potest ista sua Donatum Pseudoserviumque non primum tradidisse, et finxisse ipsos, sed tradere ab aliis accepta, et rumore satis antiquo confirmata. Mature exstitit opusculorum Virgilianorum collectio quaedam, ea fere continens, quae illi tribuunt Virgilio. Codicum Virgilianorum, qui quidem opuscula sive carmina minora Virgilii continent, antiquissimi, et quantum nobis constat, optimi, non alii alia, sed eadem omnes, et quidem illa fere, quae recensent Donatus Serviusque, continent, eaque, quod gravissimum est, communi titulo comprehensa, qui hic est: VIRGILII IUVENALIS LUDI LIBELLUS. Id primum de suo libro Petrus Bembus docuit, ut referam, quum ad describendum eum librum pervenero. Atque idem titulus in Petaviano, Thuaneo, Augustano, in Parisino IV. uno Mediceo, et in libro Scaligeri, ut monebitur a me in Thuaneo. Quando primum inventus sit titulus, et quando institui coepta, cui ille praeponitur, collectio sit, etsi nemo pro certo dicat, tamen hoc certum est, codices, in quibus nunc ea habetur, qui quidem ipsi satis sunt antiqui, ex aliis descriptos antiquioribus, et hos rursus ex aliis fuisse: ut satis remotae antiquitati, et quae facile aequet, vel etiam superet istorum Donati et Servii aetatem, vindicari et collectio illa et titulus ille possint. Egregie huc facit epigramma ex Schedis Vossii editum a Burmanno Anth. Lat. lib. II. CLXXXII.

*Vate Syracosio qui dulcior, Hesiodoque*
*Maior, Homeraeo non minor ore fluit:*
*Illius haec quoque sunt divini elementa poetae,*
*Et rudit in vario carmine Calliope.*

Quod iam Heynius ad Donati Vitam Virg. VII. 28. scriptum in collectionem quamdam poematum Virgilianorum, vel praefixum fuisse collectioni eiusmodi vidit. Quaeritur utrum huic, de qua nos nunc agimus, an antiquiori, minus amplae; an forte solis Catalectis. *rudit* versu ultimo aut vocem inconditam, cantum nondum satis excultum, significare putabam, aut omnino cantum. Proprium hoc est scriptorum minus bonorum, recentiorum, ut inepti fiant, dum exquisita et minus usitata ibi captant, ubi quo simpliciora verba sunt, eo sunt aptiora. Nemo hac in re impotentior Nonno, qui ubique sine delectu frequentat ista: *ἴαχε, μυκήσατο, βρυχήσατο, ἀνήρυγε, ἐρευγομένη, βοόων.* Sine delectu, inquam: ferrem enim, si hanc loquendi vehementiam monstris tantum tribueret, ut est Typhoëus, iisque qui affectibus usque ad insaniam com-

moti sunt, ut solent esse personae Nonni. Verum ille etiam in tranquillis sermonibus, ubi nulla singularis affectio animi, usurpat ista. At quanto melius aptiusque est, quod ego quum divinando assequi debuissem, ex Vratislaviensi III. restituo, in quo epigramma illud Catalectis subiectum legitur:

*Et* rudis *in vario c. C.*

Quod illud codex Vratislaviensis subiectum Catalectis habet, ex eo haud absurde colligas poetam, quum faceret epigramma, non Culicem, et quae sunt reliqua carmina minora, sed tantum Catalecta ante oculos habuisse. Et profecto de his quoque verum est, quod dicit: *vario carmine.* Ut redeam illuc: mihi *iuvenalis ludi libellus* satis antiqua appellatio videtur, non male facta: nam re vera lusus sunt; *ludum* autem sic dixit, ubi aliquis *lusum* exspectet, Virgilius Ecl. VII. 17. tum etiam originem appellationi dederit, quod Culex, quod primum in collectione carmen fuit, hoc vocabulo *Lusimus* incipit. Sic Focas Grammaticus Anth. Lat. II. 60. *Hinc Culicis tenui prolusit funera versu.* vel *praelusit.* Statius in Silv. Lib. I. Praef. *Sed et Culicem legimus, et Batrachomyomachiam etiam agnoscimus: nec quisquam est illustrium poetarum, qui non aliquid operibus suis stilo remissiore praeluserit.* Et *Prolusiones* Diomedes dicit, etsi hoc de iis, quae nos *Catalecta* appellamus, accipiendum esse videbimus, non de Culice et reliquis. Quod vero *Catalectorum* appellatione, quae carminibus brevioribus illis, epigrammatis ad Tuccam, in Annium Cimbrum, aliis, reservari debet, viri docti multi etiam Culicem, Diras, reliqua, comprehendunt, id faciunt sine ulla auctoritate. Ita quem titulum prae se ferebat editio Scaligeri, tum prior illa a. 1573. tum repetita per Lindenbruchium, *P. Virgilii Maronis Appendix*, Ioannes Maire in edit. Lugd. Bat. 1617. puto, ut fraudem faceret, novumque ut edere librum videretur, sed male, hunc in modum mutavit: *Catalecta Virgilii* etc. Alia Culicis, Dirarum, et quae reliqua sunt paullo maiori ambitu, haud inepta appellatio est *Opuscula.* qua utuntur I. Badius Ascensius, editio Lugdunensis I. Crespini, alii.

Ut aetas atque origo collectionis eius, quam dixi, incerta est, ita nec de consilio eius, qui primus illam facere instituit, deque mutationibus, quas illa per varia tempora experta sit, certi quicquam statuere licet. Collectio illa, ut nunc est in codicibus, quos dixi, non tam opusculorum Virgilianorum, quam variorum carminum ac poematum tum Virgilii, tum aliorum, collectio est. Qua in re incertum, utrum is statim, qui primus instituit collectionem, Virgilianis poematis alia, quae sciret aliorum esse, non Virgilii, adiecerit: quae deinde posterioris temporis errore atque culpa Virgilio adscripta fuerint; an haec, quod malim, primitus Virgilianorum

opusculorum, h. e. eorum, quae Virgilio aut ab omnibus aut a multis tribuerentur, collectio fuerit, in quam postea grammatici, tanquam in commune receptaculum, alia aliorum poemata coniecerint. Praeterea quae insunt non Virgiliana, ut ipsa inter se multum differunt antiquitate, ita nec illata eodem tempore in collectionem, sed diversis temporibus esse, ab alio aliud, probabile est. Ego, ut aliquid dicam, dum ea, quae ad *Libellum Iuvenalis Ludi* pertinere certum est, considero singula, inchoatam hanc collectionem non multo post Virgilium tempore, absolutam, atque completam eum in modum, quo nunc cernitur in codicibus nostris, saeculo sexto aut septimo coniicio.

Quae pertinere ad *Iuvenalis Ludi Libellum* certum est, haec sunt: *Culex*, *Dirae*, *Copa*, *Est et Non*, *Vir bonus*, *Rosae*, *Moretum*. Haec enim in tribus codicibus, Thuaneo, Petaviano, Augustano, ut in Bembino, sub communi inscriptione *Virgilii Iuvenalis L. L.* leguntur et singula nomen Virgilii gerunt. Addidi Petavianum, etsi *Moretum* fuisse in Petaviano coniicio magis quam scio. At nihil mirum, si hic et ille librarius unum alterumve poema omiserit. Parisinus IV., ut traditum est mihi, *Priapeia* addit, sed omittit *Est et non*, *Virum bonum*, *Moretum*. *Priapeia* addit etiam Mediceus Plut. XXXIII. xxxi. sed ex reliquis poematis maioribus haec tantum habet, *Culicem*, et *Diras*. Neque hoc indignum memoria, perbonas editiones, Mediolanensem 1474. et Mutinensem, eadem opuscula illa, quae sunt in Thuaneo, et reliquis, habere, etsi non habent inscriptionem illam. Iam, ut comparationem cum Donato Servioque instituam, *Priapeia* cur non fuerint in *Libellum I. L.* recepta, plures praesto sunt caussae: partim propter obscenitatem, partim quod omni tempore de hoc opusculo, an non esset Virgilianum, dubitatum est. Hoc idem de *Aetna* valet, de qua ipsum dubitantem audivimus Donatum. De *Ciri* unus testatur Pseudoservius, quem tamen quominus supra modum contemnamus, obstat codicum, quos dixi, sub quorum monstris *Cirena*, *Cirna*, *Ciriniam* etc. nemo *Cirin* nomen latere negaverit, haud contemnenda vetustas. Supra modum Servium, ut exemplum ponam, contemneret, si quis saeculo decimo quinto aut totam Praefationem istam scriptam, aut *Cirin* intrusam in locum Servii eo saeculo contenderet. Itaque ille si nihil amplius, certe hoc probat, ad saeculum nonum, decimum, undecimum, duodecimum, obscurum quemdam rumorem de Ciri Virgilii poemate permanasse. Neque negligendus Servii locus alter in Eclog. VI. 3. Eius mentionem fecit I. H. Vossius ad Ecl. eiusd. v. 74. p. 328. *Alii Scillam eum, scil. Virgilium, scribere coepisse dicunt: in quo libro Nisi et Minois regis Cretensium bellum describebat: alii de bellis civilibus dicunt: alii de tragoedia Thyestis.* Quae qui scripsit, de Ciri cogitavisse, eamque Vir-

gilio tribuisse videtur. Quamquam non alia huius loci, quam illius prioris, conditio est: deest enim in libris non paucis, ac fortasse melioribus omnibus; etiam in Augustano, qui, ut alii, haec tantum Servii ad versum 3. exhibet: *Cum canerem reges et proelia*: *cum canere uellem. ct significat aut aeneidẽ aut gesta regum albanorum quae cepta omisit nominum asperitate deterritus. Cinthius*: *apollo a cintho monte deli in quo natus ẽ. Aure m uellit*: *id. ẽ monuit. alibi postesq; a cardine uellit.* etc. *monuit* vitiose pro *movit.* Difficilior de *Catalectis* quaestio, cur sint ab *Libello I. L.* exclusa, quum tamen a Donato Servioque commemorentur, et sua virtute locum meruisse, et vero obtinuisse in antiquioribus Virgilianorum opusculorum collectionibus praecipuum videantur. Equidem ea, quod epigrammatis constarent, magnam partem brevibus, et ad communem intellectum parum utilibus, exclusa esse, iisque relicta, qui vellent epigrammata colligere, suspicor. Ex meis antiquis unus Vossianus I. Catalecta coniuncta cum Copa, Rosis, Diris, et Moreto habuit. Caeterum Catalecta rursus usque ad eum epigrammatum sive carminum numerum augenda esse, qui olim fuit, mox videbimus: quamquam ne sic quidem plena atque integra erunt Catalecta. Suspicio est enim perisse nonnihil de carminibus Virgilii iis, quae ad Catalecta pertinebant. Restat ut de *Epigrammatis* videamus, quae Virgilium scripsisse, praeter Catalecta, Donatus Serviusque referunt. Et de his quidem duas opiniones habeo. Aut enim Donatus *Epigrammatum* nomine comprehendit haec, quae non recenset singulatim, Virum bonum, Est et non, Copam, Rosas; aut, quod magis probabile, ante oculos habuit iam auctam collectionem farraginc carminum atque epigrammatum, quam in codicibus nonnullis, et amplissimam in Veneta Rubei videbimus. Sunt in his nonnulla, spectantia ad Virgilium, quae Donati istius aetas tribuebat Virgilio: *in Balistam, Nocte pluit tota, Hos ego versiculos feci, Mantua me genuit.* Sunt alia, quae quo modo et qua de caussa illata fuerint, manifestum est: ut Argumenta metrica in libros Georgicorum, Aeneidos. Denique alia multa quae prorsus nihil cum Virgilio commune habent, in collectionem opusculorum Virgilianorum, tamquam in stabulum, vel horreum, communi omnium commoditati apertum, coacta sunt: primo hac conditione atque cautione, ut suis quaeque auctoribus, quantum posset fieri, assignarentur; mox ita, ut Virgilio adscriberentur omnia. Sed hoc tamen sero factum est. Non puto codicem inveniri, ante inventam artem typographicam scriptum, qui ista quae coniuncta sunt in Veneta Rubei contineat Virgilioque adscribat omnia. Ex plenissimis Thuaneus est: verum is Hortulum, de Vino et Venere, de Livore, de Cantu Sirenarum, vel, ut est in eo libro, *De Laude horti,* DE LIBRISDINEET (corrigit

Is. Vossius: *de libidine et*) VINO, DE *interno labore*, DE SIRENIS, et quae sunt alia eiusmodi, plerumque recte suis ineptulis auctoribus, Asmeno, Vitali, Vomano, EVF. id est Euphorbio, et qui sunt alii, assignat. Plerumque, inquam: namque est etiam ubi ridiculas fabulas de Virgilio Thuaneus sequitur, ut in epigrammate sive epigrammatis de Morte trium. Petavianus quoque vera auctorum nomina ponere solet, i. e. scholasticorum et grammatistarum nomina: etsi alia nonnunquam, quam Thuaneus, ponit in his carminibus, quae ei sunt cum Thuaneo communia. Conferantur alii, qui in Catalogis Bibliothecarum describuntur, e. g. Mediceus Plut. XXXIII. XXXI.

Nunc percensebimus breviter carmina quae commemoravimus omnia, ut appareat quantum in iis Virgilianum insit.

*Culicem* primo, ut nunc est, si maculae abstersae librariorum fuerint, Virgilii opus sive opusculum iuvenile esse certum est. De commento Heynii quid alii sentiant, non comperi: ego nunquam intellexi, quomodo quae multa ac verissime reprehendit in Culice, hoc efficere apud Heynium potuerint, ut vehementer, et plane incredibilem in modum interpolatum censeret Culicem. Nam quae ille monet rectissime, infelicem esse summam operis, poetam plurimum laboris ac temporis in parerga atque ornamenta impendere, et in locis poeticis communibus versari perpetuo; deinde, quod iam sensit Episcopus Aleriensis, dicendi genus, iusto durius hic illic, parum politum, et quasi inhabile: quae tamen omnia non tantum valent, ut malum poetam dicas: quid tandem probant? cuinam poetarum generi propria sunt omnia? Nimirum poetae novitio, iuveni. Non tempero mihi quin eius, qui primus edidit Virgilium, Ioannis Andreae Episcopi Aleriensis, apponam iudicium, quo nihil me usquam verius scriptum legere de Culice memini. *Equidem Culicem Maronicum ingenue fateor vix me ad plenum intellexisse, iterata etiam atque etiam lectione: neque ob id modo, quod inemendatum habui exemplar: quae res plurimum obstare intellectioni solet: quinimo ob id quoque, quoniam dum id pangeret carmen, novicius adhuc poeta, natalis soli plusquam Castalii fontis praeferens, tantus postmodum futurus totius latinitatis excultor, ac prope summus doctrinarum arbiter Vates, nec quid ageret satis perspiciebat, nec quomodo eloqueretur facillime reperiebat: magisque inclyti poetae adeptum postea nomen, quam proprius ullus nitor, et ipsi Culici et Opusculorum nonnullis, quasi nihil ex amplissimo illo ingenio non absolutum prodierit, peperit alioqui neglectis aeternitatem. Omitto fictionem nullibi in eo poeta minus elegantem, dicendi filum, artemque desidero. eminet sane tamquam stupentis adhuc, nec satis numerosi ingenii dictionis facies quaedam salebrosa, et coacta profe-*

*cto: non fluit naturalis illa quidem, sed affectata qualis potest eluctatur oratio.* Praeter Culicem ab Episcopo Aleriensi ad Virgilium referuntur haec: Dirae, Copa, Est et Non, Vir bonus, Rosae, Moretum. De Priapeiis dubitantem audiemus in recensione nostra editionis Romanae I. Denique addit, satis pro illa aetate caute ac sapienter: *Quae praeter haec opuscula in nostro sunt codice: me arbitro nemo epitaphiis uersiculis duobus exceptis Vati tribuet Mantuano. ex ingenio illa quisque censebit suo. codicem* quum dicit, hanc suam editionem, Romanam I. intelligit, et quos dicit epitaphios versiculos duo, haud dubie sunt *Mantua me genuit* etc. Quid de iis, quae postea accesserunt, in editione Romana II. iudicaverit, non significat: in Aetna tantum titulo, quem fecit ei carmini, dubitationem non tam suam, quam Pomponii, significat.

Pergo ad *Catalecta*. Ea raro inveniri in libris scriptis supra indicatum est; quibus autem in libris meis, et a quibus edita fuerint, dicetur accurate infra in Recensione librorum. Nunc illud observandum, esse Catalecta in editione Heynii, et qui alii antecesserunt Heynium, sed unum dehinc nominare Heynium satis habeo: partim pleniora, quam sunt in editione antiquissima, partim minus plena. Illud bene; hoc non bene, neque dubium mihi quidem videtur, quin restituenda sint Catalectis tria exclusa ab Heynio carmina. Quae plus habet Heynius, haec sunt: carmen VI. (Anth. Lat. I. LXIII.) dulcissimum illud: *Si mihi susceptum fuerit decurrere munus*, etc. deinde carmen IV. (Anth. Lat. II. CCXLV.) *Superbe Noctuine*, integrum habet, cuius in prima editione duo tantum versus priores erant; itemque carmen V. (Anth. Lat. II. CCXLVI.) *Iacere me quod alta* etc. integrum, quod totum aberat ab editione prima. Et partem quidem horum iam suppletam fuisse circa annum 1479. videbimus. Contra omiserunt Heynius, et qui proximi ante Heynium, carmina ad Priapum spectantia tria, a Burmanno in Anthologia Latina iis, quae proprie Priapeia dicere consuevimus, subiecta, LXXXIV. *Vere rosa.* LXXXV. *Ego haec, ego arte* etc. LXXXVI. *Hunc ego iuvenes locum* etc. Quae mei libri, qui quidem Catalecta continent, cuncti, Vossianus I. Romana II. codices Basileensis, Vossianus II. Vratislaviensis II. Venetae Rubei et Iensoni, Vicentina, Veneta 1482. aliae. in Catalectis ponunt Virgilii, et quidem primo in Catalectis loco. Et sic Aldinae. Et hoc quidem fortasse ferri possit, si quis separanda quodam modo haec tria carmina a reliquis Catalectorum carminibus dixerit, ut quae commune argumentum habeant, cuius nulla deinde in Catalectis mentio recurrit, Priapum. Eorum gravis error est, qui his de carminibus duo, *Hunc ego iuvenes locum*, *villulamque palustrem*, et *Ego haec, ego arte fabricata rustica*, Catullo asserere voluerunt, atque adeo recipere inter Catulli carmina ausi sunt, praeeuntibus Vi-

ctorio V. L. XII. III. XXV. XII. et Mureto in Catull. Mirum quam levi de caussa. Accurate hanc rem explicaturus eram: sed nolo actum agere, quum a Santenio brevi annotatione ad Terentian. M. v. 2759. p. 365. confectam, ereptumque illis, quo nituntur, Terentiani testimonium videam. Itaque rectissime Scaliger ad Catulli carm. XVII. virorum doctorum, suamque ipsius in Append. Virgil. ad Priapeia prolatam sententiam reiecit. Sic enim res acta est. Inverso ordine Dukerus, Notis a Burmanno post Priapeia subiunctis, p. 575. prius Scaligerum, ad Catullum, Virgilio attribuisse illud *Hunc ego iuvenes locum,* postea in Append. Virgil. mutavisse sententiam scribit. Quod temporum rationes non ita esse evincunt. Namque Appendicem Virgilii Scaliger anno 1573. emisit, Catullum a. 1577. Ut Virgilio vindicaret carmen *Hunc ego iuvenes locum,* usus est Scaliger ad Catullum Diomedis loco, quo et metro priapeo usum esse Virgilium, et carmina quaedam minora scripsisse docemur, quae Diomedes *Prolusiones* appellat. Supra comparavi inter se similia ad dictionem, *Prolusiones,* et *Iuvenalis Ludi* libellum: *Prolusiones,* ut credere par est propter Diomedem, antiquius est vocabulum, quam alterum. Praeterea ille quum *Prolusiones* dicit, non Culicem et alia Opuscula, sed epigrammata, carmina minora, dicit: ut idem sit *Prolusiones* et *Catalecta.* Sic etiam Scaliger accepit, ubi ea loquutione post Diomedem utitur, in Catull. XXVI. (XXIX.) pag. 35. ed. Commelin. et pag. 54. aliisque locis, quos monstrat index. Diomedes III. 512. ed. Putsch. *Priapeium quo Virgilius in prolusionibus suis usus fuit, tale est:*

*Incidi patulum in specum, procumbente Priapo.*

In editis libris antiquis, ut in Choerilo p. 261., exposui, misere concisus ac mutilatus locus est: quae res Mureto in Catull. XVII. fraudi fuit. Monet etiam Santenius ad Terentianum M. p. 372. Supplevit ante Putschium Scaliger in Catull. l. l. carm. XVII. hunc in modum: *Priapeium quo Virgilius in prolusionibus suis usus fuit: Incidi in patulum specum procumbente Priapo.* ex optimo, ut ait, manu scripto. Praetulerim ita: — *in prolusionibus suis usus fuit ita: Incidi patulum in specum p. P.* ut locum scriptum laudat Scioppius Susp. Lect. lib. V. epist. XXIII. p. 290. Vel potius: — *in prolusionibus suis usus fuit, ita: Incidi p. in sp. p. P.* Videtur enim sententia Diomedis haec esse, Priapeium metrum ita se habere, ut apparet in versu *Incidi p.* Etsi tali in re Diomedes non *ita* particulam, sed *sic* vel *tale est* usurpare solet. Inspexi in Bibliotheca Leidensi, quem illa ex legato Iacobi Perizonii possidet, Diomedem ed. Colon. 1523. collatum cum MS. Ranconeti et aliis. Ibi sic adscriptum ex Codice inveni: *priapeium quo Virgilius in prolusionibus fuit usus, ita incidi patu-*

*lum in specum p. p.* Haec paullo disputavi longius, ut liquido appareat, non diserte Diomedem, si verba rimeris, Virgilio tribuere versum *Incidi p. in sp.* Sed tamen nihil magis probabile quam voluisse tribuere Virgilio. Igitur est versus ex deperdito carmine Virgiliano.

Haec de *Catalectis* dicta in universum sunto. De singulis carminibus ita iudico, esse in Catalectis nonnulla tam bonis testibus comprobata, aut tam digna Virgilio, ut debeant tribui Virgilio; esse alia quae Virgilio tribui nequeant, quum nihil suadeat, ut scripta esse a Virgilio putemus, vel quum sit, quod ea tribui Virgilio vetet. Quod enim in Opusculorum collectione factum est, ut inferrentur, et postea librariorum grammaticorumve imperitia adscriberentur Virgilio, quae aliorum essent opuscula, id etiam in singulis Catalectorum epigrammatis vel carminibus fieri potuit. Ut ab illis incipiam, quae denuo inferri in Catalecta iussi: nam aptiorem sedem, etiamsi non sint a Virgilio scripta, invenient nullam: carmen *Vere rosa autumno pomis*, nemo Virgilio assignare audeat. Quod sequitur, *Hunc ego iuvenes locum, villulamque palustrem*, eadem de caussa, eademque demonstratione Virgilio posse vindicari video, qua idem Catullo attribuere viri docti voluere. Namque *candor sermonis elegantiaque*, quam Victorius merito virtutem esse Catulli praedicat, nativa elegantia, inque simplicitate lepos, etsi huius laudis, meo quoque iudicio, primas fert Catullus, tamen simili quodam modo communes aetati illi, ad quam Catullus et initia pertinent Virgilii, virtutes fuerunt, ut fragmenta aliorum ostendunt non pauca; neque sermonem Virgilii, quo iuvenis teneros illos sensus suos, qui etiam ex maioribus operibus maturioris aetatis emicant hic illic, in lusibus eloquutus est, multum a tenero Catullo diversum fuisse putaverim. Quid? quod exemplis monstratum est, Macrobio VI. I. praeeunte, a Fulvio Ursino ad Aeneid. VI. 27. 30. et alibi, a Scaligero in Catulli Comam B. v. 47. a Valckenario ad eamdem p. 127. sq. a Santenio in Eleg. ad Manlium v. 119. haud raro Virgilio, etiam in operibus maioribus, Catulli obversatos locos esse. Denique, quam meam observationem non inutilem puto, metrum ipsum priapeum Virgilium non minus quam Catullum decet. Quae enim altera insignis poetae Veronensis laus est, quod nonnullorum metrorum artificiosiorum, Sapphici, longioris numeri choriambici *Alphene immemor* etc. iambi puri, et fortasse metri huius priapei inventor Romanis fuisse, alia vero, hendecasyllabum, choliambum, iambicum *Cinaede Thalle mollior cuniculi capillo*, Galliambum, felicius quam alii excoluisse videtur, ut de Elegia nunc taceam: hanc quoque laudem aemulatum esse iuvenem Mantuanum admodum probabile est. Aliquando auctori huius carminis: *Hunc ego iuvenes locum*, quem tum non putabam esse Virgilium, Catulli carmen *Hunc lucum tibi dedico* etc. obversatum esse

coniiciebam, propter similitudinem initii. Verum ea similitudo exigua est, ac fortuita. Virgilio etiam tribuo illud apud Diomedem: *Incidi patulum in specum, procumbente Priapo.* At quod in antiquis Catalectorum editionibus secundum est, *Ego haec ego arte fabricata rustica*, de eo sententiae subscribo Broukhusii: *Sane purissimum est carmen, et castigatissimum. Tamen ego, si quid in his rebus sapio, nec Catullo dederim, nec Maroni.* In iambis puris elaboravisse Virgilium non foret incredibile. Verum enim vero ea est huius carminis in prima sui parte cum altero *Hunc ego iuvenes locum*, similitudo, ut unum ex altero, et quidem hoc iambicum ex illo imitatione expressum, ludendique in eodem argumento periculum, videri debeat. De similitudine monuit etiam Dukerus loco paullo ante laudato p. 574. Ubi ab antiquo exemplo recedit carmen iambicum, medio carmine, et extremo, ibi quod de redeunte ex agnis sub custodia Priapi nutritis pecunia, deque vaccula immolata, narratur, longe petitum alicui videatur, et quaesitum in conclusione, ubi mentula Priapi pro clava utitur villicus, acumen. Quanto ille simplicius, et antiquius: *Quare hinc, o pueri, malas abstinete rapinas. Vicinus prope dives est, negligensque Priapus*: et quae seq. Quod vero similitudinem versus 13. cum Virg. Ecl. 1. 36. attinet, quo argumento vel solo L. Carrio ad Valer. Fl. III. 709. Virgilio hoc carmen vindicabat, certe eodem iure nostrum ex Ecloga Virgilii, quam ex nostro Virgilium, profecisse putabimus. Sequantur duo, quae quum nihil habeant, quod non sit antiquum, Virgilio, cui tribuuntur ab idoneis auctoribus, sine cunctatione adscribenda. Carmen II. ed. Heyn. (Anth. Lat. II. CCXLII.) *Corinthiorum amator iste verborum.* itemque Carmen IV. ed. H. (Anth. Lat. II. CCXLV.) *Superbe Noctuine.* Verissime enim Burmannus versum carmini nonum adiecit: *Thalassio, Thalassio, Thalassio*: atque hunc versum respici ab Mario Victorino existimat, Artis Gr. lib. III. 2585. Putsch. Sic libri, qui quidem integrum epigramma habent, etsi in omnibus bis tantum legitur exclamatio: *Thalasio Thalasio* Vossianus II. *Thalasio thalasso* Vicentina; *Thalasio talasio* Veneta 1482. *Talasio Tutasio* Vossianus I. Eiusdem modi librum ante oculos habuit Vossius ad Catull. p. 74. En Marii Victorini, quem Burmannus tantum obiter commemorat, locum, Artis Gr. lib. III. 2585. Putsch. *Facit praeterea versum iambicum trimetrum tam*, Simonides, *quam*, negotio, *repetitum ter, haud alias quam aiunt fecisse Virgilium nostrum, iambico Epigrammate*: Thalassio Thalassio Thalassio. Quodsi hoc Virgilii, eiusdem erit alterum in Noctuinum, Carm. III. ed. Heyn. (Anth. Lat. II. CCXLIV.) *Socer beate nec tibi nec alteri*, itidem puris scriptum iambis: quod ludit in versu Catulliano: *Gener socerque perdidistis omnia.* Heynius cur dubitet tantopere,

frustra quaero: nisi quod nobis obscura, ac parum iucunda sunt epigrammata, etiam illis temporibus obscura fuisse, aut eam fuisse in Virgilio verecundiam putaverit, nihil ut unquam quod acerbum esset, aut ludibrio licentiaeve simile, scribere potuerit. Porro Virgilio dignissima, hoc est, ita aut suavitate, aut antiqua simplicitate commendabilia, ut non debeant eripi Virgilio, haec sunt: Carm. I. VI. VII. IX. X. XIII. ed. Heyn. (Anth. Lat. III. CCL. I. LXIII. II. CCXLIII. III. CCXLVIII. CCXLIX. II. CXXIV.)

*Delia, Tucca, tibi venit, sed saepe videre.*
*Si mihi susceptum fuerit decurrere munus.*
*Ite hinc inanes rhetorum manipli, ite.*
*Scilicet hoc sine fraude, Vari dulcissime, dicam.*
*Villula quae Scironis eras, et pauper agelle.*
*Quocumque ire ferunt variae nos tempora vitae.*

Quorum illud: *Si mihi susceptum* etc. iam Heynio merito visum est dulcissimum: addo perfectissimum, hoc est, elegantiae aevi Augusti, qualis cernitur in Tibullo, aliis, proximum. At non minus dulcia sunt *Ite hinc inanes rhetorum manipli, ite*, et in summa simplicitate, *Villula quae Scironis eras.* Nam sic legendum hic et in altero carmine, ut etiam in Aldinis, certe in Aldina II. non *Syronis*. Ex meis unus Vossianus I. utroque loco *Sironis*, in quo incertum utrum *Syronis* an *Scironis* lateat. Caetera quae dixi I. IX. quod Heynius nescio quo errore primum edidisse Scaligerum perhibet, et XIII. ut non omnia eodem modo suavia, tamen omnia simplicitatis antiquae venustatem habent, ut verbo dicam, Catullianam. Atque est ea similitudo, quam maxime in sententiarum coniunctione, quae admodum simplex esse solet, et in conformatione periodorum metricarum, positam censeo, talis, saepe ut ipsum Catullum audire tibi videaris. Exemplum ponam Carminis XIII. ad Antonium Musam versus ultimos: *Quare illud satis est, si te permittis amari*: *Non contra ut sit amor mutuus inde mihi.* Usque ad verba simile Catullo Eleg. in Manlium v. 147. *Quare illud satis est, si nobis is datur unus.* Et hoc quidem, *Quare illud satis est*, ita simplex, ut prosae orationi magis quam poesi convenire dicas. Talia sunt apud Catullum non pauca: ut Eleg. ad Manl. 27. *Quare quod scribis, Veronae turpe Catullo* etc. qui prorsus vulgaris stilus epistolarum est, e. g. Ciceronis, ad C. Cassium Epist. XII. II. *Quare quod scribis, te confidere* etc. Ad versum illum: *Non contra ut sit amor mutuus i. m.* admovere licet Catull. LXXVI. 23. *Non iam illud quaero, contra ut me diligat illa.* Mitto minutiora, ut quod *dispeream si*, vel *dispeream nisi*, Virgilio hoc ad A. Musam carmine, et carmine IX. ad Varium, commune cum Catullo XCII. 2. 4. Verum hunc loquendi modum,

ut communis haud dubie sermoni vulgari fuit, ita etiam alii poetae recentiores frequentant: Martial. XI. xc. 8. Anth. Lat. II. lxxv. III. clix. 1. 7. et epigr. apud Burmannum eiusd. Tomi I. p. 670. a. At ne minima quidem negligenda sunt hac in comparatione: veluti quod *si* eliditur Carm. I. ad Tuccam: *Si occulitur*, *longe est* etc. duritie vel libertate Catulliana. Elegiam ad Messalam, quae est in Catalectis apud Heynium Carm. XI. Anth. Lat. II. cxxii. *Pauca mihi, niveo sed non incognita Phoebo,* ut Virgilio tribuere, si qua possit fieri, velim, apud me non tam virtus carminis, quam rudis mediocritas, stilique non satis exercitati saepe conspicua aberratio efficiunt. Namque ut plerumque vitia malum scriptorem, vel recentiorem scriptoris aetatem arguunt, ita, quod iam observatum in Culice, alia mediocritas antiquioris aetatis, nondum omnibus elegantiae copiis affluentis, ingenii boni, sed non exculti, indicium est. Mihi Elegia ad Messalam cum singulari simplicitate sua atque in transitu ab una sententia ad alteram inveniendo paupertate inopiaque, qualem quidem vix in ullo poeta post Augustum reperias; deinde cum isto suo erudito excursu de amica Messalae, et cum ieiunitate eorum maxime locorum, ubi de se suoque consilio poeta exponit, nunc Culicem Cirinque, nunc Catulli elegias, ad Ortalum, ad Manlium, in mentem revocat, et quasi repraesentat. Profecto vix quicquam invenias quod magis simile sit, quam ista Elegiae ad Messal. v. 1. 2. 9. seqq. 55. sq. et extr. disputatio atque excusatio, quod scribere velit, sed non possit, quod tamen scribat, et quid scribat, Catullo est Eleg. ad Manl. maxime v. 31. seqq. Insignis in utroque loco tenuitas, illa, de qua paullo ante monui, ad prosam orationem vulgaremque epistolarum consuetudinem accedens: ut sunt ista in Elegia ad Messal. *Quid de te possim scribere*, *quidve tibi*, et *Quin ausim hoc etiam dicere, vix hominum est.* quibus etiam frigidiora, vel simpliciora: non dico enim hoc ut vituperem bonum poetam: illa Catulli, loco quem dixi. Haec est de stilo Elegiae ad Messalam observatio praecipua. Alia, quibus illa Virgilio similis, animadvertit Scaliger, et Wernsdorfius Poet. Lat. Min. T. III. p. 121. qui etiam de loquutione Virgiliana *Namque fatebor enim* monuit post Burmannum. Add. Virgilius: *Dulces Camoenae*: *nam fatebimur verum, Dulces fuistis.* Ciris v. 55. *Nam verum fateamur*: *amat Polyhymnia verum.* De versu Elegiae 17. et Virg. Eclog. I. v. 1. Wagnerus monuit. idem de v. 1. 2. et Virg. Ecl. X. v. 1. 2. Versum 5. *Horrida barbaricae portans insignia pugnae,* cum Catull. Coma B. 13. comparaverunt Vulpius et Burmannus Addend. in Anth. L. T. I. p. 733. b. Ad versum 7. mihi in mentem veniebat Elegiae ad Ortalum v. 3. Sed hanc tamen levem esse similitudinem fateor. Itaque etsi hanc Elegiam Virgilio non tribuerim diserte, donec

aliquis quae insunt ad historiam pertinentia, quae quidem mihi nondum sunt penitus perspecta, expediverit, tamen contra Heynii sententiam non solum priorem illam, sed etiam posteriorem, qua Augustei fetum saeculi, sed, ut videtur, declinantis, esse concedebat, antiquam esse, hoc est, tam antiquam, ut possit ab iuvene scripta Virgilio esse, statuo. Imperitiam concedo: verum, ut dixi, duplex reperitur imperitia, una declinantis a suo fastigio artis, altera enitentis ad fastigium. Post haec sponte intelligitur non ferendum esse versum, qualis vulgo est 48. *Saepe audendo mare vincere, saepe hiemem.* Mei, codices Basileensis et Vossianus II. Venetae Rubei et Iensoni, Vicentina, Veneta 1482. et Veneta Burmanni: *S. audendo mare et.* quod memorabile est versus fulcrum: an a primo editore? Alios non collatos habeo ad hunc locum. Quae restant carmina, V. VIII. XII. XIV. ed. Heyn. (Anth. Lat. II. CCXLVI. CXXX. CXXIII. LXV.)

*Iacere me, quod alta non possim, putas.*
*Sabinus ille, quem videtis, hospites.*
*Adspice, quem valido subnixum gloria regno.*
*Quis deus, Octavi, te nobis abstulit? an quae.*

nemo, puto, unquam adscripturus Virgilio fuisset, nisi, quod per se non satis validum firmamentum, mature casu, vel colligendi libidine, in viciniam societatemque carminum venissent Virgilianorum. Si quid tamen hic quoque sensui tribuendum, ego quod postremo loco posui, *Quis deus Octavi*, facilius crederem Virgilii esse, quam reliqua. Certe ineptus foret, si quis illud propter tenuitatem, et quod in hominem ignotum scriptum est, negaret esse Virgilii. Non semper magna quaerunt boni poetae argumenta: etsi quae illi scribunt argumento tenui, delere solet aetas. De carmine *Adspice quem valido* etc. nihil habeo quod dicam. In *Sabinum* carmen propter solam acerbitatem atque truculentiam non abiudicarem ab Virgilio; et in parodiam convertere carmen Catullianum, inceptum videbitur post ea, quae supra dixi, haud indignum Virgilio. Verum quo ad Virgilium referatur, indicium notamque frustra circumspicio. Omnium minime carmen in Lucium, *Iacere me, quod alta non possim, putas*, tribui Virgilio posse censeo. Id L. Fruterio Catullianum videbatur. Quanto sapientius Scaliger: *non ausim Virgilio attribuere, licet elegans et eruditum. Videtur enim secundum aetatem Augusti scriptum fuisse.* Fortasse ex imitatione Epodon Horatii natum carmen, quibus etiam metro simile. Quod Catullo simile sit, vix quicquam inveneris praeter appellationem contumeliosam illam *cinaede Luci* v. 35. quod convicium fuisse valde olim usitatum, non semper propria accipiendum significatione, ex crebra eius apud Catullum repetitione colligitur: *Cinaede Thalle, Cinaede Romule, cinaede Furi.*

Inseram hac opportunitate alia epigrammata nonnulla, ut quis acuat, si opus sit, sensum, et quid sit Virgilianum, quid possit esse, quid non possit, perdiscat. Namque illa, quae in Catalectis, etiamsi non sint Virgilii omnia, potuerunt tamen scribi fere omnia. At quae nunc videbimus, vix potuerunt, sed scripta ab recentioribus, iisque maximam partem ineptis hominibus, ab ineptioribus afficta sunt Virgilio. Primo quae apud Donatum prostant in Vita Virgilii. In Balistam epigramma, de quo conf. Focas Grammat. Anth. Lat. Burm. lib. II. CLXXXVI.

*Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus:*
*Nocte die tutum carpe, viator, iter.*

Epitaphium, non inficetum, Anth. Lat. II. CXCVIII.

*Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc*
*Parthenope: cecini pascua, rura, duces.*

Deinde, quod in Anth. Lat. II. LXVIII.

*Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane:*
*Divisum imperium cum Iove Caesar habet.*

et quod nimis puerile, Anth. Lat. II. LXIX.

*Hos ego versiculos feci: tulit alter honores:*
*Sic vos non vobis* etc.

Quae omnia etiam in libros Virgilianos tam scriptos quam olim editos venere, sive ex Donato, sive aliunde. Velut epigramma in Balistam in Vossiano membr. 81. legitur insertum inter Copam et Est et non est, cum hac inscriptione: *Epitaphium baliste conditum a Marone.* Ut taceam alios libros infra Diss. IV. describendos, vel descriptos in Catalogis Bibliothecarum. Epitaphium *Mantua me genuit,* etiam apud Probum legitur in Vita Virgilii. In codice Romano Mariang. Accursii ad Auson. p. 68. ed. Toll. epigramma in Balistam subiectum erat epigrammati *Nocte pl. tota, r. sp. m.* In hoc autem alterius scripturae, quae est apud Pithoeum et Burmannum, *redeunt at mane serena*, ex meis libris nullum annotatum vestigium habeo. Satis bellum, quod in Anth. Lat. III. CCLXVIII.

*Dum dubitat natura, marem faceretne puellam,*
*Natus es, o pulcher paene puella puer.*

Id Virgilio tribuebatur in codice Romano M. Accursii, ubi legebatur cum duobus istis *Nocte pl. t.* et *Monte sub hoc lapidum.* legitur idem in cod. Thuaneo, cum inscriptione VIRGILII, Tollio in Auson. l. l. et Is. Vossio in exemplari Leidensi Appendicis Virg. Scalig. 1573. testantibus. In cod. Basileensi versus tantum posterior est, cum inscriptione: *De pulchritudine Caesaris Augusti. Natus* scripsi cum his libris, quos dixi, omnibus. Et his quidem commune est, quod ad vulgares de vita Virgilii fabulas cuncta pertinent. Quo etiam retulerim illud, Anth. Lat. II. LXVII.

*Iuppiter in caelis, Caesar regit omnia terris.*

quod est in Vratislaviensi III. cum inscriptione: *Vergilius de Caesare.* est etiam in Veneta Rubei, etsi ibi non diserte tribuitur Virgilio: tam simile versui: *Divisum imperium cum Iove Caesar habet*, vel *habes*, ut ex hoc expressum variandi cupiditate dicas. In Mediceo Bandin. Catalog. T. III. col. 752. versus *Iuppiter in c.* subiicitur istis: *Hos ego versiculos* etc. Sed etiam alia, quaecumque ipsis aut acuta brevitate, aut alio artificio commendabilia, utilia, venusta viderentur, modo non essent notis auctoribus assignata, Virgilio tribuere quam alii auctori maluere semidocti magistri et scholastici illi, ad quorum aetatem pertinet codicum Virgilianorum, quos nunc habemus, fabrica. Veluti quod Burmannus Anth. Lat. II. CCLXV. ita affert, acsi apud solum Pithoeum prostet, quum tamen dudum vulgatum in editionibus Virgilii, Veneta Rubei, Ascensianis, Basileensibus H. Petri, aliis, fuisset, et apud Scaligerum p. 178. exstet: *Littera rem gestam* etc. Vratislaviensis III. diserte Virgilio tribuit hac inscriptione: *Vergilii disticon.* Epigramma cui apud Scaligerum titulus: Mors Trium, vel potius epigrammata, nam tria sunt, vel in uno alterove codice duo tantum eodem argumento: ap. Scalig. p. 178. apud Pithoeum ed. Lugd. 1596. p. 132. *Sus, iuvenis, serpens* etc. in Monacensi I. Vratisl. I. et III. ut in Veneta Rubei admixta Virgilianis, id est quae perhibentur Virgiliana esse, leguntur; in Thuaneo diserte Virgilio assignantur longa inscriptione. Cf. si placet, codices Medicei Bandinii, Plut. XXXIII. Cod. XXXI. §. XIII. Plut. LXXXXI. Cod. XIX. §. XI. sed nolui has quisquilias per omnes, quorum alicubi notitia exstat, codices investigare. Finem faciam in duobus, quae ego neque in libris repperi scriptis, neque in ulla reperiri editione Virgilii antiqua credo, sed leguntur sub nomine Virgilii apud Scaligerum, atque inde apud Pithoeum et Burmannum: Anth. Lat. III. CXLII.

*Arretine calix mensis decorate paternis,*
*Ante man* medici quam bene sanus eras.*

quod Scaliger Not. a Lindenbruchio editis p. 284. ex vita Virgilii fabulosa emendabat atque interpretabatur. Versu 1. *decor ante* verum videtur, et v. 2. *Ante manus medici*, vel *Ante manum medici*, ut Pithoeus et Gronovius. Alterum, ibid. CXLIII.

*Humor alit segetem: segeti contrarius humor.*
*Quod iuvat, hoc dulce est: quod cogitur, altera mors est.*

De *Ciri* exspecto virorum doctorum iudicia. Qui si dignum Virgilio carmen esse concesserint, scriptoremque carminis monstraverint bonum, antiquum, acquiescam. Verum eum expeto, qui satis antiquus sit. Mihi semper perantiquum carmen Ciris, et tale visa est, quale scribi

ab Virgilio non multo ante Bucolica tempore potuerit. Quodsi insunt in Ciri, quae non satis faciunt, aut displicent, qualia tria maxime invenio: longitudinem exordii, doctrinae ostentationem tam in disputatione de Scyllis, de Britomartide, quam geographicae eruditionis copias in carmine extremo, denique colloquii Scyllae cum nutrice, et querelarum Scyllae, dum trahitur, longitudinem atque abundantiam, per quam fit, ut actio ipsa, h. e. facinus Scyllae, excidiumque Megarae, paucissimis absolvatur, et quasi delitescat: ea vitia per se ipsa multo minus offensionis habent, quam in Culice, quo Ciris omni modo perfectior est atque elegantior, et compensantur atque obteguntur virtutibus: ut sunt egregii affectus in sermonibus Scyllae. Quin hoc dicere ausim: potuit tale carmen eodem fere tempore scribi a Virgilio, quo elaborare in Bucolicis coepit, si quidem aliud est, in genere secundario, quale est bucolicum, elaborare, praesertim si perfectum ante oculos exemplum habeas; aliud, et multo magis lubricum periculosumque, ad severitatem atque gravitatem generis epici adscendere: ut non sit mirum, si eodem tempore eumdem in illo genere dextrum, felicem, pro sui ingenii modo ac mensura perfectum, at in epico titubantem, inopem consilii, materiae non prorsus parem, deprehenderis. Haec eum in finem disputavi, ut Cirin ostenderem quando et a quali poeta scriptam putem, non ut vindicem Virgilio: quod despero fieri posse, postquam ambiguum esse argumentum, quo eam in rem diu utebar, primarium perspexi. Quae enim est de locis versibusque quaestio, quos multos Virgilius e Ciri repetitos maioribus operibus suis inseruit, collectos illos ab I. Schradero Emendat. cap. III. p. 33. seqq. laudabili consilio ac diligentia: etsi ad eam quaestionem simplicissima haud dubie et maxime per se probabilis responsio erit, si cum Schradero suum ipsius carmen ita spoliasse Virgilium statuas: tamen alia eaque contraria illi responsio non deest. Mira res est, sed tamen credenda idoneis testibus, non solum antiquorum, ut Ennii, quod minus mirum foret, sed etiam recentiorum poetarum, id est eorum, qui ipsi proximi, Varii, Galli, Varronis, versus nonnullos suos fecisse, carminibusque inseruisse suis Virgilium. Cf. I. H. Vossius ad Virg. Ecl. VI. 74. seqq. p. 328. seqq. aliisque locis, ut ibid. v. 81. Ecl. VIII. 59. 60. 87. 88. X. 46. sqq. et quae nuper Franc. Wüllnerus, de Varrone Atacino p. 18. et 34. Imitationem in Ciri Catulli esse iam observavit Scaliger; cf. Schrader. Emendat. p. 33. et 46. Catulli versui Eleg. ad Manl. 17. *non est dea nescia nostri, Quae dulcem curis miscet amaritiem*, locum in Ciri 242. *non est Amathusia nostri Tam rudis,* admovit Heinsius. Usitatius est, inverso modo, non ut Venus *rudis* sive *nescia* alicuius dicatur, sed ut vir iuvenis vel puella *rudis*: ut Propert. III. XVII. 7. Verum neque

hoc ita dixi, acsi imitatio Catulli Virgilium auctorem probet: potuit etiam alius bonus poeta Catullum imitari. Denique testes si circumspicias, qui tribuant Virgilio Cirin, pauci sunt, nec satis graves. Ego praeter Servii locos quos dixi, Praef. in Aeneid. et Ecl. VI. 3. nihil habeo nisi levem codicum auctoritatem: codicis Vratislaviensis III. in quo *P. M. Virgilii illu. poetae Ciris feliciter incipit.* et *P. Virglii Maronis Cyris finit.* tum eius, sive eorum, ex quibus Ciris saeculo decimo quinto in editiones venit Virgilii. Memorabilis in Ciri vocabulorum graecorum usus, quorum unum alterumve hoc primum auctore invectum in hanc poesin conieceris: *Sophia* v. 4. et 40. *peplus*, *pepla,* v. 21. 30. *glaucus* v. 395. 452. quod inde frequentat Virgilius. Sic Catullus fortasse primus *Ambrosio* dicere ausus est; Virgilius postea *Ambrosiae comae.*

Perventum est ad metam, ultra quam nihil exspectandum quod sit Virgilianum. Quae reliqua Iuvenalis Ludi libello comprehenduntur carmina, ex iis, praeter Diras, antiquissima sunt, eademque praestantissima, *Copa* et *Moretum.* De quibus totam accipio Scaligeri sententiam, etiam in eo, quod ille Moretum Virgilii esse disertius negat, Copam minus confidenter. Nempe neque Copam tribuere Virgilio licet: at in Moreto magis certa res est. Cui dum ab una parte Culicem et Cirin, in quibus poetam cerni nondum satis exercitatum monuimus, ab altera Eclogas, Georgica, admoveo, liquidissime mihi videor percipere, quid intersit inter Moretum et Virgilium. Moretum ut lepidissimum, ita est rotundissimum, absolutum, aequabili per omnia colore: compositio simplex, plana; ad finem omnia spectantia; nulla digressio, nulla in rebus secundariis mora; stilus autem, non, ut in Culice et Ciri, durior interdum, et qui maiorem aliquando cultum atque elegantiam exspectari iubeat, sed elaboratus et consummatus, at a Virgiliano tamen, qualis est in Bucolicis et Georgicis, diversus. Quamquam hoc quidem sentiri magis quam dici potest: ut etiam Scaliger monet. Conferendi sunt loci Virgilii in Bucolicis et Georgicis, Moreto humilitate argumenti proximi. Similis Moreti ratio Diris est, in quibus simplicitas tum compositionis, tum sermonis prorsus propria est, a florido illo dicendi genere tantum differens, ut statim appareat non fortuitam differentiam esse, vel ad aetatum referendam, iuvenilis et virilis, distantiam, sed eam, quae diversos poetas probet. Et Diras quidem antiquiores Virgilio esse videbimus; Moretum non multo post Virgilium, hoc est, post Bucolica, Georgica, Aeneidem, scriptum existimo. Addam Episcopi Aleriensis Epist. ad Paulum II. iudicium, ex parte verissimum. postquam de Viro bono, Est et non, et de Rosis dixit: *Lepidius multo est Moretum: et quantum gustus iudicare potest meus etsi suam quaeque lactucam*

*habeant labra: multum elegans, tantum post se Culicem relinquit: quantum ad Virgilianam quae paulo post late effulsit: accedit propria suavitate dignitatem.* Copam quod attinet, nescio an ipse nitor carminis, et quod tam rotundum est, sive dictionem respicias, sive versum, recentiorem magis quam antiquam aetatem monstret. Enimvero recentiorem quum dico de Copa, non seram, sed eam fere dico, quae nondum assueverat summae illi in elegis facilitati ac velocitati Ovidianae. Annos si consideres, non multum spatii, si vero artem, poetarumque numerum ac varia studia, multum interest inter Virgilium et Ovidium. Fabulae de Copa, Maecenatis serva, Pomponius Sabinus nescio utrum inventor an auctor antiquissimus. Sic tum solebant fabulas fingere, ut melius intelligeretur Virgilius. Quem interpretandi modum ut facile condonamus aetati illi, ita moleste ferimus, sicubi obtrusum etiam recentioribus temporibus poetis, ut Horatio, videmus.

*Rosae* olim vehementer placebant Politiano, Pierio. Nunc, sive tractationem spectes, neque illa in describenda natura rosarum subtilitas ac luxuries, quae nobis novitiam olim apud nos poetarum scholam, multum in floribus ac stellis ludentium, in mentem revocat, optimae aetati convenit; sive dictionem, reperiuntur in eo carmine verba aliquot, ut *vegetare, anticipare,* quae ad inferiorem illud aetatem referri iubent, et ad poetam talem, qualis Ausonius. Etsi suam carmini elegantiam non negamus. Quod verbi *anticipare* usum Varronis exemplo tueri atque defendere conatur, id tum tantum aliquam vim haberet, si sermo Rosarum totus ad *ἀρχαϊσμὸν* Varronis accederet. Ut nunc est, quum totum carmen longissime absit ab antiquo et Varroniano dicendi genere, nihil Varronis exemplum probabit amplius, quam si quae apud Gellium, Apuleium, reperiuntur Varronis aut aliorum antiquorum vocabula.

*Est et Non* et *Vir bonus* quomodo adscribi Virgilio, ac numerari inter Virgiliana etiam ab eruditis, ut Bembo, potuerint, vix quisquam intelliget hodie, nisi et superstitionem, quam late serpere, quamque pertinaciter inhaerere, si semel ceperit initia, soleat, et illud reputet, quod paullo ante observavi, ad Virgilium cupide retulisse posterioris aetatis grammaticos quaecumque placerent plurimum. Placuerunt autem nunc mollia, ludicra, nunc etiam seria, sterilia, ieiuna, modo speciem haberent doctrinae aut sapientiae. De carmine *Est et Non* non solum Pomponius Sabinus dubitavit, qui suam, puto, dubitationem significat, dum dicit: *Dubitant quidam an hi sint Vergilii versus*, p. 594. sed etiam codices antiqui Prisciano illud, quae multo propior vero sententia, etsi in Priscianum non iuraverim, tribuunt. Cf. P. Bondam. Var. Lect. II. vii. p. 199. Burmannus Anth. Lat. lib. V. cxxxix. Ubi quos Burmannus a se adhibitos duos codices Leidenses scribit, eos spondet

mihi Geelius esse Vossianos N. 15. Catal. p. 386. et N. 96. Catal. p. 390. Et in illo quidem ita: *Prisciani de* EST ET NON. at in hoc qui est N. 96. Virgilio tribuitur: *Virgilius de est et non.* sed est etiam Vossianus N. 33. Catal. p. 380. in quo, testante Catalogo: *Versus Prisciani de* EST ET NON. Virgilio etiam adscribit Vossianus N. 81. Catal. p. 389. ita: MARO VIRGILII DE EST ET NON EST LI. IN. hoc est, liber incipit. Ut omittam eos, quos infra recensebo Diss. IV. Eiusdem fere fabricae ac farinae carmen *Vir bonus* est: ac putabam hoc quoque Prisciano tribui in codicibus. sed dum excutio schedas, nullum invenio. Sunt tamen, in quibus illud est *ἀνώνυμον*, apud Scaligerum, Vinetum, Burmannum Anth. Lat. V. CXLI. Leidensem, quem ibi Burmannus adhibuit, Geelius monet esse Vossianum N. 96. Catal. p. 390. in quo codice ita: *Opus mellitissimi Maronis de viro sapienti.* Sic refert Geelius. Apud Burmannum, si idem est codex, ut est haud dubie, falso legitur *Opus inclitissimi M. de v. s.* Vossianus N. 81. Catal. p. 389. ita: P. MARONIS VIRGILII VIR BONUS ET SA. LI. IN. Imperitiam seramque aetatem, ut unum commemorem, in carmine eiusmodi, quod nullam praeterea antiquitatis, et rudis, propter antiquitatem, artis metricae notam habet, arguunt *πολυσύλλαβα* in exitu hexametri: *ingeniumque, commeditantes.* Tum rudis quidam in eo carmine vocabulorum graecorum usus est: *monosyllaba, dogmaticas, dialectica* turba *sophorum.* Magis castigatum carmen, et pro sua aetate satis elegans, *Vir bonus.*

*Priapeia* quod attinet, non solum ab eorum errore, qui olim farraginem istam ad Virgilium totam referebant, quem poetam tam diu se et tam studiose volutasse in turpitudine atque obscenitate prorsus incredibile est, sed etiam ab illorum opinione cavendum videtur, qui immixta esse Catulli, Virgilii, Tibulli, Ovidii carmina nonnulla concedunt. Ego etsi semel vel aliquoties lusisse Virgilium in molli vel etiam obsceno argumento facile concederem, ut supra unum certe carmen Priapeium, *Hunc ego iuvenes locum*, dignum Virgilio esse declaravimus, neque in his, quae Priapeia dicimus proprie, pari omnia sunt impuritate: nihil in Priapeiis Virgilianum, nedum Catullianum, agnosco; aetatem Ovidii, vel supparem Ovidio, concedo multis, aut si quis ita malit, plerisque carminibus. Ad Iuvenalis Ludi libellum pertinuisse Priapeia, nullo certo indicio cognoscitur; ac desunt illa in codicibus antiquis, qui opuscula Virgiliana continent, multis. Sunt alii, in quibus non tribuuntur Virgilio. Vossianus N. 81. Catal. p. 389. ita incipit: *Carminis incompti lusus lecture procaces.* absque titulo. Editio Romana II. hunc tantum, si fides Tabulae librorum, titulum habet: *Priapeia.* etsi hoc eius, qui praefuit editioni Romanae, Episcopi Aleriensis, diligentiae, qui dubitabat de Priapeiis, aliquis tribuat.

Neque *Aetnam* constat unquam fuisse in Iuvenalis Ludi libello. Fortasse Aetnae ab antiquis inde temporibus sors fuit, non ut cum Culice, Diris etc. sed ut aut seorsum scriberetur, aut cum Ciri et Catalectis coniungeretur ac scriberetur. Qua forma codicem descriptum diligentia Passovii habeo, Vratislaviensem III. Eadem forma penes Pomponium fuisse codicem suspiceris, ex quo aucta editio Romana.

Commemorabo etiam hoc loco *Elegiam in Maecenatis obitum.* Quam praeter eos libros, quos infra Diss. IV. recensebo, ex his quorum habeo notitiam, etsi carmen ipsum non contuli, habent Vossiani N. 81. Catal. p. 389. N. 96. Catal. p. 390. et Vratislaviensis III. In Vossiano N. 81. post Culicem, DEFLERAM IUVENIS *tristi* etc. sine titulo. Vossiani 96. qui unus est eorum, quos ad hoc carmen Burmannus adhibet, hanc ex litteris Geelii brevem descriptionem dabo. Quaedam continet Ovidiana. tum: *Hic incipiunt opuscula P. Maronis Elego carmine. Incipit Mæcenas Virgilii.* Subscriptum est: *Finit elegia Virgilii Maronis in Maecenatem inventa ab* HENOC *in Dacia. Publius Maro de vero* (vere) *novo ad amasiam incipit. Virgilius ad Copam. Virgilius de est et non.* subscriptum *finit. Opus mellitissimi Maronis de viro sapienti. Valerius Martialis de culice Virgilii. Virgilius culicem cecinit ore rudi Incipit feliciter.* Sequuntur alia quaedam diversi generis et Ovidii.

Haec quae non tam multa potuisse ab editore Catonis exspectari fateor, fortasse haud iniucunda poesis latinae amatori, vel etiam utilia erunt iis, qui postea sunt in hoc carminum genere elaboraturi; nobis autem, in rem Catonis, hoc valent, ut nemo in posterum quaerere, quomodo Virgilio adscribi potuerint *Dirae*, debeat. Quodsi in unam societatem collectionemque cum Culice Virgilii, atque adeo in nominis societatem, venerunt Rosae, et nullo nisi Prisciani saeculo digni fetus, Est et Non, Vir bonus: quid mirum, si idem Catonis reliquiis, paucis illis, acciderit? Nimirum quum decrescere, praevalente poetarum, qui Augusti aevum illustraverunt, elegantia ac nitore, auctoritas antiquiorum poetarum coepisset, factus est delectus carminum Catonis, complectens Diras et ex Lydia libro carmen unum: nam hic statim praecipio observationem Iacobsii, qui primus duo his quas vulgo Diras vocamus contineri carmina animadvertit. Quo delectu facto rarescere coeperunt exemplaria Catonis pleniora, et paullatim evanuere penitus: delectus autem ipse quum non magno esset ambitu, neque per se solus iustum volumen expleret, paullo post in collectionem opusculorum eam, in qua primarium Virgiliana opuscula obtinebant locum, illatus est. Vel quod paene malim, statim quum factus est delectus carminum Catonis, eo consilio factus est, ut insereretur in collectionem illam. Igitur Diras cum Culice, et

mihi Geelius esse Vossianos N. 15. Catal. p. 386. et N. 96. Catal. p. 390. Et in illo quidem ita: *Prisciani de* EST ET NON. at in hoc qui est N. 96. Virgilio tribuitur: *Virgilius de est et non.* sed est etiam Vossianus N. 33. Catal. p. 380. in quo, testante Catalogo: *Versus Prisciani de* EST ET NON. Virgilio etiam adscribit Vossianus N. 81. Catal. p. 389. ita: MARO VIRGILII DE EST ET NON EST LI. IN. hoc est, liber incipit. Ut omittam eos, quos infra recensebo Diss. IV. Eiusdem fere fabricae ac farinae carmen *Vir bonus* est: ac putabam hoc quoque Prisciano tribui in codicibus. sed dum excutio schedas, nullum invenio. Sunt tamen, in quibus illud est *ἀνώνυμον,* apud Scaligerum, Vinetum, Burmannum Anth. Lat. V. CXLI. Leidensem, quem ibi Burmannus adhibuit, Geelius monet esse Vossianum N. 96. Catal. p. 390. in quo codice ita: *Opus mellitissimi Maronis de viro sapienti.* Sic refert Geelius. Apud Burmannum, si idem est codex, ut est haud dubie, falso legitur *Opus inclitissimi M. de v. s.* Vossianus N. 81. Catal. p. 389. ita: P. MARONIS VIRGILII VIR BONUS ET SA. LI. IN. Imperitiam seramque aetatem, ut unum commemorem, in carmine eiusmodi, quod nullam praeterea antiquitatis, et rudis, propter antiquitatem, artis metricae notam habet, arguunt *πολυσύλλαβα* in exitu hexametri: *ingeniumque, commeditantes.* Tum rudis quidam in eo carmine vocabulorum graecorum usus est: *monosyllaba, dogmaticas, dialectica* turba *sophorum.* Magis castigatum carmen, et pro sua aetate satis elegans, *Vir bonus.*

*Priapeia* quod attinet, non solum ab eorum errore, qui olim farraginem istam ad Virgilium totam referebant, quem poetam tam diu se et tam studiose volutasse in turpitudine atque obscenitate prorsus incredibile est, sed etiam ab illorum opinione cavendum videtur, qui immixta esse Catulli, Virgilii, Tibulli, Ovidii carmina nonnulla concedunt. Ego etsi semel vel aliquoties lusisse Virgilium in molli vel etiam obsceno argumento facile concederem, ut supra unum certe carmen Priapeium, *Hunc ego iuvenes locum*, dignum Virgilio esse declaravimus, neque in his, quae Priapeia dicimus proprie, pari omnia sunt impuritate: nihil in Priapeiis Virgilianum, nedum Catullianum, agnosco; aetatem Ovidii, vel supparem Ovidio, concedo multis, aut si quis ita malit, plerisque carminibus. Ad Iuvenalis Ludi libellum pertinuisse Priapeia, nullo certo indicio cognoscitur; ac desunt illa in codicibus antiquis, qui opuscula Virgiliana continent, multis. Sunt alii, in quibus non tribuuntur Virgilio. Vossianus N. 81. Catal. p. 389. ita incipit: *Carminis incompti lusus lecture procaces.* absque titulo. Editio Romana II. hunc tantum, si fides Tabulae librorum, titulum habet: *Priapeia.* etsi hoc eius, qui praefuit editioni Romanae, Episcopi Aleriensis, diligentiae, qui dubitabat de Priapeiis, aliquis tribuat.

Neque *Aetnam* constat unquam fuisse in Iuvenalis Ludi libello. Fortasse Aetnae ab antiquis inde temporibus sors fuit, non ut cum Culice, Diris etc. sed ut aut scorsum scriberetur, aut cum Ciri et Catalectis coniungeretur ac scriberetur. Qua forma codicem descriptum diligentia Passovii habeo, Vratislaviensem III. Eadem forma penes Pomponium fuisse codicem suspiceris, ex quo aucta editio Romana.

Commemorabo etiam hoc loco *Elegiam in Maecenatis obitum.* Quam praeter eos libros, quos infra Diss. IV. recensebo, ex his quorum habeo notitiam, etsi carmen ipsum non contuli, habent Vossiani N. 81. Catal. p. 389. N. 96. Catal. p. 390. et Vratislaviensis III. In Vossiano N. 81. post Culicem, DEFLERAM IUVENIS *tristi* etc. sine titulo. Vossiani 96. qui unus est eorum, quos ad hoc carmen Burmannus adhibet, hanc ex litteris Geelii brevem descriptionem dabo. Quaedam continet Ovidiana. tum: *Hic incipiunt opuscula P. Maronis Elego carmine. Incipit Mæcenas Virgilii.* Subscriptum est: *Finit elegia Virgilii Maronis in Maecenatem inventa ab* HENOC *in Dacia. Publius Maro de vero* (vere) *novo ad amasiam incipit. Virgilius ad Copam. Virgilius de est et non.* subscriptum *finit. Opus mellitissimi Maronis de viro sapienti. Valerius Martialis de culice Virgilii. Virgilius culicem cecinit ore rudi Incipit feliciter.* Sequuntur alia quaedam diversi generis et Ovidii.

Haec quae non tam multa potuisse ab editore Catonis exspectari fateor, fortasse haud iniucunda poesis latinae amatori, vel etiam utilia erunt iis, qui postea sunt in hoc carminum genere elaboraturi; nobis autem, in rem Catonis, hoc valent, ut nemo in posterum quaerere, quomodo Virgilio adscribi potuerint *Dirae*, debeat. Quodsi in unam societatem collectionemque cum Culice Virgilii, atque adeo in nominis societatem, venerunt Rosae, et nullo nisi Prisciani saeculo digni fetus, Est et Non, Vir bonus: quid mirum, si idem Catonis reliquiis, paucis illis, acciderit? Nimirum quum decrescere, praevalente poetarum, qui Augusti aevum illustraverunt, elegantia ac nitore, auctoritas antiquiorum poetarum coepisset, factus est delectus carminum Catonis, complectens Diras et ex Lydia libro carmen unum: nam hic statim praecipio observationem Iacobsii, qui primus duo his quas vulgo Diras vocamus contineri carmina animadvertit. Quo delectu facto rarescere coeperunt exemplaria Catonis pleniora, et paullatim evanuere penitus: delectus autem ipse quum non magno esset ambitu, neque per se solus iustum volumen expleret, paullo post in collectionem opusculorum eam, in qua primarium Virgiliana opuscula obtinebant locum, illatus est. Vel quod paene malim, statim quum factus est delectus carminum Catonis, eo consilio factus est, ut insereretur in collectionem illam. Igitur Diras cum Culice, et

quae alia in ea collectione fuerint, mature coniunctas fuisse coniicio: mature, hoc est multo prius quam Virgilii Iuvenalis Ludi libellus eo ambitu, eaque argumenti varietate exstitit, quae nunc in libris nostris, receptis Rosis, Est et Non, et Viro bono, cernitur. Proinde neque hoc quaerendum videtur curiosius, qui factum sit, ut Virgilio adscriberentur Dirae, quae tamen Catonis essent. Sciiicet hoc viciuia effecit magni nominis. Finge enim semel, in uno codice, omissum Catonis nomen fuisse: qui proximus accedebat librarius, ignarus Catonis, suppleturus erat nomen, non Catonis, sed magni poetae, ad quem proxima, ut Culicem, referri videret, Virgilii. Idem accidit in Copa, Moreto, et quae reliqua huius collectionis. Verum Dirae ut tribuerentur Virgilio, etiam alia res efficere potuit, scite observata Scaligero, qui tamen eam non *unicam* dicere *caussam* debuerat: Catonis fatorum, et argumenti Dirarum, cum fatis Virgilii, et cum argumento Eclogarum Virgilii primae et nonae similitudo. Quamquam dubitare licet, utrum huic caussae plus sit tribuendum, an illi a me propositae. Si enim Diris tum demum Virgilii praepositum nomen est, quum iam receptae in collectionem essent, sufficit mea ratio, neque opus est illa Scaligeri caussa, etsi eam tum quoque in subsidium adhibere licebit. Sed potest etiam contrario modo res acta esse, ut Dirae primum ea de caussa, quam Scaliger dicit, attributae Virgilio, et postea demum propter eamdem caussam, quod pro poemate haberentur Virgilii, in collectionem opusculorum Virgilianorum illatae sint. Illud prorsus improbabile, quod Heinsio in mentem venit: *e cognatione nominum* Catonis *et* Maronis *videtur propagatus error.*

Veterem errorem esse certum est. Nam quae alia in Iuvenalis Ludi libello non Virgiliana leguntur, eorum, si non plura, certe unum, ut vidimus, Est et Non, in uno alterove bono codice alii auctori, et cui magis consentaneum est tribui, tribuitur. *Diras* qui suo auctori tribuat, neque inventus est codex, neque inventum iri spes est ulla: omnes Virgilio adscribunt; neque alia fuisse Grammaticorum non solum istorum Donati et Servii, sed etiam his paullo antiquiorum, opinio videtur. Ea opinio primis Dirarum interpretibus multos errores peperit, quos hoc loco in unam collectos tabulam proponam. Praetereat has pagellas, cui ista nimis videbuntur nugatoria: ego hoc in me officii suscepi, nihil ut intactum relinquerem eorum, quae ab aliis ad interpretandum hunc poetam aut praestita fuerunt aut tentata. Ac meum ad sensum non iniucunda sunt, quantumvis imperfecta, nascentis artis criticae interpretationisque monumenta.

Igitur Pomponio Sabino, Domitio Calderino, Gloss. V. I. et Iod. Badio Ascensio in eo convenit, auctorem esse Dirarum Publium Virgi-

lium Maronem; agrum eum, de quo in Bucolicis Ecl. I. et IX. scriptum est. Disertissime ea de re Domitius argumento, quo suam in Diras enarrationem exorditur, quod argumentum deinde in edit. Basil. Bryling. 1543. in Lugdunensem A. Gryph. 1592. et fortasse in alias receptum est. *Battare cygneas. summa opusculi huius est talis. Quum bello civili inter M. Antonium et Augustum habito Cremonenses M. Antonio favissent victoria potitus Augustus cum in eos ultione puniendos animum direxisset: Arium centurionem misisse traditur ad dividendos inter milites Cremonensis populi agros: sed cum non suffecissent: et vicinorum Mantuanorum agros divisit. Quo circa Virgiliani agri inter alios militibus dati sunt: quod aegre ferens Maro non solum propter deperditos agros: verum etiam propter amicam Lydiam in Mantua derelictam: hoc opusculum scripsit Virgilius et diras appellavit: hoc est malae fortunae imprecationes in hostes factas. Dirigit autem ad Battarum* et quae sunt reliqua, quae paullo post proferam. Glossa Venet. Iens. in principio carminis: *In agro Virgiliano erat silua nomine baltarus: in honorem Iouis incedua reseruata. Thoro Milienus cui sorte obuenerat in diuisione agrorum ferro aggressus est rescindere. Virgilius diras in illum imprecatur: Licurgumq; appellat: quoniam rex ille amputauerat vites in iacturam bacchi: sibiq; crus falce rescidit: quod Milieno contingere concupiscit. Demum in amplificationem exit repetens amores suos in Lidiam quibus privatus sit.* Unde *bellum* v. 85. Pomponius interpretatur bellum *Actiacum*, eademque sententia Domitii. Iam ut singula percurram, patrem etiam Virgilii commemorari duobus Dirarum locis v. 10. et v. 93. opinio erat. Domitius ad v. 10. *senis nostri: patris mei Virgilii: qui dicebatur Rusaeus rex.* Gloss. V. I. ibidem: *patris Maronis. ab aliis dicebatur pater eius Rusacus rex.* Ad v. 93. *Tuque resiste pater* glossa V. I. haec est: *mane — o Maro.* Domitius ibid. *pater Virgilii dicebatur Virgilius Rusacus.* Badius ibid. *Et tu pater, s. Rusace Maro: resiste, s. militibus* etc. Pomponius Sabinus de patre nihil diserte, sed ad v. 10. ita disputat: *Senis nostri.) ergo post Bucolicum scriptum hoc opus est. nam ibi ait* [1. 47.], *Fortunate senex.* quae permira sunt, vix concilianda cum iis, quae idem ad Virgilii Eclogam I. disputat, ubi *Tityrum, fortunatum senem,* ipsum statuit Virgilium esse. Ergo aut alia Pomponio Diras explicanti obversabatur interpretatio Eclogae Virgilianae primae, ea scilicet, qua nonnulli olim *fortunatum senem* patrem intelligebant Virgilii: quod si est, conveniet Pomponio cum Domitii et Gloss. V. I. interpretatione modo allata; aut in Diris *nostri senis* putavit idem valere quod *nostra sive mea senis.* Idem statuendum erit de Badio, qui Dirarum versu 10.

*senem* eundem esse observat, de quo in Bucol. I. *fortunate senex*, quum tamen in sua eclogae huius explanatione *Tityrum* ubique significare Virgilium doceat. Sed ad Eclog. IX. 14. rursus in eorum sententiam inclinat Badius, quibus *fortunatus senex* pater videbatur esse Virgilii.

Deinde *Lydiam* Pomponius eandem esse opinabatur, quae in Ecloga I. Virgilii Galatea vocatur. Ad Dir. 89. *Lydia dulcior illis.*) *Bianor Tusci et Mantûs filius fuit. hic condidit Mantuam, et appellavit a nomine matris. Eius soror fuit Lydia: ideo Vergilius amatae suae Mantuanae, Lydiae* nomen *imponit.* Quibus gemina Domitius ad v. 86. habet, desumpta haud dubie ex ipsis Pomponii lectionibus. Deinde Pomponius ad Virg. Ecl. I. 5. *Amaryllida.*) *Vergilius Mantuae amavit Lydiam, quam* appellat *Galateam, Romae Amaryllida.* Amaryllidem vero nomine *Plitiam Hieriam* fuisse tradit ad Ecl. II. 14. Cum his pugnat, quod apud eundem Pomponium ad Ecl. IX. 22. legitur: *Amaryllida.*) *id est Lydiam, amorem nostrum.* In quo fortasse error est aut Pomponii, aut eius, qui verba excepit atque conscripsit Pomponii. De Galatea ea, quae est Ecl. III. 64. Pomponius ita: *Per Galateam intelligit Lycorim a Gallo amatam.* De alia explicatione *Lydiae* nominis, quam Domitius ad v. 41. invenit, valde lepidam, differo usque ad eum locum.

Ita quum patrem atque amicam Virgilii repperissent, facile etiam patriam Virgilii, Mantuam, agnoverunt in Diris. Hinc vis facta est versui 48. a Domitio et Badio, dum *littora* accipiunt pro ripis. Scilicet male eos vicinia maris habebat, qui mediterraneam esse Mantuam scirent. Illi *undas* intelligunt Mincii fluminis. Rursus de Mincio et Pado cogitat Badius in v. 64. cf. ibid. Pompon. Sic etiam alia, et minuta quaevis, ex Virgilio illustrant, ad Virgilium referunt. Montem silvamque fuisse in agro Virgilii, Domitius ad Dir. 8. probat ex Virg. Bucol. I. 53. IX. 7. 8. et *Trinacriae gaudia* v. 9. Gloss. V. I. prorsus inepte illustrat collato Virg. Buc. II. 21. Quem *tumulum* simpliciter dicit Cato Dir. 86. *sepulcrum Bianoris* ex Virg. Ecl. IX. extr. intelligunt Domitius et Badius, eademque videtur Pomponii mens esse ad eum Eclogae IX. locum; et Gloss. V. I. quum *de tumulo* iam explicuisset recte *de alto loco*, addidit in margine: *potes accipere tumulum bianoris de quo in bucco: in egl. pe. Iamq. sepulchrum incipit apparere.* haud dubie ex Domitio. Quorum omnium duplex error est. Primo Catonis nostro carmine res agitur, non Virgilii. Deinde, etiamsi Virgilius hic poeta esset, non consequeretur tamen, immo plane non probabile esset, *tumulum* sic simpliciter dici sepulcrum Bianoris. At qui ista aetate tractabant Virgilium, quum hoc agerent laudabili con-

silio, ut historiam poetae e scriptis eius illustrarent, et vitam aliquam Virgilii ex ipso Virgilio concinnarent, eo lapsi sunt non raro, quod poetice dicta ad historiae veritatem redegerunt, aut semel et obiter dicta etiam ad eos locos adhibuerunt, qui alio sensu scripti essent. Id maxime *fago* accidit. Nempe Virgilius nobili loco, conspicuoque omnibus, in ipso limine Bucolicorum, *fagi* mentionem fecerat. Eam interpretes illi etiam in Diras importandam, atque hanc significari obscuro illo nomine *Battari* censuere. Pomponius ad v. 1. *Battare cycneas.*) *Battarus interpretatur fagus illa, sub qua carmina cantabat de Lydia.* Hinc est quod idem ad v. 36. de Iove fagutali disputat, eundemque in finem ad v. 64. haec: *Battare fluminibus.*) *ut in Bucolicis* [IX. 7. sqq.], *Certe equidem audieram*: *usque ad illud, Et fracta cacumina fagi. vicina ergo fluvio.* Sic olim legebatur locus iste Eclogae, *et veteris iam fracta cacumina fagi,* non, ut nunc, *veteres — fagos.* Idem ad Eclog. I. 1. *Fagi.*) *Hanc fagum intelligit vetustissimam arborem, quam sub nomine Battari deplorat in Diris.* ad Ecl. IX. 9. *In Diris dicit Battarum, id est fagum, quae erat tanquam numen agri, fuisse caesam a militibus, et graviter dolet. nam sub ea cantabat carmina.* Post Pomponium, et haud dubie ex Pomponio, Domitius eo loco, quem supra exscribere coepi: *Dirigit autem ad Battarum, non vicum, ut aliqui male sentiunt*: *sed sicut potest ex verbis Virg. colligi, Battarus arbor erat in agro Virgiliano*: *itaque fagum de qua in Bucol. scribit intelligimus.* Idem sentiebat Badius, unde quum v. 26. *libelli* dicuntur, Bucolica putat intelligenda esse. Apparet, et Domitii, Badii, ad v. 27. 40. exemplis cognosci potest, quam perversas *Battarus arbor* secum locorum singulorum explicationes inferre debuerit. Inter fabulas suus coniecturae cuidam meae de *Battaritide* radice locus erit. De ea Cedreni narratio est, quam indicatam a Lobeckio Aglaophami T. II. p. 904. habeo, Hist. Compend. p. 241. *Φασὶ δὲ, ὅτι ἐν τῇ κατὰ τὴν Καισάρειαν τῆς Φιλίππου, ἐν τῇ ἀρκτῴᾳ θέσει τῆς φάραγγος, ῥίζαν γίνεσθαι φλογοειδῆ, ἣν καλοῦσι Βατταρῖτιν. ἀφ᾽ ἧς περὶ τὴν ἑσπέραν ἐξαστράπτον φῶς, ἀπροσπέλαστον εἶναι καὶ ἀπρόσιτον παρασκευάζει, διὰ τὸ παραχρῆμα τὸν ἐγγίζοντα ἀποθνήσκειν. κυκλόθεν οὖν αὐτῆς περιορύξαντες, κύνα δεσμοῦσιν ἐκ τῆς ῥίζης αὐτῆς. ὁ κύων δὲ τοῖς αὐτοῦ δεσπόταις ἕπεσθαι ἱέμενος, ἐπὶ πολὺ σύρων ἀνασπᾷ τὴν ῥίζαν. καὶ αὐτὸς μὲν θνήσκει παρ᾽ αὐτὰ, τὴν ῥίζαν δὲ περιάπτοντες τοὺς δαιμονιζομένους θεραπεύουσι.* Quid si ab hoc in Diris *Battaro* radix dicta *Battaritis* fuerit. Potuit illa aetate, quam miraculorum amor, et insana poetae sane quam magni admiratio, ita perturbaverant, ut magices peritum fuisse Virgilium crederet: potuit ea aetate ab hominibus

imperitis carmen nostrum, Dirae, cum illa tam saepe iterata *Battari* invocatione, pro carmine haberi magico: ut constat multum in arte magica certis quibusdam verbis nominibusque tribui. Hinc transferri *Battari* nomen in radicem potuit, in qua tantum observasse portenti sibi videbantur homines. Potuit: sed fateor me non intelligere, quomodo Caesaream usque nomen istud penetraverit. Ac nescio an absurdum commentum de Virgilio mago totum sit Cedreno recentius. Itaque redeo ad priorem coniecturam meam, praesertim quum quae extrema sunt, apud Cedrenum, adhiberi *battaritin τοῖς δαιμονιζομένοις*, non male congruant cum eo, quod de *baccaris* usu testantur Virgilius et Servius. Quae autem praecedunt, de effodiendi artificio, eadem, vel prorsus similia, ut observat Lobeckius, de alrunis narrabant olim Germani, Angli quoque, ut Shakespearius. Virgilius magus mihi maxime ex Alberti de Eyb Margarita poetica notus, qui Virgilium *philosophia praeditum* et *nigromanticum* fuisse dicit, eiusque artis specimina, quae exhibuerit, nonnulla profert, sed scio eadem narrari ab aliis, et satis fuisse hanc famam Virgilii aevo isto divulgatam. Dixeris aliquid de ea residuum esse apud Pomponium Sabinum in Virg. Ecl. VIII. 96. *Ipse dedit Moeris.) Per Moerim intelligit forte Vergilium, quoniam apud Latinos duo fuerunt magici, Vergilius et Catullus, ut ait Plinius.* Notus est locus, quo abutitur Pomponius, Plinii H. N. XXVIII. II. Cf. Heynius ad Donati Vitam Virg. cap. I.

Ad Dir. 1. 2. ubi quaeritur, quae fuerint illae priores *voces cycneae*, ridicule de *Culice* cogitant Domitius, Badius, et cum Domitio Gloss. V. I. quae ita interpretatur locum: *tristia carmina qualia cigni canunt morientes et qualia in culice cantamus.* Badius tamen aliquantum resipuit, quum addit: *aut quia prius cecinerat antequam ager restitutus erat: et iterum nunc quando ab Arrio occupatus est: quae res in Moeri declarata est.* Sic ante Badium Pomponius ad v. 3. *Scripsit Vergilius et alias Diras, quae non inveniuntur. ideo ait, Iterum.* Quamquam aliquid differt inter Pomponium et Badium. Badius enim Virgilium, quum primum amisisset agros, carmen lugubre Diris simile cecinisse, tum restitutum fuisse, et scripsisse Eclogam primam; postea iterum extrusum Eclogam nonam et has nostras Diras fecisse putabat. Itaque Badius duas Virgilii spoliationes, tempore haud parum diversas, distinguebat. Brevius Pomponius ad Ecl. I. et IX. praeeunte Probo, Virgilium spoliatum agris Eclogam nonam scripsisse statuebat; cui igitur tempori, ex mente Pomponii, etiam Dirae, et priores illae, quas deperditas dicit Pomponius, et hae nostrae, apponendae erunt; postea restitutum Eclogam scripsisse eam, quae nunc prima est.

Denique *militem* interpretes isti in Eclogis et in Diris eumdem in-

telligunt. Verum ut in Eclogis non convenit Grammaticis de nomine eius militis, ita in Diris interpretes alius aliud nomen ponunt. Pomponius ad Diras quidem nullum nomen habet, sed alibi semper *Milienum Toronem* appellat, *primipilarem*: primum ad Culicem v. 9. sic: *Securos fructus.*) *Optat sine molestia et periculo frui amoenitate agrorum suorum, quos Milienus Toro primipilaris occupaverat.* deinde ad Ecl. I. princip. ad Ecl. III. 95. et aliquoties ad Ecl. IX. ut dubium non sit quin eundem intellexerit in Diris. Et in Glossa V. I. ubique *Thoro Milienus* est, aut *Thoro* simpliciter, tum in argumento carminis isto, quod supra adscripsi, tum ad v. 1. 8. 31. 81. 85. 94. Pomponius nomen illud ex Probo habet, cuius haec sunt in scripto de ratione carminis bucolici: *Sed insinuatus Augusto per Cornelium Gallum condiscipulum suum, promeruit ut agros suos reciperet. Et eo facto concitaverat in se veteranos adeo, ut a Milieno Torone primipilari pene sit interfectus, nisi fugisset. ut contestatur ipse, cum ait*: *Quod nisi me quacunque* etc. (Ecl. IX. 14. sqq.) Glossa V. I. utrum Milienum ex eodem Probo habeat, an ex Pomponio, cuius ad Eclog. III. 95. verba ex parte similia sunt iis, quae in Glossa leguntur, *Thoro Milienus cui sorte obuenerat*, incertum est. Nec Domitio ignotus *Milienus* fuit, sed videtur conciliare diversas narrationes voluisse, ita ut penes *Arium* sive Arrium, *centurionem*, dividendi munus fuisse, *Milieno* autem agrum contigisse Virgilii putaret. Nam in argumento Dirarum et ad v. 31. *Arium* nominat; ad v. 8. ita scribit: *dicit ergo tale omen Ario se dicturum*: *et Milienum Torum nominabant eum in quo ager contigerat Virgilianus.* sic, *Torum*: fortasse e scholis Pomponii, sed ab auditore non satis diligenti perceptis. Badius unum novit *Arrium*, quae notissima e Servio et Vita Virgilii narratio est. Ex Probo *Milienum Toronem* etiam Mancinellus habet in Virg. Ecl. IX. 14. sed corrupte: *adeo ut a Milone Torone primipilari pene sit interfectus ni fugisset.* Haec fortasse putida diligentia exsequutus esse videbor: sed nolui brevius, quia in his, quamvis, ut nunc leguntur, nugis sunt simillima, aliquid tamen inesse veri potest. Quid tandem est, si rem accurate atque opinione non praeiudicata perpendas, quod impediat, quominus veteranorum nomina, quibuscum tristissimis illis temporibus conflictandum innoxiis poetis, Catoni vero etiam cedendum fuit, multis illa ipsa aetate hominibus innotuisse, postea, quum in manus grammaticorum rhetorumque hi poetae venissent, annotata in rei memoriam esse, indeque ad nostros Donatos, quos nunc legimus, devenisse putemus? Mihi, fateor, neque incredibile, neque mirum, si verum militis nomen, eius quocum res Virgilio fuit, conservatum fuerit. Deinde, quae tamen iam magis lubrica coniectura est, et cui non plus tribuo.

quam licet, id est parum: quod adversarius iste Virgilii nunc *Claudius* sive *Clodius*, nunc *Arrius*, et rursus ab aliis *Milienus Toro* appellatur, ita fortasse explicari possit, ut in tanta Catonis fatorum cum fatis Virgilii similitudine, confusum esse nomen eius, cui datus est Catonis ager, si est datus, cum adversario Virgilii dicas.

*Valerium Catonem* auctorem esse *Dirarum* primus docuit magnus Scaliger. Proluserat Gyraldus, sed obiter, nec sine magno errore, De Poetar. hist. Dial. IV. T. II. Opp. col. 195. postquam de Val. Catone exposuit ex Suetonio: *Fuit, cum ego poema illud, quod inter Vergiliana* Dirae *inscribitur, Catonis huius esse existimarim, et quod de* Lydia *in eo agitur, et mentio fit civilis belli, quo ipse est patrimonio, ut ait Tranquillus, exutus, id quod etiam ipsemet Cato in libello, cui est titulus* Indignatio, *ostendit, et propterea non* Dirae *sed* Indignatio, *poema ipsum inscribi posse videbatur. Vobis hoc dixisse velim, nunc quid sentiam, haud facile afferre possum, cum Grammaticorum contra stet consensus, qui* Diras *Vergilio ascribunt.*

Scaligeri haec est digna tanto viro *in Diras Val. Catonis* praefatio:

Huius poematii auctor est Val. Cato Grammaticus. Quod deprehenditur ex iis, quae de eo scripsit Suetonius Tranquillus: nempe patrimonium suum amisisse bello Sullano: tum amasiam quandam Lydiam celebrasse carminibus suis. Vtrunque in hac Ecloga apparet. Nam et Lydiae eius saepe meminit, et amissa bona sua deplorat. Quae fuit vnica caussa, quare hoc eidyllion Virgilio attribueretur, quod et ipse quoque bello ciuili agros suos prope Mantuam amisisset. Sed quis sanus vnquam hoc poema attribuat Virgilio, etiam si non constaret de nomine auctoris? Hoc dico, non quod malus fuerit poeta Val. Cato (Dii melius) sed quod dissimilis Virgilio. Bonum enim poetam fuisse qui mihi non credet, audiat de eo elogium tale Furii Bibaculi:

*Cato Grammaticus, Latina Siren,*
*Qui solus facit, ac legit poetas.*

Etiam Catullus eum amice appellat eo Hendecasyllabo:

*Ride quicquid amas Cato Catullum.*

Scripserat et alium librum continentem similem conquestionem de agris amissis, cui titulus erat *Indignatio,* vt inquit idem Suetonius. Itaque in hoc, quem posterius scripsit, manifeste innuit de illo altero, quum ait:

*— repetamus carmine voces.*

Ostendit enim etiam antea se de eadem re scripsisse. Diuiditur autem hoc opusculum in duas partes. Prima continet deuotum carmen, plenum imprecationum, et vere quas vocat Horatius Thyesteas preces. Secunda

tota ad amasiae Lydiae amissionem spectat. Quae quidem quamvis egregia sint et luculenta, tamen eorum nitori maxime officiunt menda, quae in illis iniuria temporum inoleuerunt. Nam quid eis vetustas non nocuit, quum et auctorem quoque abstulerit? Sed et nos huic poematio parum prodesse possumus, ope bonorum codicum destituti.

Haec ille. Quae merito in assensionem atque in eamdem sententiam traxere viros eruditos. Ut Hieron. Columnam, in Ennii Fragm. p. 275. ed. Hessel. *In quo genere egregium illud poemation scriptum est, quod cum Virgilianis legitur* Dirae *inscriptum; cuius auctorem Val. Catonem Grammaticum fuisse eruditi credunt.* Mart. A. Delrium Adversar. in Senecae Trag. p. 44. *exstant etiam dirae Ovidii in Ibin; et Catonis, non Virgilii, in Arium centurionem.* Salvagnium, in Ovid. Ibin Prolegom. Cap. II. *egregium illud Poemation, cuius Auctorem esse Valerium Catonem Grammaticum perspicaciores existimant.* Add. laudati Arnoldo, Proleg. in Diras, Dan. Heinsius, Passeratius. Item Acidalius Divinat. in Plaut. Mil. p. 278. Thes. crit. Grut. T. VI. G. I. Vossius de arte Grammat. II. XXVII. p. 274. *Valerium Catonem* in *Diris* laudat aliquoties C. Barthius in Adversariorum libris, sed plerumque cum nescio qua dubitatione, ut XVII. XI. E recentioribus Cortius dubitanter: *Cato Valer. sive quis alius auctor, in Diris*: ad Lucan. III. 127. Dissensum, cum caussis dissensionis, nemo, quod sciam, declaravit. Plene assentiuntur Scaligero I. Fr. Gronovius, Broukhusius, Wakefieldius. Qui vero edidere Diras, inde a Pithoeo, nonnullis exceptis, qui antiqua exemplaria repetere sine mutatione satis habuere, ut Lugdun. A. Gryph. 1592., igitur Pithoeus, Boxhornius, Dilherrus, Arnoldus, Burmannus Sec. cum N. Heinsio, Wernsdorfius, Eichstadius, Putschius, omnes, Scaligerum sequuti sunt. Atque Scaligerum in sua sibi sententia constitisse, ex Castigationibus eiusdem in Catull. p. 52. in istum locum *O rem ridiculam Cato*, cognoscitur, ubi: *Cato iste autor Dirarum, vt suo loco ostendimus.* Et profecto quid certum in his nostris litteris erit, si hoc non sit certum? Verum ille breviter proponere suam sententiam satis habuit. Nos quae Scaliger quum sentiret rectissime, sentienda itidem aliis reliquit, verbis declarabimus Diss. II. et Diss. III. Sunt autem duo: primum, quae in Diris poeta de fatis suis vitaeque rationibus prodit, omnia convenire cum fatis ac vita Catonis, qualem ex Suetonio novimus; alterum, cum esse poesis in Diris colorem atque habitum, ut unice Catonis conveniat aetati.

Verum antequam illuc progrediamur, Frid. Iacobsii celebranda observatio est, post Scaligeri inventum gravissima. Quid? quod ea etiam magis certa, si pote fieri, quam observatio Scaligeri est. Vera enim maneret, etiamsi, quod tamen non exspectandum est ut fiat, dubitari

aliquando de Catone Dirarum auctore posset. Docuit Iacobsius, iuvenis tum quidem: nam quum Bonnam viseret vir praestantissimus et maxime amabilis, paullo post quam primum in Museo Rhenano consilium Catonem edendi meum indicassem, simulque observationem illam merita cum laude commemoravissem, significavit mihi, suavi et plane sua modestia, se iam ipsum oblitum fuisse inventi sui: Dissertatione de Val. Catonis Diris, in Bibliotheca vet. litterar. atque artis Gottingensi Fasc. I. p. 56. seqq. quae usque ad eum diem pro uno carmine habitae fuerant, *Diras*, in duas inter se diversas partes dividendas esse, et in duo diversa carmina, quorum prius, *Dirae*, versu 103. *Gaudia semper enim* etc. concluditur, alterum, tempore, occasione, argumento a *Diris* diversum, a versu, qui vulgo erat 104. *Invideo vobis agri, formosaque prata,* incipit. Si haec pro uno habeantur carmine, partes cerni tam argumento quam colore diversas, nullo vinculo nexas. In priori parte diras in ereptum poetae agrum vehementissimas; in posteriori molles querelas seiuncti a puella sua amatoris, ita quidem, ut eidem agro, quem paullo ante devoverat omni modo, nunc invideat, eumque fortunatum praedicet, quod ibi commoretur Lydia. In priori omnia indignationem, exsecrationes in agrum; in posteriori querelas molles ac teneras, irae atque odii, quo paullo ante totum repletum videramus, oblivionem maximam. Plane ut appareat, qui haec coniungenda in carmen unum putaverit, prorsus expertem consilii poetam fuisse. Contra, si illa separentur modo quem dixi, id quod fieri sine ulla violentia animadvertit Iacobsius, carmina exsistere duo, cum suo quodque initio ac fine, suo quodque consilio atque colore. Deinde quum mirum esse ante viris doctis debuerit, quod *Battari* mentio, quem in priori parte tam saepe, et per intervalla non ita magna, compellat Cato, inde a versu 97. cessat repente atque omittitur, id non esse mirum, si duo sint diversa carmina. Igitur Iacobsius, ut dixi, *Diras* finiri versu 103. et quod sequitur carmen, versus octoginta, coniectura admodum felici ex *Lydia* esse Catonis animadvertit.

Haec est Iacobsii disputatio egregia, absoluta, nihil ut habeam quod addam hoc loco. Praeter unum: quod nunc ordine posterius carmen est, prius esse, tempus si spectes, Diris. Quum enim in hoc carmine ex *Lydia* de amissione agri, quem quidem Catonis esse agrum, eumdem cuius in Diris mentio, etiam Iacobsius, ut videtur, statuit, ne verbum quidem insit, sequitur carmen hoc scriptum ante Diras esse, quae in ira Catonis propter ereptum sibi agrum versantur. Casum quoque ac modum, quo coaluerint diversa carmina, Dirae, et carmen ex Lydia, probabili ratione monstrat Iacobsius. Ita autem rem accidisse maxime probabile erit. Subiecerat Diris librarius carmen ex Lydia, nulla in-

scriptione, spatio tantum, vel maiori littera initiali, vel alio quodam indicio, a Diris distinctum. Id indicium quum non animadvertisset librarius alter, utrumque carmen coniunxit in unum: ac potuit hoc, ut bene monet Iacobsius, eo accidere, frausque facta eo latere facilius, quo maior obiter inspicienti inter partem Dirarum extremam et carminis ex Lydia initium videbatur similitudo et nexus argumenti esse. In extremis Diris, ubi post exsecrationes, vale dicit agro, valere etiam Lydiam puellam iubet, cum multa amoris nulla re exstinguendi testificatione; carmen alterum rursus incipit ab agro et Lydia: languet poeta desiderio commorantis in agro Lydiae. Itaque haec ita inter se similia et quasi cognata, ut et librario isti et post eum multis saeculis, usque ad annum 1792. quo anno disputatio edita Iacobsii, unum esse carmen viderentur. Nobis quaestionem hic inserere fortasse non otiosam placet: cur ille qui primus Diris subiecit carmen ex Lydia librarius, hoc unum carmen subiecerit; cur non aliud; cur non plura; cur non omnia. Respondeat aliquis: placebat ita; non satis suppetebat otii; non satis supererat chartae. Vel hoc modo: manasse codices nostros omnes ex uno quodam veteri exemplo, olim pleniori, sed ex quo mature excidissent quae sequebantur carmina. Mihi alia ratio placet, velimque eam in rem adhiberi, quae pag. 241. sq. a me scripta sunt. Factum est fortasse, ut mature dissolveretur *Lydia* liber, et carmina eius ut singula circumferrentur, extra ordinem, et unum ut diligentius legeretur, religiosiusque conservaretur, quam caetera. Aut qui primus carmen ex Lydia subiecit Diris librarius, illud tamquam praestantissimum ac probatissimum elegerat ex Lydia libro. Quae tum maxime apta explicatio erit, si statuas, quod haud inepte facturum esse, qui velit facere, significavi, eo statim consilio factum esse carminum Catonis delectum, ut insereretur in collectionem poematum variorum. Hoc fere persuasum habeo, nisi iam antiquitus haec carmina Catoniana in Collectionem recepta fuissent, vix quicquam Catonis ad nos fuisse perventurum.

Caeterum etsi ipse monui ante Diras scriptum esse carmen ex Lydia, tamen in edendis carminibus Catonis vulgarem ordinem sequi, locoque posteriore ponere carmen illud placuit. Itidem sancitam, vel certe excusandam, tot saeculorum errore appellationem *Dirae*, sensu latiore, ut carmen etiam alterum complectatur, retinui hic illic, sed ubi nulla metuenda erat ambiguitas.

# II.

## VITA CATONIS ET SCRIPTA.

SUETONIUS ILLUSTR. GRAMM. XI.

Valerius Cato, ut nonnulli tradiderunt, Burseni cuiusdam libertus, ex Gallia: ipse libello, cui est titulus *Indignatio*, ingenuum se natum ait, et pupillum relictum, eoque facilius licentia Sullani temporis exutum patrimonio. Docuit multos et nobiles; visusque est peridoneus praeceptor, maxime ad poeticam tendentibus; ut quidem apparere vel his versiculis potest:

*Cato Grammaticus, Latina Siren,*
*Qui solus legit ac facit poetas.*

Scripsit praeter grammaticos libellos etiam poemata, ex quibus praecipue probantur *Lydia* et *Diana*. *Lydiae* Ticida meminit:

*Lydia doctorum maxima cura liber.*

*Dianae* Cinna:

*Saecula permaneat nostri Diana Catonis.*

Vixit ad extremam senectam, sed in summa pauperie et paene inopia, abditus modico gurgustio, postquam Tusculana villa creditoribus cesserat, ut auctor est Bibaculus:

*Si quis forte mei domum Catonis,*
*Depictas minio assulas, et illos*
*Custodis videt hortulos Priapi,*
*Miretur, quibus ille disciplinis*
*Tantam sit sapientiam assecutus,*
*Quem tres cauliculi, et selibra farris,*
*Racemi duo, tegula sub una*
*Ad summam prope nutriant senectam.*

Et idem rursus:

*Catonis modo, Galle, Tusculanum*
*Tota creditor urbe venditabat.*

*Mirati sumus, unicum magistrum,*
*Summum grammaticum, optimum poetam,*
*Omnis solvere posse quaestiones,*
*Unum difficile expedire nomen.*
*En cor Zenodoti, en iecur Cratetis.*

IDEM IBID. II.

Hactenus tamen imitati, ut carmina, parum adhuc divulgata, vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent, ac legendo commentandoque etiam caeteris nota facerent: ut C. Octavius Lampadio Naevii Punicum bellum, quod uno volumine et continenti scriptura expositum, divisit in septem libros: ut postea Q. Vargunteius annales Ennii, quos certis diebus in magna frequentia pronunciabat: ut Laelius Archelaus, Vectiusque Philocomus Lucilii satiras, familiaris sui: quas legisse se apud Archelaum Pompeius Lenaeus, apud Philocomum *Valerius Cato*, praedicant.

IDEM IBID. IV.

Eosdem *litteratores* vocitatos, Messalla Corvinus in quadam epistola ostendit, *Non esse sibi*, dicens, *rem cum Furio Bibaculo*, *nec cum Sigida quidem*, *aut litteratore Catone*: significat enim haud dubie Valerium Catonem, poetam simul grammaticumque notissimum.

HORATIUS SAT. I. X.

*Lucili*, *quam sis mendosus*, *teste* Catone,
*Defensore tuo*, *pervincam*, *qui male factos*
*Emendare parat versus. hoc lenius ille*,
*Est quo vir melior*: *longe subtilior illo*,
*Qui multum puer est loris et funibus udis*
*Exoratus*, *ut esset opem qui ferre poetis*
*Antiquis posset contra fastidia nostra*,
*Grammaticorum equitum doctissimus.*

OVIDIUS TRIST. II. 435. 6.

*Cinna quoque his comes est*, *Cinnaque procacior Anser*:
*Et leve Cornifici*, *parque* Catonis *opus.*

CATULLUS LVI. (LIII.)

*O rem ridiculam*, Cato, *et iocosam*,
*Dignamque auribus*, *et tuo cachinno.*
*Ride*, *quidquid amas*, Cato, *Catullum.*

fuisse praedium non longe a mari remotum, deinde, ex iis agris fuisse, qui militibus Sullanis assignati sunt. Sed quum variae ea de re coniecturae viris doctis proditae sint, ego quoque meam coniecturam habeo, quae caeteris, nisi fallor, melior est. Nempe Scaliger in Corsica insula fuisse agros Catonis coniicit, ad versum Dirar. 1. N. Heinsius ad v. 9. 35. 40. 41. 42. et 52. sine ulla caussa idonea, propter versus 40. 41. 42. male intellectos, in Sicilia prope Aetnam montem, vel etiam in Italia prope Vesuvium. Hinc versu 1. *Sicanias* coniecit, et Battarum ad eumdem versum 1. videri *Siculum* nomen esse scribit. Denique, ut nunc Wernsdorfium, erroremque Boxhornii, de quo infra, si opus est, exponetur, Putschius nuper haud procul a Campania fuisse praedium Catonis coniecit: puto propter notam Campaniae fertilitatem atque amoenitatem. Ego vero in Gallia fuisse coniicio. Quem oriundum fuisse ex Gallia scimus, eius etiam patrimonium in Gallia fuisse, non alibi, veri simile est.

Iuxta agrum suum Cato tenero amore, ita ut nescias, utrum hanc magis dilexerit, an illum, sed ita loquitur, ut uno eodemque amore et agrum et puellam amplexus esse videatur: Lydiam amabat, puellam formosam, elegantem. Habebat autem Lydiam suam secum in agro suo. Id ex Diris v. 40. 41. et clarissime e conclusione Dirarum, v. 89. et v. 95. usque ad finem, apparet, ubi agro suo in perpetuum expulsus, Lydiae simul et agris in omne tempus vale dicit. Atque huic primae ac fortunatae aetati Catonis, ante amissionem agrorum, carmina ad Lydiam assignanda esse tam certum est quam quod certissimum. Nimirum quum Lydiam eodem tempore, quo agrum, amiserit, id quod ex Diris apparet, necessario sequitur, ut carmina amatoria ad Lydiam ante amissionem agri scripta sint. Nisi aut nescio quo modo recuperatam posteriore tempore Lydiam Catoni statuas, cuius rei nullum usquam indicium invenitur, aut, quod etiam magis incredibile est, et contra morem veterum poetarum, carmina ad Lydiam iam finito amore scripta, ad recolendam pristinae voluptatis memoriam, coniicias. Itaque Cato imperturbato otio, tranquillus agri sui possessor, et amore beatus Lydiae, carmina amatoria ad Lydiam, sive de Lydia, si non multa, nonnulla tamen fecit, quae postea in unum volumen collecta, sub nomine *Lydiae* edidit. Sic, praeeuntibus Broukhusio ad Propert. pag. 1. et Iacobsio disputatione illa, accipio haud cunctanter Suetonii locum et Ticidae apud Suetonium versum. Suetonius quidem quod *poemata* dicit, ambiguum est. Distinctius Ticida:

*Lydia, doctorum maxima cura liber.*

*Lydia liber*, ut *Cynthia* Propertii, de quo Broukhusius ad Propert. l. l. Neque hoc quemquam morabitur, quod nullum apud Suetonium indicium

exstat, iuvenile opus fuisse *Lydiam*. Id brevitati tribuendum est Suetonii. Sic aliquando qui post tempora nostra brevem recensionem poetarum Germanicorum dabit, in Goethio, nonnulla praefatus de patria eius atque origine, Iphigeniam, Eugeniam, Godofredum ferrea manu, alia praeclarissimi ingenii monumenta, non observata temporum ratione, recensebit; addet praeterea eumdem de coloribus doctrinam nove atque ingeniose illustrasse: non eodem omnia tempore scripta esse, sed esse unum opus ab iuvene Goethio elaboratum, alia ab viro, et provecta aetate, hoc lectoribus suis relinquet ut cognoscant sive aliunde, sive ex ipsis Goethii scriptis.

*Lydiam* librum deperditum esse omnes putabant, ac fortasse etiam nunc putarent, nisi praeclaro acumine Fridericus Iacobsius loco supra laudato superesse particulam Lydiae haud exiguam vidisset. Nempe quum animadvertisset, de quo iam expositum est Diss. I. quod vulgo in libris carmen exstat *Dirarum* nomine, non unum carmen esse, sed duo, quorum alterum, quod a versu 104. incipit, nihil cum *Diris* commune habet, hoc alterum carmen, adhibito Suetonii loco, ad *Lydiam* librum referendum esse coniecit, vel potius monstravit: est enim coniectura ex iis, quae omnibus sese approbant, quam primum propositae sunt. Igitur haec est, quam *Eclogam e Lydia* dicimus. Nam quod alicui in mentem venit, totam *Lydiam* unum carmen fuisse, atque hoc esse illud carmen, quod ad nos pervenit, Ticidae verbis refellitur, *Lydia*, *doctorum maxima cura liber*: non quod negem *librum* appellari potuisse carmen octoginta versuum: sed quod *Lydiam*, si hoc uno carmine constitisset, *curam* fuisse *doctorum maximam*, id est, ut bene hoc Marklandus ad Statii Silv. V. III. 94. interpretatur, amorem maximum, parum probabile est. Praeterea hoc carmen nostrum ita ipsum comparatum est, ut alia praecessisse carmina, alia sequuta esse appareat. Quem enim poetam tam disertum et tam querelarum fecundum videmus, quum aliquando carendum esset contubernio Lydiae, eum nec tum tacuisse, quum erat apud Lydiam, sed voluptatem felicitatemque suam commisisse fidibus credimus. Quid? quod ipse hoc significat, Eclogae v. 6. (109.)

*Et mea submissa meditatur carmina voce.*

Hoc sponte intelligit quisque, quum tota Lydia ante amissionem agri scripta fuerit, fuisse etiam *Eclogam* nostram ante amissionem agri et ante *Diras* scriptam. Erat igitur ante *Diras* collocanda, si librarius ille observare ordinem temporum voluisset. Deinde, quod aliquis quaerat, quinam sit ager, in quo commorantem Lydiam puellam *Ecloga* describit, iam planissima nobis parata est responsio. Nempe Catonis ager est, idem quem postea amissum *Diris* devovit. Probo eo, quod supra ex Diris demonstravi, Catonem secum habuisse Lydiam in agro suo.

Et sane quaecumque de agro loquitur in Ecloga, loquitur tamquam de notissimo sibi. Veluti initio statim: *Invideo vobis agri, formosaque prata*, in quo illam agri caritatem agnoscimus, cuius tot documenta Dirae praebent. Itaque a Tibulli carmine, *Rura meam, Cerinthe, tenent villaeque puellam,* hoc differt Ecloga nostra, quod Nemesis rus ierat, relicto amatore; hic vero Cato rure abierat, remanserat Lydia. Abierat autem Cato in Urbem fortasse, propter negotia nescio quae, sed necessaria ipsique molestissima, quoniam per id tempus carendum esset contubernio Lydiae: quare conqueritur de temporibus suis, et de mutata vitae conditione, laudat antiquissima tempora et convenientem naturae vitam, per quam amatori semper licuerit habitare cum sua. Versatur totum carmen in desiderio Lydiae, inserta hic illic, ut res ferebat, mentione villae, sed ita, ut semper primum locum obtineat Lydia. Caetera carmina ad Lydiam pertinentia maximam partem faustos Catonis amores, et contubernii cum Lydia descriptiones continuisse, cum laudibus villae coniunctas, probabile est. Cf. quem paullo ante commemoravimus, versus Eclog. 6.

*Et mea submissa meditatur carmina voce.*

et Dirarum v. 26.

*multum nostris cantata libellis*
*Optima silvarum.*

Restant alia, de quibus aliquid certi pronunciare in tanta testimoniorum paucitate periculosum est. Sic ego carmina ad Lydiam, sive de Lydia, scripta quidem a Catone eo tempore, quo floruit Catonis Lydiaeque amor, sed in unum librum, *Lydiam,* collecta, fortasse hic illic emendata, atque edita tum demum, quum exutus patrimonio, et amissa Lydia puella, in Urbe penates collocavit, litterasque profiteri publice coepit, coniicio. Magis incertum est, quo duce et qua institutione iuvenis Cato poeta factus sit. Et puerum quidem domestica institutione usum esse accurata ac diligenti non dubito. Postea adolescens poeticam aut Romae didicit: quamquam ea aetate in praedio plerumque commoratum esse, et Urbem rarius visitasse crediderim; aut grammaticos audivit in sua provincia: quae provincia si Gallia fuit, ut supra conieci, aptus erit ad hanc disputationem Suetonii locus Illustr. Gr. cap. III. *Nam in provincias quoque grammatica penetraverat*, *ac nonnulli de notissimis doctoribus peregre docuerunt*, maxime in Gallia togata: *inter quos Octavius Teucer, et Siscennius Iacchus, et Oppius Chares.* Aut ipse sua industria, et dum lectitabat optimos poetas, tam bona carmina facere didicit. Lydiam puellam quod attinet, satis certo videtur dici posse, qua conditione fuerit. Quodsi Lydia habitavit in agro Catonis, et si Cato eam una cum agro amisit, id quod ita fuisse proba-

vimus, vix aliud quam libertina fuit, aut serva. Quare *Lydiam* verum fuisse puellae nomen, non fictum aut poeticum, censeo. Sed libertinam praefero. Cum serva fortasse non tam liberaliter quam Diris v. 40. 41. ex nostra emend. facit, loquuturus, neque tam religiosus fuisset, quam esse videmus Eclog. v. 53. (156.) seqq. Deinde, in quo momentum inesse non leve putaverim, si servili conditione fuisset Lydia, in Diris Cato, ille Cato, qui tam anxie metuit silvae suae, vix praeteriturus fuisset imminentem puellae suae sortem, durum servitium sub novo domino, et, quod acerbissimum amanti, militem etiam Lydiae rudes manus admoturum esse. Nunc de his omnibus nihil: significat tantum remanere Lydiam in agro. Quae Scaligeri aliquando opinio fuit, ad Eclog. 55. (158.) clientam Catonis fuisse Lydiam, quum coniectura Scaligeri eo in versu facta nitatur, quae coniectura parum probabilitatis habet, sponte concidit. *Doctam* quam ob rem Cato dicat Lydiam Ecl. v. 25. (128.) vidimus ad eum locum.

Iam vero ista communis ex agro et ex puella voluptas non mansit Catoni. Ereptum Catoni agrum suum militibusque datum Sullanis fuisse, collatis inter se Suetonii et Catonis ipsius locis in Diris, statuunt omnes. Sane aut iam datum militi, aut assignatum, interque agros militibus dividendos relatum fuisse, quum Diras poeta scriberet, totum carmen loquitur. Verum de tempore, quo illud amiserit Cato, quam quaestionem viri docti aut plane non attigerunt, aut si qui attigerunt, non satis accurate, ut mihi videtur, pertractaverunt, nova est instituenda disquisitio, qua simul disquisitione hoc, quomodo amiserit, cognoscemus, et aliquid ea de re, nisi fallor, prorsus novi atque inexspectati addiscemus. Erunt autem hoc in loco singula Suetonii verba examinanda ac ponderanda, qui quum in universum idoneus auctor sit, at in Catone est quantivis pretii.

Nempe quod ex narratione Suetonii ea, quae ex *Indignatione* Catonis hausta est, alii colligendum esse dixerunt diserte, alii collegisse tacite videntur, *pupillum* fuisse Catonem, quum exueretur patrimonio, tam incredibile est, ut mirer, quomodo in mentem venire cuiquam potuerit. Et nunc quidem, postquam de Lydia puella et de Lydia libro exploratum est, plane portentosa videri debet opinio, impuberem Catonem consuevisse cum Lydia, et amores cum Lydia exercuisse satis diuturnos, et impuberem carmina fecisse ad Lydiam. Verum etiam ante nos qui de Lydia aut plane non cogitarunt, aut posteriori tempori eum librum assignaverunt, non debebant tamen in animum inducere, pupillum fuisse Catonem, quum patrimonium amitteret. Exstant *Dirae*, quod carmen haud multo post amissum agrum scriptum esse res ipsa ostendit,

et senserunt omnes. Iam Diras quis scriptas esse a puero quatuordecim vel sedecim vel septemdecim annorum sibi persuadeat? Crederem, si hoc diserte sive Suetonius sive alius quisque affirmaret, esse Diras a puero scriptas, vel hoc saltem, permature Catonem coepisse in poesi elaborare. Nunc quum nihil eiusmodi traditum sit a quopiam, ea Diras aetate, quam carmen ipsum, minime immaturum, postulat, scriptas esse putabimus: si non a viro, certe ab iuvene satis matura aetate. Tum, quod ante Diras scripserat, ut ex ipsis Diris constat, cognato argumento opus, de amissione agri, de quo opere paullo post dicetur, et quos ante Diras, et ante amissionem agri, a se scriptos *libellos* ipse Diris v. 26. testatur, num haec omnia fuere puerilis ingenii fetus immaturi?

At, inquiunt, testatur tamen Suetonius, *pupillum* fuisse Catonem, quum exueretur patrimonio. Itane vero? Ego quum primum diligenter excutere verba Suetonii coepi, illico animadverti, posse quidem Suetonium eum in sensum accipi, debere non itidem. Locus hic est: *ipse — ingenuum se natum ait, et pupillum relictum, eoque facilius licentia Sullani temporis exutum patrimonio.* Duo sunt quae dicit: primum, quod pupillus relictus fuerit a patre, caussam fuisse cur exueretur patrimonio; alterum, exutum esse patrimonio licentia Sullani temporis. Pupillum fuisse, quum exueretur, non dicit. Hoc si dicere voluisset Suetonius, fortasse disertius et simplicius dixisset, non hac loquutione, *eo facilius*, quae loquutio natura sua hoc habet, ut magis caussas remotiores quam proximas indicet. Veluti sic scripturus fuisset: *ingenuum se natum ait, et quum pupillus relictus esset, exutum patrimonio licentia S. t.* vel sic: *sed pupillum relictum, exutumque patrimonio l. S. t.* Observetur obiter latine dictum *pupillum relictum.* Nos aliter solemus, ut fortius inculcetur notio patris: er hatte früh den Vater verloren. Plenius Suetonius in Vita Persii: *Pater eius Flaccus pupillum reliquit moriens, annorum fere sex.* Sed eadem brevitate illa alii, ut Cicero Brut. LIX. *Similiter igitur suspicor — Curionis, etsi pupillus relictus est* etc.

Itaque de Suetonio securi tot annos Catoni, ante amissionem patrimonii, damus, quot assuescere agro suo, puellaeque suae, et carmina facere utroque amore plena potuerit. Amare autem Lydiam certe non ante sumtam togam virilem coepit, vel potius aliquo tempore post sumtam togam virilem. Quod enim Propertio accidit, quem virum Lycinna fecit, id non accidisse Catoni, sed captam ab ipso Lydiam esse, suadent versus Eclogae 53. (156.) sqq. Quo redit disputatio nostra supra de annis Catonis. Mihi, si quid ex his poematis, quae servata sunt, iudicandum est, Dirae poetam prodere videntur tricesimo quam vicesimo

anno propiorem. Quare Diras anno Catonis vicesimo octavo assigno, aut septimo et vicesimo.

Superest ut videamus, quomodo et qua occasione patrimonio exutus fuerit. Atque hoc illud est, in quo aliquid novi observatum iri diximus. Quippe concedimus, militibus assignatum esse agrum Catonis, statim assignatum esse negamus, et aliud factum agro Catonis coniicimus, antequam assignaretur militibus. Eius coniecturae rationes has habeo. Primo Suetonii verba, quae qui rimetur: quid autem rimandum erit, si testis locupletissimi atque unici verba non esse rimanda dicas? igitur haec qui rimetur, nihil inesse de militibus fatebitur. Ait Suetonius, ex Indignatione, *licentia Sullani temporis exutum patrimonio.* At longe patens *licentia* vocabulum est, quo omnia, quae eo tempore imperiose, crudeliter, iniuste facta sunt, continentur. Ea autem innumera fuerunt, ut illa assignata veteranis praeda pars tantum, neque ea maxima, infinitae *licentiae* videri debeat. Conferat si quis imaginem licentiae universae habere cupit, Lepidi orationem in Sallust. Hist. Fragm. lib. I. in qua inter multa accusationis capita infimum locum tenet veteranis facta largitio, Sullaeque non tam hoc, quod eam fecerit veteranis, quam quod nimis parcam fecerit ac futilem, vitio vertitur; et Cicer. Paradox. VI. 2. ubi ita: *qui illam Sullani temporis messem recordetur.* Addam alia vocabula, quorum aeque lata potestas: etsi plerumque de proscriptionibus maxime sermonem esse, quod sane fuit malum temporis istius atrocissimum, intelligitur. Orat. pro domo XVII, 43. *Proscriptionis miserrimum nomen illud, et omnis acerbitas Sullani temporis.* ibid. XXX, 79. *illa Sullani temporis arma.* cf. ibid. XXXI, 83. *propter iniquitatem illius Cinnani temporis.* Rursus Epist. ad Famil. XIII. IV. *Sullani temporis acerbitatem.* XIII. V. *Sullani temporis iniustissima calamitate.* Alibi apud Ciceronem, Sallustium, Florum, *Sullana dominatio.* Hinc factum, ut etiam *Sullanum tempus* dicatur simpliciter, quo omnis atrocitatis licentiaeque, quae tum grassabatur, recordationem complectuntur. Ut Cicero in Verr. lib. I. XVI, 43. postquam *illud tempus Sullanarum proscriptionum ac rapinarum* commemoravit, pergit: *Quamobrem hoc omni tempore Sullano ex accusatione circumscripto,* etc. et pro S. Roscio Amer. XXI, 58. *neminem esse, qui verbum facere hoc tempore auderet.* Haec dum lego atque relego, adducor fere, ut parum proprie atque accurate loquutum esse Suetonium dicam, si voluisset assignatos veteranis agros significare. Est enim in ea re *licentia* vocabulum nimis sive arcta sive lata potestate, non satis grave: exui patrimonio, ut illud veteranis detur, ea iam non foret *licentia*, sed *acerbitas, calamitas Sullani temporis.* Deinde quum Suetonius *eo* exutum esse Catonem *facilius* scribat, quod *pupillus re-*

et senserunt omnes. Iam Diras quis scriptas esse a puero quatuordecim vel sedecim vel septemdecim annorum sibi persuadeat? Crederem, si hoc diserte sive Suetonius sive alius quisque affirmaret, esse Diras a puero scriptas, vel hoc saltem, permature Catonem coepisse in poesi elaborare. Nunc quum nihil eiusmodi traditum sit a quopiam, ea Diras aetate, quam carmen ipsum, minime immaturum, postulat, scriptas esse putabimus: si non a viro, certe ab iuvene satis matura aetate. Tum, quod ante Diras scripserat, ut ex ipsis Diris constat, cognato argumento opus, de amissione agri, de quo opere paullo post dicetur, et quos ante Diras, et ante amissionem agri, a se scriptos *libellos* ipse Diris v. 26. testatur, num haec omnia fuere puerilis ingenii fetus immaturi?

At, inquiunt, testatur tamen Suetonius, *pupillum* fuisse Catonem, quum exueretur patrimonio. Itane vero? Ego quum primum diligenter excutere verba Suetonii coepi, illico animadverti, posse quidem Suetonium eum in sensum accipi, debere non itidem. Locus hic est: *ipse— ingenuum se natum ait, et pupillum relictum, eoque facilius licentia Sullani temporis exutum patrimonio.* Duo sunt quae dicit: primum, quod pupillus relictus fuerit a patre, caussam fuisse cur exueretur patrimonio; alterum, exutum esse patrimonio licentia Sullani temporis. Pupillum fuisse, quum exueretur, non dicit. Hoc si dicere voluisset Suetonius, fortasse disertius et simplicius dixisset, non hac loquutione, *eo facilius*, quae loquutio natura sua hoc habet, ut magis caussas remotiores quam proximas indicet. Veluti sic scripturus fuisset: *ingenuum se natum ait, et quum pupillus relictus esset, exutum patrimonio licentia S. t.* vel sic: *sed pupillum relictum, exutumque patrimonio l. S. t.* Observetur obiter latine dictum *pupillum relictum.* Nos aliter solemus, ut fortius inculcetur notio patris: er hatte früh den Vater verloren. Plenius Suetonius in Vita Persii: *Pater eius Flaccus pupillum reliquit moriens, annorum fere sex.* Sed eadem brevitate illa alii, ut Cicero Brut. LIX. *Similiter igitur suspicor — Curionis, etsi pupillus relictus est* etc.

Itaque de Suetonio securi tot annos Catoni, ante amissionem patrimonii, damus, quot assuescere agro suo, puellaeque suae, et carmina facere utroque amore plena potuerit. Amare autem Lydiam certe non ante sumtam togam virilem coepit, vel potius aliquo tempore post sumtam togam virilem. Quod enim Propertio accidit, quem virum Lycinna fecit, id non accidisse Catoni, sed captam ab ipso Lydiam esse, suadent versus Eclogae 53. (156.) sqq. Quo redit disputatio nostra supra de annis Catonis. Mihi, si quid ex his poematis, quae servata sunt, iudicandum est, Dirae poetam prodere videntur tricesimo quam vicesimo

anno propiorem. Quare Diras anno Catonis vicesimo octavo assigno, aut septimo et vicesimo.

Superest ut videamus, quomodo et qua occasione patrimonio exutus fuerit. Atque hoc illud est, in quo aliquid novi observatum iri diximus. Quippe concedimus, militibus assignatum esse agrum Catonis, statim assignatum esse negamus, et aliud factum agro Catonis coniicimus, antequam assignaretur militibus. Eius coniecturae rationes has habeo. Primo Suetonii verba, quae qui rimetur: quid autem rimandum erit, si testis locupletissimi atque unici verba non esse rimanda dicas? igitur haec qui rimetur, nihil inesse de militibus fatebitur. Ait Suetonius, ex Indignatione, *licentia Sullani temporis exutum patrimonio.* At longe patens *licentia* vocabulum est, quo omnia, quae eo tempore imperiose, crudeliter, iniuste facta sunt, continentur. Ea autem innumera fuerunt, ut illa assignata veteranis praeda pars tantum, neque ea maxima, infinitae *licentiae* videri debeat. Conferat si quis imaginem licentiae universae habere cupit, Lepidi orationem in Sallust. Hist. Fragm. lib. I. in qua inter multa accusationis capita infimum locum tenet veteranis facta largitio, Sullaeque non tam hoc, quod eam fecerit veteranis, quam quod nimis parcam fecerit ac futilem, vitio vertitur; et Cicer. Paradox. VI. 2. ubi ita: *qui illam Sullani temporis messem recordetur.* Addam alia vocabula, quorum aeque lata potestas: etsi plerumque de proscriptionibus maxime sermonem esse, quod sane fuit malum temporis istius atrocissimum, intelligitur. Orat. pro domo XVII, 43. *Proscriptionis miserrimum nomen illud, et omnis acerbitas Sullani temporis.* ibid. XXX, 79. *illa Sullani temporis arma.* cf. ibid. XXXI, 83. *propter iniquitatem illius Cinnani temporis.* Rursus Epist. ad Famil. XIII. IV. *Sullani temporis acerbitatem.* XIII. V. *Sullani temporis iniustissima calamitate.* Alibi apud Ciceronem, Sallustium, Florum, *Sullana dominatio.* Hinc factum, ut etiam *Sullanum tempus* dicatur simpliciter, quo omnis atrocitatis licentiaeque, quae tum grassabatur, recordationem complectuntur. Ut Cicero in Verr. lib. I. XVI, 43. postquam *illud tempus Sullanarum proscriptionum ac rapinarum* commemoravit, pergit: *Quamobrem hoc omni tempore Sullano ex accusatione circumscripto,* etc. et pro S. Roscio Amer. XXI, 58. *neminem esse, qui verbum facere hoc tempore auderet.* Haec dum lego atque relego, adducor fere, ut parum proprie atque accurate loquutum esse Suetonium dicam, si voluisset assignatos veteranis agros significare. Est enim in ea re *licentia* vocabulum nimis sive arcta sive lata potestate, non satis grave: exui patrimonio, ut illud veteranis detur, ea iam non foret *licentia*, sed *acerbitas, calamitas Sullani temporis.* Deinde quum Suetonius *eo* exutum esse Catonem *facilius* scribat, quod *pupillus re-*

*lictus esset*, ne hoc quidem bonum sensum habet, si de assignato militibus patrimonio Catonis locum accipias. Parum, puto, quaerebatur in istis agrorum assignationibus, utrum pupillus olim is, qui exturbandus erat, relictus fuisset. Exturbabantur promiscue proscripti omnes. Denique, in quo cardo rei, totum locum nexumque expendenti Suetonii, qui duas diversas sententias proponit, unam eorum, quibus libertus esse Burseni perhibebatur Cato, alteram, huic contrariam, ex Indignatione, ingenuum natum fuisse, et pupillum relictum, eoque facilius l. S. t. exutum patrimonio: sponte sese offert et quasi obtrudit coniectura, eam sententiarum diversitatem deque Catonis statu controversiam non Suetonii demum aetate ortam, sed antiquam esse, atque in eo, quod Burseni libertus, non ingenuus, haberetur Cato, caussam fuisse cur exueretur patrimonio. Hoc autem si est, necessario sequitur, non communi multis proscriptione aut vi militum spoliatum esse Catonem, sed actione iudiciali. Atque huc unice facit Catonis versus in Diris 82.

*O male devoti*, praetorum *crimina*, *agelli.*

ubi v. Animadvers. His argumentis permotus, agrum Catonis non statim pervenisse in manus militum, sed primo abiudicatum Catoni, nescio quo accusatore, actione iudiciali, verum ea, ut tum tempus erat, turbulenta ac parum diligenti, et publicum factum, paullo post inter agros militibus dividendos esse relatum puto.

Ultra procedere, et quomodo acta ista sint omnia, quaerere non audeo. Hoc tamen, ut iam indicavi, valde probabile est, propterea abiudicatum Catoni agrum esse, quod de statu Catonis, utrum ingenuus natus, et legitimus agri dominus, an libertus Burseni esset, et praeter ius possessor, exsisteret dubitatio. Non prorsus dissimile exemplum Cicero Epist. ad Cornificium XII. xxvi. praebet, Erotem Turium, Q. Turii libertum, qui averterat hereditatem Turianam. Quamquam hoc exemplum ab nostro etiam eo differt, quod Eros iste homo fuit, Cicerone teste, nequam, Cato autem insons, et, quod credimus ipsi asseveranti, ingenuus natus, agrique sui iure dominus. Alio modo ingenuitatis usu atque fructu privati sunt M. Antonius Gnipho, C. Melissus: Sueton. Ill. Gramm. vii. et xxi. Tum, quid hoc nocuerit Catoni, quod pupillus relictus fuisset, in aperto est. Etenim quod sero a tutore traditum acceperis, id te legitime possidere, difficilior probatio est, quam si statim ipse adultus hereditatem adieris. Caeterum utrum plus culpae in accusatorum odio atque invidia, quod hominum genus quam frequens, et quam promptum fuerit, ex Ciceronis orationibus tum Verrinis tum aliis, ut pro S. Roscio Amer. xxxvii, 105. constat, an in praetoris fuerit iniquitate, et fortasse cupiditate praedae, ignoratur. In universum iu-

diciorum licentiam ac perturbationem non minimam fuisse Sullani temporis calamitatem, tum sponte coniiciat quivis, tum clamant monumenta istius aetatis.

Ibi igitur vehementi doloris impetu Cato *Indignationem* effudit, quam ego poema fuisse et credidi semper cum Scaligero, et credere pergam. Et credidit Iacobsius. Nimirum quum ante *Diras* aliud a Catone scriptum carmen esse, simile argumentoque cognatum Diris, ita pateat ex Dirarum initio, ut hoc ne antiquissimos quidem interpretes, Pomponium, Domitium, Badium, praeterierit; Suetonius autem quae de *Indignatione* tradit, argumentum ostendant simile cognatumque Diris, merito carmen fuisse *Indignationem*, et hoc ipsum carmen, quod scriptum ante Diras fuit, existimabimus. Nuper Putschius *Indignationem* prosa oratione libellum fuisse, de vita fatisque Catonis, non ante Diras, sed post eas, a sene Catone conscriptum coniecit. Qua re quum nihil haberet, quod ante Diras scriptum esse a Catone diceret, in hanc opinionem processit, ut *Diras* carmen bis tractatum atque elaboratum esse a poeta coniiceret: primo illud brevius fuisse, postea, praeposito prooemio, multisque hic illic versibus insertis, ad eam, quam nunc habet, longitudinem adauctum. Quod ille Suetonium negat, si carmen fuisset *Indignatio*, ita paullo post pergere potuisse: *Scripsit praeter grammaticos libellos etiam poemata, ex quibus praecipue probantur Lydia et Diana*: id tum demum verum esset, si hoc Suetonius in se recepisset, ut scripta Catonis omnia nominatim recenseret. Enimvero Suetonii in Catone, ut in aliis Grammaticis, haec est narrandi ratio. Incipit de patria, origine: qua de re quum sciret controversiam esse inter testes, *Indignationem* affert in testimonium. Mox, ubi de scriptis, primo, ut decebat in Catalogo Grammaticorum, libellos commemorat grammaticos, tum, quibus prae aliis Grammaticis Cato excelluit, poemata, non omnia, sed, ut diserte monet, potiora tantum, hoc est, quae potiora videbantur aetati illi, *Lydiam*, et *Dianam*. *Indignationem*, quod carmen sive brevitate sua, sive tristitia argumenti, minus placebat, cur iterum commemoraret, nihil caussae erat. Ut neque *Diras* commemoravit Suetonius. Non vereor ne quis verba Suetonii: *libello, cui est titulus Indignatio*, in Putschii convenire sententiam dicat. *libellus* de carmine non minus quam de prosa oratione usurpatur: de quo monui ad Dir. v. 26. Nisi Suetonius consulto *libellum* dixerit, quem historicum magis esse quam poeticum iudicaret. Quod autem *περιφραστικῶς*, *libello cui est titulus*, non *Indignatione* simpliciter, sic solet hic scriptor, ubi titulum graecum insolentemve ponit: Ill. Grammat. VI. *in parastichide libelli, qui inscribitur Pinax.* et IX. *Librum etiam, cui est titulus Periautologos, edidit.* si recte ibi *Periautologos* e coniectura virorum doctorum.

*Περιαλγής* Toupius Cur. Noviss. in Suid. p. 266. ed. Lips. approbante Meinekio Quaest. Scen. II. p. 22. Illud neminem fugit, quam egregie exacerbato recenti iniuria animo titulus *Indignatio* conveniat. Quodsi sero, senex, in terminis vitae, hoc sibi scribendum sumpsisset, et questus esset, ut puto, lenius, et titulum fecisset alium, fortasse hunc, *Querelae*: ut fuit *Querelarum* liber Caecinae, pedestri ille oratione scriptus, Cic. Epist. ad Caecinam, VI. vi. Quid scriptum in *Indignatione* fuerit, post ea quae paullo ante ex Suetonio disputavi, facilis explicatio est. Narrabat originem suam, orbitatem, hinc quomodo spoliatus esset; invehebatur in calumniatores suos, iniquitatemque iudicii exsecrabatur multa cum vehementia. Denique in extremo, ut conieci supra, ubi de Battaro, carmine diras agro iam non suo indicebat breviter: id quod ex Dirarum versu 3. colligitur.

Non multo post *Diras* fecit, quum accepisset militibus datum iri agrum. Quamquam neque tempus, quod inter utrumque carmen interfuerit, definire, neque quomodo factum sit, ut militibus assignaretur Catonis ager, demonstrare quisquam pro certo poterit. Unum hic obiici video, contra eam sententiam, satis per se probabilem ac veri similem, qua supra in *Gallia*, i. e. Cisalpina, agrum fuisse Catonis conieci: dubium esse, an agrorum inter veteranos divisio ea, quae Sullae imperio facta est, Galliam attinuerit. Pighius quidem affirmat factum esse, in Annalibus ann. DCLXXII. pag. 265. *Legem denique agrariam tulit, qua Volaterranorum, Fesulanorum in Etruria, aliorumque perduellium agros in Gallia, Umbria, Latio, Campania, Samnio, aliisque per Italiam regionibus publicauit, atque legionibus suis divisit.* Ego, Galliam quod attinet, hoc tantum invenio apud scriptores antiquos, diu inimicam Sullae fuisse Galliam, et sero, id est, post Carbonis Norbanique apud Faventiam cladem, facinusque Albinovani, ad Metellum Sullamque transisse: Appian. B. C. I. lxxxvi. et xcii. Hanc igitur, et maxime civitates Galliae eas, quae prae aliis se pertinaces ostendissent, eodem modo a Sulla habitas esse, quo habuit alios, proscriptos esse, agros publicatos, admodum probabile est. Unde facile coniicias etiam hoc perpessos esse, ut in praedam cederent veteranis. Sigonius De antiquo iure Ital. Lib. III. cap. iv. inter eos, qui pro inimicis Sullae steterint, et quos inde acerrime persequutum esse Sullam veri simile sit, ex Gallis Cisalpinis Faventinos nominat, et Ravennates: non satis scio quo auctore. Sane Faventinos adversus Sullam stetisse ante proelium illud apud Faventiam, de quo Appianus I. xci. Livius Epit. Lib. lxxxviii. Velleius II. xxviii, 1. referunt, certum videtur. Et apud Florum III. xxi, 27. pro eo, quod nunc ibi editum, *Florentia*, Schegkius ad Vellei. l. l. *Faventia* legi voluit: quae tamen valde lubrica

coniectura est. De Ravenna habet aliquid, quod huc referatur, Appianus I. LXXXIX. Nobis sufficit potuisse fieri, ut etiam in Gallia agri veteranis a Sulla assignarentur. De Catonis autem agro, an re vera in potestatem venerit militum, incertus haereo. Mirum fortasse narrare videbor: sed tamen verum est nihil legi in *Diris*, unde colligas traditum militi agrum esse. Affuit finitor: Dir. v. 45. cernit animo poeta violentiam futuri possessoris veterani; omnia mala imprecatur agro, ne frui eo milites possint: assignatum iam fuisse agrum certo cuidam militi, et iam fuisse in agro militem eum, nusquam dicit. Itaque hic fortasse inanis timor fuit, et fortasse nunquam pedem fixit miles in agro Catonis. Quo magis certum est perditurum esse operam, si quis serio in nomen inquirere eius militis animum inducat: quare hac de re meam hariolationem supra inter fabulas posui, Diss. I. p. 247. Quam diversum ab *Indignatione* argumentum *Dirarum* sit, sponte apparet. *Indignatio* de priori iniuria, *praetoris*, erat; inerant dirae in agrum, sed eae breves. Postea, nova irascendi querendique caussa illata, dum militibus praedae datum agrum, eoque irrevocabilem factam esse iacturam suam intelligit: nam usque eo spem fovere recuperandi dominii potuerat: tum igitur, quod ibi breviter peregisset, exornare atque amplificare, et novum inde carmen deducere, quod totum diris constaret, animum induxit.

In mentem venit quaerere obiter, an forte Cato, quum *Lydiam* librum ederet, *Indignationem* et *Diras* posuerit in fine eius libri, tamquam tristissimam fortunatorum olim amorum conclusionem. Sed magis probabile est, seorsum et scriptos et editos libellos fuisse *Indignationem*, et *Diras*.

Illud utcumque sit, sive datus est militibus ager, sive non datus, Cato eum non recuperavit, etsi multum haud dubie non solum versibus, sed etiam alio modo laboravit, ut factam sibi iniuriam patefaceret, ac vindicaret. Atque hinc nova aetas Catonis incipit. Romam se contulit, ibique totum se litteris dedit, quas primo discere accuratius, mox etiam docere coepit. Tum igitur *Grammaticus* factus est, quo eum nomine Furius Bibaculus celebrat, et ipse Suetonius; vel *litterator*, ut Messalla Corvinus apud Sueton. Ill. Gramm. cap. IV. Sed antequam reliqua videamus, de re fortunaque Catonis monendum est, qua ille, quamvis privatus agro illo suo, per partem temporis, quod Romae egit, satis, ut videtur, luculenta usus est. Nam villam habuit. Suetonius: *Vixit ad extremam senectam, sed in summa pauperie et paene inopia, abditus modico gurgustio, postquam Tusculana villa creditoribus cesserat, ut auctor est Bibaculus.* Ea de re mirum quam inepta Boxhornii Animadv. in Dir. v. 1. 82. opinio est, prius poema, *Indignationem*, in milites Sullanos directum fuisse, hoc autem nostrum, *Diras*, extrema

Catonis aetate scriptum, in furentes atque importunos creditores. Quam postea contra I. Fr. Gronovium, qui eam merito reprehendisset, defendendam suscepit, Epist. p. 41. sqq. Wernsdorfius autem p. XLVIII. agrum Catonis, quem amissum devovet Diris, hac ipsa regione commemoratae a Suetonio villae Tusculanae quaerendum esse iudicabat. Ut villa Tusculana, si recte percipio mentem Wernsdorfii, reliquiae fuerint olim longius patentium, sed occupatorum maximam partem a militibus Sullanis Catonis agrorum. Quae est coniectura per se minime contemnenda. Sic Tibullo ager non totus ereptus, sed vehementer concisus fuit. Et Cicero ad Papirium Paetum Epist. IX. XVII. quum Tusculano metuit, non metuit, ne totum eripiatur, sed hoc, ne aliqua sui parte circumcidatur. Adscribam locum, quo penitus cognoscatur, quantus tum perticae metus fuerit etiam apud eos, qui nullam singularem timendi caussam habebant. *Veientem quidem agrum et Capenatem metiuntur. hoc non longe abest a Tusculano. Nihil tamen timeo: fruor, dum licet; opto, ut semper liceat.* Nobis ager ille, ut dictum est, in Gallia fuisse videtur; Tusculanam vero villam postea acquisivisse Cato, sive discipulorum suorum vel Maecenatis alicuius liberalitate, sive, quod malim, servata ex naufragio patrimonii sui pecunia. Caeterum quam ea villa ampla fuerit, aut non ampla, incertum est: potuit etiam exigua et valde cara esse Catoni nostro, et multum, quum ea cedendum creditoribus esset, doloris afferre. Sed iam de Catone videndum *Grammatico.* Ac primo quod paullo ante dixi Catonem Romae, prius quam doceret, didicisse litteras accuratius, non temere dixi. Refero ad hos annos quod Suetonius Ill. Gramm. II. ab ipso Catone traditum testatur, Lucilii satiras apud Philocomum legisse Valerium Catonem. Simul ratio reddenda est supra a me exhibitae in hoc Suetonii loco scripturae. Vulgo ibi sic: *ut* Laelius Archelaus, (vel, quod etiam peius: *Laelius, Archelaus,*) Vectius, Quintus Philocomus *Lucilii satiras familiaris sui: quas legisse se* etc. ut tres sint Grammatici. Ego e Gronovii, Oudendorpii, Wolfii sententia sic: *Laelius Archelaus, Vectiusque Philocomus,* tum propter eas rationes, quas illi habuerunt, tum propter aliam. Probabile est, ac videtur iam Dousa ita sensisse ad Lucilii Fragm. ex incertis satirar. lib. CLXX. p. 247. eumdem a Suetonio hominem dici, de quo Quintilianus I. V, 56. ita: *Taceo de Tuscis et Sabinis, et Praenestinis quoque: nam ut eorum sermone utentem* Vectium *Lucilius insectatur.* Insectabatur autem Vectium Philocomum Lucilius non violenter, sed iocose, ut familiarem. Rursus eumdem Vectium a Cicerone Brut. XLVI. intelligi, coniectura erat Dousae. Praeterea observandus apud Suetonium modus loquendi, *legisse apud Archelaum, apud Philocomum:* quo idem infra utitur cap. XXIV. *Legerat in provincia quosdam veteres*

*libellos apud grammatistam.* Addam de aliis poetarum apud Suetonium testimoniis quae utile sit scire.

Versiculi:

*Cato Grammaticus, Latina Siren,*
*Qui solus legit ac facit poetas*:

cuius poetae sint, non dicit Suetonius: sed sunt haud dubie eius, cuius paullo post duo sequuntur epigrammata, Furii Bibaculi. Ita iam censuerunt Ach. Statius ad Catull. LVII. Scaliger, Pithoeus, Burmannus in Anth. Lat. *Siren*: propter dulcedinem poematum. ut Sophoclem alius ipsum *Sirena* appellatum esse, alius *Sirena* habuisse in tumulo tradit: cf. Huschkii Anal. crit. p. 18. Alexander Aetolus de Euripide: *ἀλλ' ὅ τι γράψαι, τοῦτ' ἂν μέλιτος καὶ Σειρήνων ἐπετεύχει.* Aliis triste aliquid, sed idem dulcissimum, sonant Sirenes: Eurip. Helena v. 167. sqq. et carmini lugubri praeest *Siren* apud poetam inferioris aetatis Anthol. Lat. IV. CLXXII. 20. *Et comes his lacrimis veniet pro coniuge Siren.* De significatione verbi *legit* Wolfius monet, idem esse quod alibi, et apud eumdem Suetonium, *praelegere.* De aetate Bibaculi, et videri popularem fuisse Catonis, supra monitum. Catonem senem, eodemque tempore in flore aetatis, ut videtur, vel certe minorem Catone annis non paucis, Furium Bibaculum vidit Horatius, Sat. I. x. init. et v. 36. 37. coll. Sat. II. v. 41. Tam mirabiliter autem de Catone sentit, eamque tum his versibus, tum duobus, quae sequuntur apud Suetonium, epigrammatis, venerationem pietatemque prodit Bibaculus, ut cum merito coniicias ipsum auditorem fuisse Catonis, et ex iis, quos ille *poetas fecit.* Sciens haec scribo. Alia Weicherti De M. Furio Bib. Poeta p. 341. sq. 346. sq. et Wüllneri quoque De Varrone Atacino p. 6. sententia fuit, qui Bibaculum eo tempore, quo satiram libri I. decimam scripsit Horatius, annos fere sex et sexaginta natum, illo autem, quo Horatius satiram libri II. quintam, iam septuagenarium fuisse statuunt. Unde sequeretur usque ad annum aequales fuisse Bibaculum et Catonem. Ego vero, quum illorum sententia tantum Eusebii, vel Hieronymi in Chronicis Euseb. testimonio nitatur, Bibaculi natalem ad annum Urbis 651. referentis, malo aliquid de fide Hieronymi detrahere, quam ipsi non credere Bibaculo, qui quaecumque de Catone scripsit, omnia hoc sonant, non ut ab aequali de aequali, sed ut a minore natu de multo maiori dicta videantur. Maxime illud: *Ad summam prope nutriant senectam.* Deinde quae Horatius duobus locis Sat. I. x. 36. et II. v. 41. contra Furium Bibaculum disputat, quum tumorem maxime Furii perstringat, aptiora sunt, si in virum nondum senem scripta esse statuas, et minus inhumana, quam si in senem. Tum qui concesserit, quod p. 357. scriptum est a Weicherto, Bibaculi versum: *Orbilius ubi-*

*nam est, litterarum oblivio,* scriptum post mortem Orbilii esse, Orbilium autem in vivis anno 735. fuisse, caussam dubitandi de testimonio Hieronymi habebit alteram. Ab anno enim 651. usque ad annum 735 anni sunt quatuor et octoginta, longum vitae spatium, et quod attribuere Bibaculo, nisi diserta iubeant probatorum auctorum testimonia non licet. Denique versus, qui quidem ad nos pervenere, Furii Bibaculi non antiquiorem Catullo, aequalem Ciceroni, poetam, sed ipsam Catulli aetatem, vel etiam saeculi Augusti elegantiam produnt.

Quae subiicit Suetonius epigrammata duo Furii Bibaculi, *Si quis forte mei domum Catonis,* et *Catonis modo, Galle, Tusculanum,* miro quodam casu in Codicem Catulli Guelpherbytanum Nr. 283. Gud. illata sunt, atque inserta inter Catulli carmen XVI. *Paedicabo ego vos,* et XVII. *O Colonia quae cupis,* eo ordine quo leguntur apud Suetonium. Fortasse illa antiquiori codici, ex quo Guelpherbytanus expressus, adscripta fuerant in fronte libri, vel in extremo libro, a librario, sive quod cognatam poesin Furii Bibaculi cum Catulliana esse sentiret, ut senserunt Quintilianus, Tacitus, Diomedes, sive ut vacuam expleret paginam; noster autem librarius, qui Guelpherbytanum scripsit, ea pro Catullianis habuit, inseruitque carminibus Catulli. Quomodo autem factum sit ut insereret hoc loco, non alio, coniectura explico, ut mihi videtur, minime inepta. Quippe tenendum est, qui in multis Catulli editionibus carmini XVI. attexti sunt versus tres, *Si qui forte mearum ineptiarum Lectores eritis, manusque vostras* (Guelph. *nostras*) *Non horrebitis admovere nobis*: in Guelpherbytano, ut in aliis, non hoc loco, sed carmini XIV. additos legi post versum *Saecli incommoda pessimi poetae.* Carmen XVI. ita concluditur: *Legistis* (Guelph. *Legis* sed correctum postea) *male me marem putastis Paedicabo ego vos et inrumabo.* Iam igitur coniectura mea haec est: in codice antiquiori, ex quo descriptus Guelpherbytanus, appositam fuisse ad versum *Legistis male me m. p.* notam huiusmodi: *hic ponantur versus Si qui forte etc.* quo significabat librarius versus illos tres demendos esse carmini XIV. et addendos huic carmini XVI. At noster librarius, qui hoc non intelligeret, deceptus similitudine verborum, huc retulit versus Bibaculi: *Si quis forte mei domum* etc. Facit ad hanc coniecturam manus veteris, quae in priore codicis Guelpherbytani parte multos locos correxit, observatio. Ea ad carmen XIV. ubi leguntur versus tres *Si qui forte mearum i.* etc. adscripsit: *desunt* et ad carminis XVI. versum 13. *Legistis m. me m. p.* notam hanc: *Siqui et reliqui tres versus hic ponuntur.* Fuit autem illa versuum trium ex carmine XIV. in carmen XVI. translatio, quantum mihi quidem constat, primum a Baptista Guarino proposita. Novi, et quod bonae frugis sit, in epigrammata Furii

Bibaculi nihil praebet Guelpherbytanus: sunt illa, ut apparet, descripta ex aliquo codice Suetonii, miserum in modum corrupta. Hunc in modum: SIQVIS *fere mei domum catotini De pictas nimio assilas et cylios Custodes uidet ortalosq; lapi Miratur* etc. Versus 6. ita: *Qua celibrua calculus et tros farris.* In versu 3. retinui supra vulgatam scripturam: *Custodis videt hortulos Priapi,* etsi suam probabilitatem virorum doctorum coniecturae: *Custodes videt hortuli Priapos,* non nego. *custodes* legit etiam Raphael Volaterranus, ubi Suetonii de Valerio Catone locum excerpit, simulque poematia exscribit Bibaculi, Commentar. Urban. lib. XIIII. p. 325. ed. Bas. Froben. 1559. Carminis alterius versus 1. ita se in Guelferbytano habet: ECIRONIS *modo galle tusculanum* et ultimus: *En cor enoccatis en lecum catetis.* Versus penult. ut vulgo: *Vnum difficile expedire nomen.* et profecto non intelligo, quid in eo male habere viros doctos potuerit. Suppleatur *esse,* vel ut sermo sit abruptus, *est,* aut *fuit.* Paupertas omni tempore usitata Grammaticorum sors fuit: cf. quae de Pompilio Andronico Suetonius VIII. de Hygino id. XX. idemque cap. IX. de Orbilio, qui ipse persenex pauperem se. et habitare *sub tegulis*, fatebatur. Addo philosophum, Scironem. Verum hic tamen *villulam* habebat eius fere modi, quo Tusculanam fuisse Catonis suspicor. Virgilius versibus suavissimis: *Villula quae Scironis eras, et pauper agelle, Verum illi domino tu quoque divitiae.* Weichertum, virum doctissimum, miror, quod ironiam, et aculeatam ambiguitatem esse in Furii de Catone epigrammatis, et derideri a Furio egestatem Catonis scribat. *Gallum,* ad quem est Furii Bibaculi epigramma alterum, nihil obstat, quantum video, quominus putemus Cornelium Gallum esse poetam.

De *Cinnae* versu apud Suetonium, *Saecula permaneat nostri D. Catonis,* paullo post dicam. Burmannus ibi, quod obiter moneo, fortasse nomen restituendum esse poematis, et Suetonium sic scripsisse coniicit: *Cinna in Smyrna,* sola fretus auctoritate Pomponii Sabini, ad Virg. Ecl. IX. 35. ita scribentis: *De Cinna meminit Suetonius*, *quod scripserit Smyrnam.* Hunc igitur ita videri in nostro Suetonii loco scriptum invenisse: *Cinna in Smyrna.* Non tantum, puto, tribuisset Pomponio Burmannus, si de aetate Pomponii Sabini compertum habuisset. Ego errasse Pomponium, et Suetonium dixisse pro alio, qui obversaretur ipsi, putabam. Ut alium infra videbimus eiusdem Pomponii ad Cirin v. 285. p. 612. errorem in nominibus. Nunc, quod melius, Weichertus De C. Helvio Cinna p. 199. Suetonii locum Pomponio ante oculos fuisse statuit eum, qui est Ill. Grammat. XVIII. ubi de Crassitii in Smyrnam commentario. Monetque idem Weichertus contra Burmannum rectissime, versui *Saecula permaneat nostri D. Catonis*, vix locum fuisse in Smyrna.

De reliquis Catulli, Ovidii, Horatii testimoniis haec habeo.

Catullus LVI. (LVII.) quem intelligat *Catonem*, prorsus incerta res est. Nostrum fortasse intelligi opinio est Achillis Statii, et Scaligeri tam ad Catullum quam ad Diras.

At Ovidius Trist. II. 435. 6. non dubium quin nostrum dicat:

*Cinna quoque his comes est, Cinnaque procacior Anser*:
*Et leve Cornifici, parque* Catonis *opus*.

Atque ita censuere, quos dixi, Ach. Statius et Scaliger ad Catulli locum. Quum autem *leve opus*, et amatorium, dicit Ovidius, haud dubie *Lydiam* intelligit.

Fuit etiam, quod Gronovius Diatr. in Statii Silvas p. 342. (T. I. p. 527. ed. Hand.) narrat, qui Catonis mentionem in noto illo Statii loco V. III. 93. fieri, eumque locum ita scribendum coniiceret: *Et quibus* — Lydia *amor nomenque fuit*. Supra modum inepte.

Multo his gravius, et omnino de Catone testimonium post Suetonium gravissimum Horatii est, qui ipse iuvenis et vidit senem Catonem, et collaudat, quantum quidem ab Horatio laudari virum veteri poetarum scholae addictum par erat, et de senili occupatione eius refert satis memorabilia. Sat. I. x. init.

*Lucili, quam sis mendosus, teste* Catone,
*Defensore tuo, pervincam, qui male factos*
*Emendare parat versus. hoc lenius ille,*
*Est quo vir melior*: *longe subtilior illo*,
*Qui multum puer* etc.

Iam attulit Gyraldus. Disputaturus eram contra eos, qui hos octo versus aut alio ponendos loco aut non Horatianos esse, existimaverunt: inter quos, nisi fallor, Eichstadius fuit aliquando, qui quae ea de re scripsit, doleo me frustra quaesivisse. Malos esse versus, ac recentioris originis, nemo, ut puto, dicere praeter Lambinum, ausus est. Nunc mihi otium fecit Morgensternius simplici et perspicua demonstratione, Praef. Indicis Praelectionum Dorpat. mens. Iul. 1821. pag. V. seq. Quod primarium est, Horatianos esse, recte iudicaverat Heindorfius, cuius reliquae disputationi quae adiecit vel opposuit Morgensternius, praecipua haec sunt. Primo verba *Ut redeam illuc*, v. 8. quae ille intrusa ab alio, ut efficeretur nexus, opinabatur, tuetur rectissime: *nam*, inquit, *quaerenti, quo referenda sint illa*, Ut redeam illuc, *facilis responsio est, referri ad locum de Lucilio mendoso*. Deinde hos octo versus integros ab Horatio *primum initio Satirae decimae positos* fuisse dicit, *unde Poeta ipse, petulantiae suae pertaesus, secundis curis eos moverit*. Recte omnia. Etsi non tam petulantiam versuum displicuisse Horatio diligentius cogitanti dixerim, quam longi-

tudinem exordii. Altius rem repetere, luxuriare in exordiis, notum est iuvenum maxime poetarum vitium. Quare Horatius, qui mature temperare sibi didicit, quum persentisceret multo fortius atque elegantius futurum esse, si abruptum esset sermonis initium: *Nempe incomposito dixi* etc. priorem longitudinem atque ubertatem rescidit penitus. Apte Morgensternius praeceptum recordatur Horatii, Sat. ead. 69. 70. *Detereret sibi multa, recideret omne, quod ultra Perfectum traheretur.* Quod autem servati sunt versus, quos tamen ipse rescidisset Horatius, id hoc modo explico. Horatius duo librario Sermonis huius exemplaria tradidit: prius illud, in quo inerant versus, postea alterum a se correctum, a quo aberant. Vel facta est correctio, quum qui antea seorsum singuli emissi fuissent Sermones, collectos in unum librum publicabat; litterarum vero amantes non penitus perire priora exemplaria passi sunt. Venit etiam in mentem, quamquam non multum huic coniecturae tribuo, fortasse propterea non invitum rescidisse versus illos poetam iterata editione, quod primum publicata Satira decima obisset Cato. Utinam vero sic multae ad nos pervenissent optimorum scriptorum in eodem loco et priores et posteriores cogitationes. Multum inde proficeremus ad cognoscendam veterum in scribendo diligentiam ac temperantiam. De incepto Catonis, Lucilium emendandi, in universum tenenda sunt illa Wolfii in Prolegomenis p. CCXXXI. sqq. qui etiam Catonis meminit. Observetur ironia Horatii valde, ut mihi videtur, faceta: significat meliores futuros esse Lucilii versus, Catonis opera, sed meliores quam ipse fecisset Lucilius. Et sane credendum erit Horatio, non constitisse Catonem in castigandis librariorum erroribus. Qua in re mirari lubet temporum ac mutati per tempora iudicii sensusque vicissitudines. Lucilii versus etiam Catoni iusto videbantur duriores esse; Horatio autem Lucilii versus intolerabiles, nec Catonis poemata multum placuisse suspicor. De consilio Catonis, quod ille non exsecutus est, ex narrationibus compertum habebat Horatius: nisi, quae mea coniectura est, statim proferenda, publice scripto quodam de eo indicium fecerit Cato.

Nunc eo perventum est, ut recenseamus scripta Catonis. Et de *Lydia* quidem, et de *Indignatione* dictum est; itemque de *Diris*, quae hoc loco erant necessaria.

Sequitur *Diana*, de qua repetam testimonium Suetonii: *Scripsit praeter grammaticos libellos etiam poemata, ex quibus praecipue probantur* Lydia *et* Diana. Lydiae *Ticida meminit*: *Lydia doctorum m. c. liber.* Dianae *Cinna*:

*Saecula permaneat nostri Diana Catonis.*

Sic nunc omnes, etiam Oudendorpius, Wolfius. Quod vehementer miror. Sane eodem modo conceptum locum habuerunt Stephanus Fragm. Poet.

vet. Lat. p. 413. Gyraldus col. 195. F. Ach. Statius ad Catull. carm. I. extr. ut haec pro communi librorum editorum scriptura haberi possit. Verum rectissime Casaubonus in versu Cinnae *Dictynna* scribi iussit e libro Petavii. *Dictina* Cod. Voss. apud Burmannum. Addo Pomponium Sabinum, qui ita in suo libro invenerat, in Cirin v. 283. *Cato opus de Dictynna scripsit, ut ait Marsus: Secula permaneat nostri Dictynna Catonis.* Quod *Marsum* nominat, error est memoriae. Quicquid Burmannus dicit, nunquam librarius exquisitum *Dictynna* pro vulgari *Diana* repositurus fuisset. Illud autem manifesto falsum est, quod Suetonium Burmannus dicit eo versum Cinnae consilio afferre, ut *Dianam* scriptam esse a Catone probet. Id etiam aliis probare testimoniis potuisset, vel potius non erat cur probaret: nam Suetonii aetate haud dubie et *Diana* carmen exstabat, et alia Catonis poemata. Immo hoc probat, idoneis olim iudicibus praecipue placuisse *Lydiam* et *Dianam.* Igitur duo fuere carminis nomina, unum exquisitius, *Dictynna,* quo Cinna, alterum vulgare, *Diana,* quo Suetonius utitur. Utrum de duobus Cato praetulerit, incertum est. Haec non solum per se bona observatio, sed etiam utilis ad reliquam disputationem nostram. Nam *Diana* carmen quo argumento fuerit, perdifficilis videatur quaestio esse. Contra Boxhornium satis dictum in Dir. v. 26. Heynii in Excursu ad Cirin permirus error est, amicam fuisse Valerii Catonis *Dianam.* Et quod scribit: *laudari vidi Dictynnam, tamquam Catonis alicuius carmen,* haud dubie ante oculos habuit Pomponii locum paullo ante a me laudatum. Ego *Dianam* carmen mythologico argumento, doctum, a Catone viro et iam Grammatico scriptum coniicio. Ut ex mythologia petitum putem, nomen maxime illud, *Dictynna,* facit. Fortasse Cato eo carmine tum alia recondita de Diana, tum hoc persequutus est accuratissime, eamdem esse Dictynnam et Dianam. Qua re factum est, ut nunc *Diana* in universum, nunc, a praecipua argumenti parte, *Dictynna* appellaretur carmen Catonis. *Dictynnam* scriptorum, qui multi a Gyraldo Hist. Deor. col. 365. sq. a Spanhemio ad Callimachi locum h. Dian. v. 190. usque ad v. 205. et ab Heynio Excursu in Cirin excitantur, alii nympham, Dianae familiarem, heroinam, fuisse; alii, quod verius videtur, ipsam eo nomine cultam a nonnullis civitatibus Dianam tradidere. Est etiam apud Natalem Comitem p. 175. ed. Ven. 1581. de Britomartide, *Dictynnae et Apheae nomine culta* ab Aeginetis et a Cretensibus, locus Apollodori Cyrenaici, quem aliunde non recordor: cf. Heynius ad Apollod. Fragm. p. 1175. Usitatum poetis latinis nomen *Dictynna* est, nunc, idque frequentissimum, ut Diana, nunc etiam ut sit Luna: eo more, quo *Phoebus* Soli commune atque Apollini nomen est. Cf. Ciris v. 245. et v. 303. sqq. de Britomartide:

*Unde alii fugisse ferunt, et numina Aphaeae*
*Virginis adsignant: alii, quo notior esses,*
*Dictynnam dixere tuo de nomine Lunam.*

*Aphaeae* ex praeclara emendatione, quam primus, ut videtur, Ianus Parrhasius, post Parrhasium Iac. Nicolaus Loënsis, et post hunc P. Leopardus et Scaliger fecerunt. Vulgo *numina phocae,* et sic veteres mei omnes, Veneta Rubei, Vicentina, Vossianus II. et Basileensis, nisi quod in hoc, ut solet, *phoce* legitur. Moneo contra Friesemannum et Heynium, qui *numina Apheae* esse in ms. Basileensi narrant. *phocae* etiam legebat Pomponius Sabinus. Versu seq. *assignat* Veneta Rub. *adsignat* Basil. *assignant* Vicent. et Voss. II. Caetera proba sunt. Supplendum est *tibi*: assignant tibi numina Aphaeae virginis, h. e. deam te, Aphaeae virginis nomine, faciunt. Non opus ut *numen* cum Nicolao Loënsi et P. Leopardo, aut *nomen* legas cum Scaligero. Versum 305. Heynius ita tentabat: *Dictynnam dixere, tuo de nomine, Luna.* parum feliciter: Dictynnam appellatam esse puellam illam a nomine deae, nemo, quod sciam, tradidit. Hoc dicit, puellae nomen translatum esse in deam. Quaerebam, an forte hic poeta Catonem respiceret. Sed praestat de diversis civitatibus sive populis, quorum hic Aphaeam coluerit, ille Dictynnam, intelligi, ut facit Scaliger. Pergo de *Dictynna.* Poeta, cuius nomen doceri velim, sed videtur posterior Augusto esse, apud Sosip. Charisium IV. 254.

*Luna, deum quae sola vides periuria vulgi,*
*Sive Hecate mavis, seu tu Dictynna vocari,*
*Huc descende.*

Sic emendavi. Apud Putschium: *Seu Cretea magis, seu tu Dictynna vocaris.* Qui tractaverit versum, novi neminem praeter I. Nicolaum Loensem Epiphyll. VIII. XXVII. a quo sic scriptus affertur: *Seu Cretaea mavis, seu tu Dictynna vocari.* Facile quisque pharmaceutriam loqui coniiciat. Denique conferantur Tibullus I. IV. 25. ubi in Colbertino Broukhusii, et fortasse aliis, *Diana*, in aliis *Dictina,* prorsus ut apud Suetonium; Ovidius Metamorph. II. 441. Statius Theb. IX. 632. De *Luna* Dictynna cf. si placet, Festus *Dictynna Diana.*

Carmina Catonis an unquam sive ab ipso Catone, sive ab alio, in unum collecta corpus fuerint, incertum est. Ac fortasse nunquam collecta fuere. Quo minus mirum, quod ad nostram non pervenerunt aetatem. Hoc magis mirum, in tanta monumentorum illius temporis poeticorum ruina, quae cuncta magis magisque crescens Virgilii, Horatii, Ovidii auctoritas delevit et quasi absorbuit, quod pars tamen carminum Catonis servata fuerit. Id vero quomodo factum sit, expositum a me est probabili modo Diss. I. pag. 241. et pag. 250.

*Grammaticos libellos* ut non magnos ambitu, ita nec multos scripsit, mea sententia, Cato. Malebat voce erudire audientes, et scriptoribus, maxime poetis, praelegendis atque interpretandis *poetas facere*, ut ille ait. Tum etiam exemplo suo: quamquam nec poemata Catonem, quum Romam habitare coepisset, docendique suscepisset munus, multa scripsisse arbitror. Ad libellos grammaticos unum habeo quod referam. Supra apposui Suetonii e cap. II. locum, de satiris Lucilii, *quas legisse se apud Archelaum Pompeius Lenaeus, apud Philocomum Valerius Cato praedicant*: quod quum ita dictum sit, ut scriptum quoddam Catonis ante oculos habuisse videatur Suetonius, nusquam Cato illud de se praedicare potuit aptius, quam in libello generis grammatici. Deinde eadem fortasse opportunitate, eodemque loco, novam editionem emendandi a se Lucilii promiserat.

Tam pauca quum sint, quae de scriptis Catonis constant, et pauciora etiam ante me, qui diligentius excussis Suetonii, aliorum, testimoniis nonnulla docuisse nova et a nemine observata antea mihi videor, viri docti e coniectura augere numerum Catonis operum, Catonique assignare nonnulla, quae incerto ferebantur auctore, voluerunt. Valde illi infeliciter. Primus Delrius esto, qui ad Catonem referebat *Cirin*. Id quum breviter indicasset Heynius Prooemio in Cirin p. 106. mihi labore haud exiguo inquirendus locus fuit. Dubitare se, quis Cirin scripserit, non semel profitetur Delrius ad Senecae Tragoedias: ut in Adversariis, quae Partem Syntagmatis Tragoediae Latinae secundam constituunt, p. 93. *Virgilius, si modo ipse auctor, de Scylla.* et saepius in Commentario, sive Parte III. Syntagmatis Tragici, p. 96. *quidam in Cyri.* p. 202. *Quisquis ille est, in Cyri.* p. 525. *vetus ille scriptor in Cyri.* Semel *Valerium* nominat, Advers. p. 94. *de Scylla Valerius, in Cyri.* Et in Scriptorum Indice in Partem III. ita est: *Valerii Catonis, qui auctor, Ciris.* Quid ille secum habuerit ad commendandam mirabilem opinionem, frustra quaero. An, quia mentio est in Ciri *Dictynnae*, haec fuit Delrii sententia, idem *Cirin* carmen esse, et laudatam a Suetonio *Dianam* sive *Dictynnam*? Multo magis portentosa Wernsdorfii Prooem. de Val. Catone p. XLVII. coniectura, Valerio Catoni attribuentis carmen ad Lydiam: *Lydia bella puella candida.* Quam coniecturam repetit Tom. eiusd. pag. 133. sq. et 345. sq. Dixi de carminis istius aetate, compositionemque eius metricam, vel potius rhythmicam, explicui in Prooemio Indicis Scholar. Bonnens. hibern. a. 1828. Sed conferenda est Niebuhrii de eodem carmine, ac de duobus aliis, eodem rhythmo, ab ipso repertis, et doctissima et elegantissima dissertatio, quam mihi inscripsit, in Museo Rhenano III. 1. Disputationi isti meae quae addam nonnulla habeo. Unum quod corrigam:

tenendum est enim etiam versum 1. caesuram habere, quam caeteri habent, inter pedem, si hi pedes vocandi sint, secundum et tertium, sic: *Ly'dia bélla,* puélla cándida. *pu* syllaba anacrusis est, ut in aliis huius carminis versibus, quos ibi monstravi. Sunt eodem genere rhythmi Mattheoli cuiusdam, vel Petri de Corbolio, sed cum homoeoteleuto, ut illi a Niebuhrio V. I. prolati, et rudi obscenitate, in G. de Bure Catalogo Bibl. Ducis de la Valliere P. I. T. II. 2619. pag. 129. An eiusdem Petri de Corbolio, quem Fabricius Bibl. med. et inf. Lat. T. V. p. 256. anno 1222. obiisse testatur? Scriptum codicem, in quo carmen ad Lydiam, vidi nullum praeter Guelpherbytanum, de quo relatum est in Museo Rhen. l. l. pag. 9. Est illud cum Epistola Sapphus, et cum aliis, Ovidii maxime, scriptis nonnullis, in codice Mediceo admodum recenti, Bandin. Catal. T. III. col. 761. Plut. LXXXXI. Cod. XXVI. hoc titulo: *In iocis Galli Poetae.* De editionibus Fanensibus accurate H. Bardili in Annalibus Iahnii Vol. VII. Fasc. II. p. 224. sq. Ego nullam habui antiquiorem Argentoratensi ex officina Schur M. D. VIIII. in qua illud Cornelii Galli Elegiarum, istarum ineptarum sex, Libello subiicitur. Est autem haec repetita Pomponii Gaurici editio, ut cognoscitur ex subscripto: *Lector quod has Cor. Galli poetae relliquias legeris Pomponio Gaurico, adolescenti optimo, gratias habeto.* Atque ex hac Pomponii Gaurici editione Lyricum illud cum elegiis sex in multas Catulli, Tibulli et Propertii pervenit, ut in Lugdunenses 1534. 1551. in Basileenses H. Pet. 1539. 1569. 1592. in Venetam H. Scot. 1549. hac inscriptione: *Sequens Lyricum quia a plerisque Cor. Gallo attribuitur, hic adiicere libuit.* quae eadem in Argentoratensi 1509. nisi quod ibi postrema sic: *hoc loco subscribendum putavi.* At mature cognita fraus est, tum illa quae in Elegiis, tum haec in Lyrico. I. C. Scaligeri sententiam iam commemorat Lugdunensis A. Gryph. 1573. et simili modo Grasseri editio Lugd. 1607. Novi ex libris huiusmodi vix quicquam exspectandum. Versu penult. *Sic tu non cernis* Argentoratensis 1509. et margo Basil. H. P. 1592. ubi vulgo *Saeva* quod melius; *Scena* Guelpherb. Addam e Guelpherbytano potiora, quae ei communia sunt omnia cum editione Fanensi apud Burmannum Annotation. ad Anthol. Tom. I. Mantissa p. 746. v. 5. *capillos* male. versum 9. et 10. non deesse in Fanensi, ut ait Burmannus, sed transpositos esse puto, ut sunt in Guelpherbytano, hoc ordine: *Pande p. genas r. Infusas r. p. t. Pande p. stellatos o. Flexaq; s. n. cilia.* Estque hoc fortasse verum: aptus a collo humerisque per genas transitus ad oculos. *Infusas* Guelph. ut Fanensis, fortasse vere. v. 13. *labia coralia* v. 18. *semipomas* quod verum puto. v. 20. *Sinus expansus* vere. Denique, quod proprium Guelpherbytano videtur, inter versum

24. et 25. hunc tamquam novum versum: *Molliter ac lepide sanet* insertum habet. Versum 3. *Albamque rosam simul rubidam* nuper bene illustravit Axtius collato Musaei loco 58. 59. ubi cf. Heinrich. I. C. Scaligeri sententia, quam dixi, in Poetices libro VI. ubi de Corn. Gallo, haec est: *Quod Lyricum inscribitur, illius sane non est, sed inepti cuiuspiam.* Aliquid Wernsdorfii opinioni simile vir doctus apud Gronovium Diatr. in Stat. Silvas, ille qui *Lydiam* inferendam esse in Statii Silv. V. III. opinabatur. Dicit enim de Catone: *Hic celebrarit fortassis Lydiam illam quoque Lyrico carmine.* Verum hunc tamen non de hoc carmine lyrico cogitasse, sed illud tantum dicere voluisse putaverim, Catonem etiam lyrica carmina fecisse. Quod non minus incredibile.

De annis Valerii Catonis, mortisque tempore, nihil superest quod addam supra disputatis, praeter unum: non ut certa me illa posuisse, sed ut ea, quae ex probabilitatis lege iudicanda essent. Ea lex haec inprimis praescribebat duo: ut tantum Catoni temporis daretur, quantum satis ad amorem Lydiae, et ad conscribenda carmina ea, quae *Lydiae* nomine edidit; deinde, ut ne plus, quam Horatius postulat, qui Catonem senem quidem, sed non decrepitum, vidit. Denique Catonem, quum nihil sit, quo numerum septuaginta annorum superavisse probetur, non multo postquam illud scripsit Horatius, obisse suspicor.

# III.

## DE POESI CATONIANA.

Si nihil argumentis Diss. I. et II. expositis addendum haberemus, paratum ei, qui fidem abrogare invento Scaligeri vellet, effugium maneret eiusmodi: haud dubie plures poetas latinos fuisse, qui Lydiam aliquam aut habuerint re vera, aut suam eo nomine celebraverint puellam, atque inter hos fortasse unum fuisse, praeter Valerium Catonem, alium, qui amiserit agrum, eoque fere modo, quo Cato, amiserit. Nunc haecce carmina sic ipsa facta esse monstrabimus, ut nulla nisi Valerii Catonis aetate scripta videri debeant. Demonstratio, ut sentio, non ita facilis, et in qua vereor ut ab omni parte satis faciam. Multa in quaestione tali insunt quae sentiri debent, demonstrari nequeunt. Sed tamen ad sensum satis confidenter provoco, ut quem communem hac quidem in re cum multis habere videar. Nemo inventus est post Scaligerum, qui contrariam Scaligero sententiam profiteretur: unde omnes ita sensisse probabile est, ut ille sensit: quod in carminibus Catonis insit ab elegantia Virgilii, aliorumque eius aetatis poetarum alienum, eo modo alienum esse, non ut aetatem posteriorem Virgilio, sed ut paullo priorem arguat.

Id ego, quicquid est, *antiquae simplicitatis* appellatione comprehendo.

Incipiam ab iis quas liceat repetitiones dicere Catonis. Non veretur Cato verba eadem brevi intervallo, vel loquutiones paullo ante a se usurpatas integras absque mutatione repetere. Non loquor de versibus intercalaribus, qui in Diris multi: quibuscum comparandi versus in Ecloga 1. 8. 20. Neque illam repetitionem volo, Dir. 26. et 34.

*multum nostris cantata libellis.*
*nostris potius devota libellis.*

quae consulto facta est, ut per versus simile, sed tamen non idem sonantes augeretur vis oppositionis. Neque sententiarum repetitionem dico:

ut scite animadvertit Scaliger v. 102. *Quamvis ignis eris* etc. eamdem sententiam esse cum superioribus, v. 96. *Sive eris, et si non* etc. Quo etiam refero locum Eclogae de Lydiae in agro occupationibus, ubi ter eamdem coniecturam suam Cato inserit: sui, Catonis, meminisse Lydiam, v. 3. v. 6. 7. v. 15. Neque conduplicationem, palillogiam, et quas alias appellationes excogitaverunt rhetores, in mente habeo, satis Catoni, ac fortasse Catoni aliquanto magis, quam aliis poetis, sed tamen aliis quoque usitatas figuras: Dir. v. 2. 3. *rura canamus, Rura quibus diras indiximus.* 40. 41. *tua, tua* 48. 49. *Undae, quae vestris pulsatis littora lymphis, Littora, quae dulcis* etc. 55. 56. *dicunt portenta natare, Monstra repentinis* etc. 61. 62. *Dicantur mea rura ferum mare: nauta caveto Rura quibus diras indiximus.* 67. 68. *Flectite, Flectite* 80. 81. *advena arator, Advena* et si quae sunt alia eiusmodi. Quae omnia non fortuito, sed consulto sic esse dicta a poeta probabile est. Illud volebam, suas ipsius loquutiones Catonem haud raro repetere in eodem carmine diversis locis, vel ex uno carmine assumere in alterum, sive quod oblitus esset se hoc iam dixisse ita alibi, sive, quum meminisset, nullam esse in repetitione offensionem crediderit. Non ita Virgilius, Ovidius, alii: qui quum sua iterant, maiora faciunt intervalla, et iterant consulto. Quod genus iam exclusi ab hac disputatione. Ut Virgilium constat, imitatione moris Homerici, sua hemistichia, totosque versus, leviter mutatos, iterare, qua de re inter alios Heinsius in Virg. Ecl. v. 37. alibi. Cato Diris v. 20. *Veneris vario florentia serta decore,* et Eclog. v. 13. *varios, Veneris stipendia, flores.* Eclog. v. 13. 4. *inter varios, Veneris stipendia, flores Membra reclinarit, teneramque illiserit herbam.* et 66. sq. *tenera gavisa elidere in herba Purpureos flores, q. i. accumbebat.* Eclog. v. 36. et 72. *ploravit amores.* Eclog. v. 37. *Cur non et nobis facilis natura fuisset.* et v. 77. *Quo facilis natura fuit.* Ibid. 48. *Conditio similis — mortalibus illis.* et v. 52. *Conditio nobis vitae.* Ibid. v. 59. *Dulcia quum Veneris furatus gaudia primum* et paullo post v. 65. *Gaudia libavit dulcem furatus amorem.* *impia vota* dilectam Catoni dictionem fuisse dixeris: habetur enim bis in versu intercalari, vel intercalaribus simili, Dir. 3. 62. et in re diversa, Eclog. 61. pro quo Heinsius semel *invida fata* reponi iubebat, vulgare ac tritum pro exquisito, silicem pro gemma. Quodsi in centum et octoginta, quos fortuna servavit, Catonis versibus loci similes sunt eo numero, non minorem fuisse numerum in carminibus, quae deperdita, putabimus. Tum Cato, quod verba attinet, multus est in verbis iisdem iterum, et brevi spatio repetendis.

Virgilium, et qui alii Augusti aetate poesin latinam absolverunt, le-

gesque praescripserunt exemplo, a nemine nisi suo periculo negligendas, ab iterandis verbis, ea iteratione excepta, quae consulto fit, ad augendam vim orationis, diligenter se abstinuisse, vetus est, ac verissima, si recte accipiatur, criticorum observatio, cui nunc tacite obsequuti sunt, nunc diserte enunciatam publicaverunt atque confirmaverunt. Proponam eam verbis conceptam unius ex antiquioribus, in hoc genere litterarum principis, Scaligeri, in M. Manil. Proleg. extr. *Est et aliud non leue vitium in nostro, quod nimius in verborum iteratione, quum posset aut parcius eadem, aut alia pro illis vsurpare. Itaque criticas aures offendunt illa toties totiesque inculcata*, Sidera, coelum, mundus, per templa, per sidera: *et alia non pauca, quae ter quater trinis, quaternis continuis versibus infulcit. Hoc vt non mediocre vitium est in nitido scriptore, ita puri sunt ab hac labe principes Poetae Virgilius, et Ouidius. Apud quem tamen legas,*

*Mox apta natando*
*Crura dat, vtque eadem sint longis saltibus apta.*

Locus inprimis disertus ac perspicuus, nisi quod in editione Boecleri, unde eum descripsi, versus Ovidianus, qui est ex Metamorph. XV. 377. miro quodam errore ita scriptus affertur: *Crura dat, vtque e. s. l. cruribus apta.* Scaliger haud dubie *saltibus* scripserat, ut est in libris Ovidii: reprehendit enim iterationem verbi *apta.* Sponte autem intelligitur, observationis huius, etsi Scaliger illud tantum reprehendit, quum binis vel pluribus versibus continuis iterantur verba eadem, usum etiam aliquem esse latiorem. Atque sic acceptam frequentaverunt, iterum iterumque inculcarunt, eaque tamquam regula critica usi sunt, ut duos maxime praecipuos nominem, N. Heinsius et R. Bentleius: ille in Ovidii Metamorph. I. 15. 76. 93. 560. 591. 632. 641. 656. II. 116. 264. 284. 329. 471. aliisque locis quos haud dubie multos inveniet, qui quaerere volet; Bentleius vero nusquam frequentius, cupidius, quam in Manilio, in quo ut omnino audacissime versatus est, ita multis locis hanc sive unicam sive primariam caussam emendandi habuit, quod displiceret verbi eiusdem iteratio. Mutavit autem non solum eos locos, quos indicantem audivimus Scaligerum, sed etiam alios, eadem de caussa. Iam si quis meam expetat sententiam, an recte mutavisse tot locos Bentleium putem, respondeo multum abesse ut putem: neque Ovidii locos, quos in dubitationem vocavit Heinsius, neque aliorum, quos alii, omnes emendandos, hac quidem de caussa, esse. Itaque hactenus meam facio sententiam Hemsterhusii, in Propert. I. II, 11. At vel sic sua observationi illi utilitas, suus honor, constabit. Ut enim non pari omnes diligentia observasse legem eam, vel ut observantissimum legis poetam aliquoties sui suaeque legis oblitum esse concedamus: exceptio

non tollit regulam. Velut Manilium, poetam didacticum, quod *coeli, mundi, siderum* per naturam indolemque carminis sui ubique obvias notiones vocabulis etiam iisdem saepe, eodemque in loco, dixerit, non valde mirer: quamquam etiam tali in genere multum diligentia poetae valet. Ut Virgilius in Georgicorum partibus iis, quae steriles videantur alicui, admirabilem copiam, variandique peritiam ostendit. Et in universum quidem laudabile hoc poetarum studium fuit. Varietas, etiam verborum, delectat; iteratio, dum taedium legenti creat, suspicionem movet inopiae. Verum tamen, ut libere dicam, vereor ne interdum supra modum diligentes et fere anxii poetae latini fuerint. Difficilis res ad demonstrandum, sed quae lucem capit e comparatione poetarum graecorum. Memini Hermannum aliquando praecipere, graecos poetas, copiarum sermonis sui nulla unquam intentione exhauriendarum memores sibique conscios, verba eadem repetere haud cunctanter; latinos, qui non tam amplum sibi domi penum esse sentiant, studio ac diligentia efficere, ut locupletes videantur. Caeterum non dubito quin de lege illa certiora ac subtiliora, quam adhuc constant, praecepturus sit, qui magnum exemplorum numerum examinare, atque inter se singula comparare voluerit. Sic probabile est, hoc maxime cavisse poetas, ne in eadem versus sede fieret iteratio; tum ne fieret in pede versus heroici primo, aut ultimo. Sensit Bentleius in Manil. I. 13. Scilicet talis iteratio omnium facillime in sensum sive legentis sive audientis incurrit. Exempla seligam ex Heinsianis illis, et quidem eiusmodi, in quibus iteratio nullo modo tolerabilis, quamvis versetur in vocula minutissima. In Ovidii loco Metam. II. 116. ferri nequit *Tum pater,* quia sequitur v. 122. *Tum pater.* Non tam inops Ovidius, ut in tam vicinis sententiis bis initium faceret particula *tum.* Igitur eatenus mihi cum Heinsio convenit. Verum quod idem repetito verbo *pater* offenditur, de eo aliter sentio, ac sine offensione v. 116. *At pater* et v. 122. *Tum pater* scribi potuisse statuo. Ibid. 329. *Nam pater* Heinsius, rectissime, non *At p.* Sequitur enim v. 333. *At Clymene.* Ut consistam in hoc exemplorum genere, Propertii loco utar, illo, in quem olim felici haud dubie coniectura *Memnonem* intuli, II. XIII. (X.) 45. sqq.

*Nam quo tam dubiae servetur spiritus horae?*
*Nestoris est visus post tria saecla cinis.*
*Cui si tam longae minuisset fata senectae*
Caerulus *Iliacis miles in aggeribus,*
*Non ille Antilochi vidisset* etc.

Ad quem locum hoc fortasse iusto scripsi cupidius contra eos, quibus *Troïus* vel *Dardanus miles* placuit, ieiunum esse: *Nestorem si Troianorum aliquis interfecisset.* Certe eodem modo Aeschyli loquitur

Orestes, Choëph. 345. *εἰ γὰρ ὑπ' Ἰλίῳ πρός τινος Λυκίων, πάτερ, δορίτμητος κατηναρίσθης.* Quamquam neque hoc Aeschyleum valde placet. In coniectura de Memnone mea acquiesco: quem in sensum Hermannus etiam *candidus* legi posse animadvertit: mihi, ut solet, meum *caerulus* placet. Verum, propter quod nunc utor Propertio, intolerabile est, nisi fallor, duorum continuorum distichorum tam simile initium:

*Nam quo tam dubiae*
*Cui si tam longae*

Ferrem fortasse, si omnes ita iuberent codices, ac ferrem in Propertio, cuius non illud in versibus expoliendis artificium est, quod cernitur in Ovidio. Nunc quum alius scripturae vestigia exstent, amplectemur eam:

*Cui si longaevae minuisset facta senectae*

ut Heinsius. Igitur *tam* fulcrum est metri, adhiberi coeptum, quum aut *longaevae* in *longae* abisset, aut *Cui si* in *Quis*, ut quidem libri habent non pauci, corruptum fuisset. At alibi non *longaevae* Propertius, sed *longae* dicit *fata senectae*. Quasi vero quod semel dixit, etiam bis dicere debuerit. At nemo alius *longaevam* dixit *senectam*. Haec gravior foret obiectio, si monstrari in dictione ista posset, quod displicere deberet. Adscriptos habeo locos nonnullos, quorum unus, sed poetae valde recentis, proxime ad Propertium accedit. Sophocles Oed. R. 518. *βίου μακραίωνος;* idem Aiace v. 194. *μακραίωνι σχολᾷ*, ubi *μακραίωνι*, ut apud Propertium *longaevae*, ad rem non maiorem vim habet, quam haberet simplex *μακρᾷ*. Anthol. Lat. Burm. lib. IV. CCCVIII. 5. *Vicisti priscos longaeva aetate parentes.* lib. VI. Luxorii epigr. LVII. 3. *Tantam dum numeres longaeva aetate senectam.* alibi apud eumdem poetam, pag. 614. *fama longaeva*, et apud alium eiusdem fere notae, pag. 406. *longaeva incuria.*

Ignarus legis illius Cato neque plura continua verba repetere, eumdemque orationis colorem inferre diversis locis reformidavit, qua de re iam dictum est, et verba singula secure iteravit. Neque eo reprehenderim Catonem, ut Putschius facit ad Ecl. 22. 60. Unum quidem alterumve horum in deliciis fuisse Catoni haud absurde coniicias: ut *felix*, *formosus*, *umbrae*. Dir. v. 10. *felicia rura* v. 33. *felicia ligna* v. 90. *felix nomen agelli.* Dir. v. 27. *formosis viretis* v. 32. *formosae umbrae*: non addo ex eodem v. 32. *formosior*, quia hoc ex iis est, quae consulto repetita videri debent, ut apud Virgilium *Formosi pecoris custos, formosior ipse.* Cf. Ecl. 1. 2. 25. 68. Dir. v. 28. *Tondebis v. umbras* v. 32. *F. q. cadent umbrae.*

Reliqua enumerare nolo, sed indicabo, ubi assuetos Virgilianae et Ovidii sive diligentiae sive anxietati viros doctos male habuerit, atque adeo emendandi libidinem excitaverit repetitio.

Ad Dirarum versum 9. Burmannus ita: Inproba *praestiterit pro* Inpia, *quia* inpia vota *paullo ante praecesserunt.* Scilicet versu 3.

Ad v. 21. Heinsius: *Importune hic* avena *toties inculcatur*, *hoc certe loco nullius est rei.* partim bene, partim male. et male Burmannus in Anth. Lat. lib. III. LI. 12. ratiocinatur. Quod nisi per se absurdum hoc loco *avena* esset, nihil noceret repetitio.

v. 28. displicet Heinsio *umbrae*: *et sane* umbrae *mox denuo sequuntur.*

v. 51. tentat Burmannus vulgatum *perfundat.* valde inconcinna esse, hoc loco *perfundat,* paullo ante v. 49. *diffunditis*, tum mox v. 63. *infundimus*, et v. 68. *diffundite*, et v. 77. *diffuso,* eadem voce toties inculcata. Poterat annumerare *diffusis* v. 43.

Idem ad v. 82. *sed* civili crimine *et* praetorum *vel* praedonum crimine *hic inconcinnius dicuntur*, *eadem voce tantillo spatio recurrente.* Quod ex parte verum esse vidimus.

ad v. 100. *nulla enim elegantiae necessitate* migrabunt *et* emigret *repetuntur.*

Heinsius ad Eclogae versum 22. mori dolore *scio dici. sed* mortis *hic sequitur.*

Burm. ad Eclogae v. 55. *locus sine dubio corruptus*, *repetita voce* meae. Sacratamque meae *et*, Inmatura meae.

Eclogae v. 60. *dulcis* offendebat eumdem, quum praecedant v. 59. *dulcia V. gaudia*, et paullo ante v. 57. *vita dulcius,* tum mox v. 65. sequatur *dulcem f. amorem.*

Ecl. v. 68. idem *gaudia* reiicit, hoc argumento, quod modo praecesserint *gaudia,* v. 65.

Ego neque in Eclogae v. 58. haererem, ubi *Nam* Aldinae, neque obstaret, quod mox v. 61. recurrit *Nam,* etsi haec repetitio ex iis, quas minime ferendas apud alios, ut apud Ovidium, dixi. Verum incerta est Aldinarum v. 58. auctoritas.

Alia lex est, non geminari epitheta a bonis poetis. At Cato Dir. v. 28. 9.

> *nec laeta* comantis
> *Iactabis* mollis *ramos inflantibus auris.*

ubi Heinsius: *Sed duo epitheta de ramis coniungi non fero,* comantes *et* molles. Rursus Cato Dir. v. 92.

> Mollia *non iterum carpetis pabula* nota.

quod eadem de caussa attentabat idem, attentatque Wakefieldius. Frustra. De epithetis geminatis nota est Ob. Gifanii Collectan. in Lucret. p. 62. ed. Haverc. disputatio. Cf. Broukhusius qui etiam Catonis locum Dir. 92. adhibet, in Tibull. III. v, 22. Uterque diversa miscent. Nempe

eadem fere huius quaestionis videtur ratio esse, quae prioris de repetitione. Antiquiores, ut Lucretius, sine dubitatione geminant, more Graecorum: quibus addo Catonem. Virgilius et caeteri quum abstinere ab geminandis epithetis solerent, tamen et ipsi geminaverunt certis quibusdam conditionibus. Nullum puto eiusmodi exemplum inveniri apud Virgilium, quale est in Diris: *mollia pabula nota,* quod sane nobis quoque, Germanis, nescio quid ieiunum sonat: die zarte bekannte Weide. Recte Heinsius in Virg. Ecl. III. 38. *Lenta quibus torno facili superaddita vitis* praetulit scripturae alteri: *Lenta q. torno facilis s. vitis.* Contra nihil offensionis habent talia: *una horrida acies Volcania,* Virg. Aen. X. 408. *Eoa aurea ripa,* Propert. IV. v, 21. non magis quam apud nos: die goldene Ostküste. L. Santenius Animadv. in Hieron. Balbum col. 1802. ubi de Propertii loco III. ii. (iii.) 9. *pugnamque sinistram Cannensem,* in quo *Cannarum* tentabat Heinsius: *Me vero geminum epitheton, cum alterum nomen proprium est, minus offendit.* Verum ne quis in nomine proprio inesse existimet, quod excuset geminationem, late patet hoc genus. Ut vix intelligas, quomodo aliquis aut vituperare potuerit, aut regulae de non geminandis epithetis opponere talia: *Paucaque pomosi iugera culta soli,* Eleg. in ob. Maecenatis v. 34. *lucent genialibus altis Aurea fulcra toris,* Virg. Aen. VI. 603. *infelix humero quum adparuit ingens Balteus,* Virg. Aen. XII. 941. *castus Evinctus vitta crines albente sacerdos,* Ovid. Metam. XV. 675. 6. Non contendo sic scribendos esse hos locos omnes: laudavi, ut scripti afferuntur a Gifanio et Broukhusio. Hoc contendo, potuisse ita a poetis scribi, absque offensione. Scilicet ita est in his locis natura epithetorum diversa, ut duo esse plane non animadvertatur: unum ornans, alterum cum sententia arctius coniunctum. Hoc quoque vertendo declarare licet germanice: hohes Prachtbett, der grosse Unglücksgurt; quamquam melius apud poetam latinum primo loco ponitur *infelix,* ut in quo vis est sententiae. Eodem modo Catullus in Coma Beren. 85. *Illius ah mala dona levis bibat irrita pulvis*: ubi *irrita* est *ut fiant irrita.* Sed Catullum puto ex iis esse, qui etiam ultra hanc conditionem geminaverint epitheta. Alia ratio est loci Virgiliani e Georg. IV. 370. *Saxosusque sonans Hypanis,* ubi *saxosus* adverbialiter accipiendum, poetice, pro *saxosum*: ut *lenis crepitans,* pro *leniter* vel *lene,* Aeneid. III. 70. Utilis etiam Santenii in H. Balbi versum *Sic tua forma decens longo vitiabitur aevo,* col. 1807. admonitio: *Naso III, Trist.* vii, 33. *Ista decens facies longis vitiabitur annis. Observa, cum epitheton alterum est pronomen, geminationi nihil inesse, quod reprehendas.* Credimus viro in hac poesi quam maxime versato: etsi non saepe me talia legere memini apud

illos quidem poetas. Catullo usitatum esse scio: Eleg. ad Ortalum v. 16. *Haec expressa tibi carmina B.* LXXVI. 6. *Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.* XCI. 2. *In misero hoc nostro, hoc perdito amore fore.* CI. 2. *Advenio has miseras, frater, ad inferias.* Eleg. ad Manlium v. 24. 96. *Quae tuus in vita dulcis alebat amor.* et 117. *Sed tuus altus amor* etc. Santenii cautionem si habuisset, minus vehementer Burmannus impugnasset innoxiam loquutionem *hos sacratos focos* in carmine Virgiliano, nam videtur Virgilianum, Anthol. Lat. lib. I. LXIII. Virg. Catalect. VI. ed. Heyn. Quamquam neque ego *sacratos* recte se habere censeo, *sacrato* lego cum Heinsiis Patre et Filio.

*Corniger hos aries humilis, et maxima taurus*
*Victima sacrato tinguet honore focos.*

*hos humilis*, i. e. *humiles, focos.* Nemo puto est, cui Burmanni coniectura placeat, *Corniger* haud *aries humilis*, sed *maxima taurus V. sacratos t. h. f.* ut sit *aries humilis.* Victimis maximis ab Horatio scio *humilem agnam* opponi, Carm. II. XVII. extr. vel *tenerum vitulum,* IV. II. extr. at *aries*, isque *corniger,* non tam contemnenda victima, ut *humilis* dici, utque opponi *tauro* tam gravi modo, per *haud* et *sed* particulas, debeat. Egregium ad sententiam, suavissimumque est, si quid video, *hos humiles focos.* Suam aram, quam domi habebat, dicit Virgilius, in qua rem magnam, parumque usitatam pauperi domino, arietem et taurum adeo immolatum iri promittit. Cf. Horatius in descriptione domus suae, IV. XI. *Ridet argento domus: ara castis Vincta verbenis avet inmolato Spargier agno.* Burmannum miror, qui *hos sacratos focos* concoquere non potuit, hoc, quod etiam magis offendere ipsum debebat, *corniger aries humilis*, potuit. Igitur in suis finibus coercenda haec disputatio, et certis quibusdam conditionibus adstringenda est lex de non geminandis epithetis, minime tollenda. Velut apud Manilium II. 46. *tenebris immersum Tartaron atrum,* etsi Ovidii loco Metam. XV. 675. quem supra attuli e Gifanio, simile videtur ac par esse, siquidem *atrum* epitheton est ornans, ut illic *castus*, *tenebris immersum* autem explicationem caussamque epitheti continet, ut illic *Evinctus vitta*: tamen, quum nihil ad sententiam differat inter *tenebris immersum* et *atrum,* admodum ieiunum est, et emendandum haud dubie, praesertim quum alia accedat caussa, quam statim videbimus.

Transeo ad collocationem verborum. Quam poetae latini aetatis cultissimae amant artificiosam, ab ordine naturali longius longiusque recedentem. Nempe quum naturalis ordo haud dubie hic sit, ut quae sensu sunt proxime coniuncta, ea etiam loco coniungantur: poetae, Virgilius, alii, deserere eum ordinem, non semel, vel casu, sed constanter atque consulto solent. Cuius rei nunc reddi caussa potest, nunc non potest;

ac sunt multi loci, quibus nullam fuisse poetis caussam dixeris, nisi ut variaretur atque artificiosior fieret oratio. Virgilius Aeneidos initio, *saevae memorem Iunonis ob iram*: cur epitheton posuerit primo loco, apparet: voluit vim quamdam magnam inesse in epitheto; cur eam vim in hoc esse epitheto voluerit, cur non in altero; cur non ita scripserit, *memorem saevae Iunonis ob iram*, nemo caussam satis gravem excogitet: placuit ita Virgilio, ut neutrum cum suo epitheto nomen esset. Nisi dixeris propterea *saevae* praeposuisse poetam, ut significaret deae nomen, non dei, exspectandum esse. Mihi, si libere licet eloqui, quid hoc sit elegantiae, cumulatis lectorem lactare epithetis, antequam res didicerit, ad quas illa pertinent, non satis liquet. Neque norunt eam elegantiam Graeci. Huc pertinet Broukhusii ad Tibull. II. II, 13. et VI, 22. observatio de artificio pentametri Tibulliani. Broukhusii iudicium miratur Lessingius noster in Collectaneis. Non inepte. Scilicet singulare illud artificium visum esse Tibullo certum est; quo iure ita visum sit Tibullo, quaeritur. Multus etiam in hoc genere Ovidius: *Ignea convexi Mollia securae Lurida terribiles Terribilem picea Aethereoque recens Pulchra verecundo Obviaque adversas Et levis impexos Qui fera terribili ecce vigil rutilo* quae omnia sunt ex libro I. et libri II. initio, et hoc commune habent omnia, quod mira quaedam in singulis versibus inaequalitas, dum in priore versus parte omnia levia, et quae variari possint, et nullum per se intellectum habentia, posteriori parti reservantur, quae sensum faciunt. Non dico inventum hoc ab Ovidio, aut Virgilio esse. Multo ante Catullus ea versus forma usus est in carmine epico, multis locis: unde colligas propensam quodam modo hanc in partem semper fuisse poesin latinam. Illi postea sanxerunt quasi, et receperunt inter elegantias, quod liberum fuisset antea. Nemo autem longius processit quam Catullus in Galliambo v. 83. ubi tria habes continua epitheta, quibus sua paullatim, procedente versu, nomina accrescunt: *Rutilam ferox torosa cervice quate iubam.* etsi *ferox* pro adverbio. Hoc, quantum memini, non receperunt illi. Addam exempla collocationis artificiosae ex innumeris pauca, eiusmodi, quae coniecturae, sed illi aut necessariae, aut certe felici, debentur, et ex eo poeta, in quo elaboravit vir sensu longe acutissimo. Manilius I. 202. *Est igitur Tellus mediam sortita cavernam Aëris*, poteratque sic satis remotum ab suo nomine videri epitheton. Concinnius, illi quidem aetati, quod e codice recentiore Bentleius dedit:

*Est igitur mediam tellus s. c.*

Idem poeta I. 464. *Signa tenent, mundi totum deducta per orbem.* Bentleius probabiliter:

*totum mundi diducta per orbem.*

epitheta tam cognata significatione. In meis, Basileensi et Vossiano II. Veneta Rubei et Vicentina: *Florentes viridis sophiæ* (Basil. ut solet, *sophie* Voss. II. *sophye*) *complectitur umbras*. Multum etiam in Culicis versu 142. cumulatum colorum est: *Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos*. verum ibi e re sunt colores.

Multum dubitavi, atque ut verum dicam, etiam nunc dubito de Dirarum versu 21. in quo exhibui: *Purpureo campos — — — colore.* Exhibui autem propter libros antiquos, quorum etiam illi, in quibus *Purpurea* est, favere scripturae *Purpureo* videntur. Quod vero dixerit aliquis, hanc esse collocationem elegantiorem olim vulgata:

*Purpureos campos —*

id non valet in Catone. Poterit enim *purpureos* per prolepsin dictum videri, ut *Pallida* Dir. v. 16. ut in Pervigilio Ven. 13. qui nunc locus statim ad manum est: *Ipsa gemmans purpurantem pingit annum floribus*. Tum *colore* explicatio erit a poeta ad verbum *pingunt* addita. Neque opus habet epitheto, si recte sentio, vocabulum *colore*, in hoc quidem poeta: esset tum *pingunt colore* idem quod colorant. Gravem hic quaestionem attigi: quando opus sit epitheto, quando non sit. In Virgilio, Horatio, Ovidio plerumque facilis responsio; in antiquioribus non aeque. Nullum excogito exemplum, quod in brevitate aptius sit, et de quo magis mihi persuasum habeam, etsi alios tam ingenio quam eruditione conspicuos viros aliter sentire scio, quam Horatii Carm. III. xi. 15. 16.

*Cessit immanis tibi blandienti*
*Ianitor aulae.*

Ubi *immanis* coniungendum esse cum voce *aulae*, et olim dixi, cum Lambino, et dicam semper. Quis unquam *aulam* simpliciter dixit, vel dicere potuit Orcum? Contra ubi *immanis aula* dicta est, quis eius sit *ianitor*, cuivis fabularum non imperito apparet. Perstat autem haec disputatio, sive eiiciendam stropham, quae vulgo sequitur, statuas, ut esse eiiciendam docuimus Eichstadius, post Eichstadium, cuius tum disputationem non noram, ego, et tertius quidam, si recte accepi, in diario quodam Anglico; sive quis defendendam illam susceperit. Sed observandum, non satis curavisse Horatium, ut recte intelligeretur. Nam ut collocavit verba Horatius, ut opposita inter se *immanis* et *blandienti* videantur, speciem aliquam habet eorum opinio, qui iungunt *immanis Ianitor*. Alium locum paullo ante indicavi obiter, Manilii II. 874. 5. At in Catulli carm. xi. 3.

*Littus ut longe resonante Eoa*
*Tunditur unda:*

quamvis erudito viro, Martyni-Lagunae, neque abundare de duobus

*undae* epithetis alterutrum, neque desiderari epitheton *littoris* credo. In alio poeta factam emendationem, *resonans,* laudarem: in Catullo non desidero, et quum repugnent libri, repudio. Et quod in Culice v. 70. *dubiis* epitheton restitui, non restitui, quod *coloribus* non posse sine epitheto esse putarem, sed quod vestigia huius elegantissimi epitheti in libris repperi.

Monuimus collocationis artificiosioris iam apud Catullum exempla exstare satis multa. Nunc locos nonnullos Culicis videbimus, quo simul ostendam, qua criticen ratione in hac iuvenili poesi factitandam putem.

Culicis versus 34. vulgo, id est in cod. Basileensi, in Venetis Achat. et Rubei, Mutinensi quoque, tum in Vicentina et Vossiano II. ita se habet: *Mollia sed tenui pede currere carmina versu.* Veneta Achat. tantum negligenter omittit *currere,* sine lacunae indicio. At libri antiqui Vossianus N. 81. Augustanus, et quae mea coniectura est, Petavianus et Thuaneus, etsi nihil ex his annotavit Vossius, nisi *versum* esse in Thuaneo pro *versu,* hoc ordine: *Mollia s. t. pede carmina currere versu.* Quae librorum scriptura statim evertit non infelicem alioqui coniecturam Scaligeri *percurrere carmina.* Nihil mutandum, modo recipias *versum* e cod. Thuaneo:

*Mollia sed tenui pede carmina currere versum,*
*Viribus apta suis Phoebo duce ludere gaudet.*

*gaudet* pagina *versum currere carmina; gaudet ludere. versus* dicitur *carmina currere,* ut *currimus aequor,* vel, quod aptius exemplum, ut in Ecloga IV. 46. *Talia saecla — currite.* Sed recordandum in poeta nos versari paullo duriori. Non multum placet semel cum accusativo et infinitivo, alterum cum infinitivo simpliciter iunctum verbum *gaudet.* Deinde durum est, ad vocem *pagina* revertere orationem, quum versu 30. alio conversus sermo fuerit. Quem hic Friesemannus et Heynius *Vossianum* commemorant, is ille ipse a me laudatus Thuaneus est, ut infra docebitur Diss. IV. Cul. 125.

*Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos.*

recte: nam sic libri, una Veneta Achat. *Hospitia dum tenuit nimia d. c.* v. 146. 7. ed. Heyn. qua soleo uti in versibus numerandis:

*His suberat gelidis manans e fontibus unda,*
*Quae levibus placidum rivis sonat orta liquorem.*

Observa collocationem: *levibus placidum r. superat* Petav. Thuan. August. et Voss. 81. Deinde *acta* pro *orta* unus Voss. 81. Et *placidam* Mutinensis: sed quae manifesta vitia, ea non annoto omnia. Tum pergit poeta v. 148. quem locum ex mea conceptum sententia exhibeo:

*Et quaqua geminas avium vox obstrepit aures,*

illos quidem poetas. Catullo usitatum esse scio: Eleg. ad Ortalum v *Haec expressa tibi carmina B.* LXXVI. 6. *Ex hoc ingrato ga amore tibi.* XCI. 2. *In misero hoc nostro, hoc perdito amore* CI. 2. *Advenio has miseras, frater, ad inferias.* Eleg. ad Ma v. 24. 96. *Quae tuus in vita dulcis alebat amor.* et 117. *Sed altus amor* etc. Santenii cautionem si habuisset, minus vehem Burmannus impugnasset innoxiam loquutionem *hos sacratos foco* carmine Virgiliano, nam videtur Virgilianum, Anthol. Lat. lib. I. Virg. Catalect. VI. ed. Heyn. Quamquam neque ego *sacratos* se habere censeo, *sacrato* lego cum Heinsiis Patre et Filio.

*Corniger hos aries humilis, et maxima taurus*
*Victima sacrato tinguet honore focos.*

*hos humilis*, i. e. *humiles*, *focos*. Nemo puto est, cui Burmanni iectura placeat, *Corniger* haud *aries humilis*, sed *maxima tauru sacratos t. h. f.* ut sit *aries humilis.* Victimis maximis ab H scio *humilem agnam* opponi, Carm. II. XVII. extr. vel *tenerum vit* IV. II. extr. at *aries*, isque *corniger*, non tam contemnenda vic ut *humilis* dici, utque opponi *tauro* tam gravi modo, per *haud* et particulas, debeat. Egregium ad sententiam, suavissimumque est quid video, *hos humiles focos.* Suam aram, quam domi habebat cit Virgilius, in qua rem magnam, parumque usitatam pauperi don arietem et taurum adeo immolatum iri promittit. Cf. Horatius in scriptione domus suae, IV. XI. *Ridet argento domus*: *ara castis V verbenis avet inmolato Spargier agno.* Burmannum miror, qui *sacratos focos* concoquere non potuit, hoc, quod etiam magis dere ipsum debebat, *corniger aries humilis*, potuit. Igitur in suis bus coercenda haec disputatio, et certis quibusdam conditionibus ads genda est lex de non geminandis epithetis, minime tollenda. apud Manilium II. 46. *tenebris immersum Tartaron atrum*, etsi dii loco Metam. XV. 675. quem supra attuli e Gifanio, simile vi ac par esse, siquidem *atrum* epitheton est ornans, ut illic *castus nebris immersum* autem explicationem caussamque epitheti continet illic *Evinctus vitta*: tamen, quum nihil ad sententiam differat inte *nebris immersum* et *atrum*, admodum ieiunum est, et emendandum dubie, praesertim quum alia accedat caussa, quam statim videbim

Transeo ad collocationem verborum. Quam poetae latini aetatis tissimae amant artificiosam, ab ordine naturali longius longiusque dentem. Nempe quum naturalis ordo haud dubie hic sit, ut quae s sunt proxime coniuncta, ea etiam loco coniungantur: poetae, Virg alii, deserere eum ordinem, non semel, vel casu, sed constanter consulto solent. Cuius rei nunc reddi caussa potest, nunc non po

Cuiuiu

ac sunt multi loci, quibus nullam fuisse poetis caussam dixeris, nisi ut variaretur atque artificiosior fieret oratio. Virgilius Aeneidos initio, *saevae memorem Iunonis ob iram*: cur epitheton posuerit primo loco, apparet: voluit vim quamdam magnam inesse in epitheto; cur eam vim in hoc esse epitheto voluerit, cur non in altero; cur non ita scripserit, *memorem saevae Iunonis ob iram,* nemo caussam satis gravem excogitet: placuit ita Virgilio, ut neutrum cum suo epitheto nomen esset. Nisi dixeris propterea *saevae* praeposuisse poetam, ut significaret deae nomen, non dei, exspectandum esse. Mihi, si libere licet eloqui, quid hoc sit elegantiae, cumulatis lectorem lactare epithetis, antequam res didicerit, ad quas illa pertinent, non satis liquet. Neque norunt eam elegantiam Graeci. Huc pertinet Broukhusii ad Tibull. II. ii, 13. et vi, 22. observatio de artificio pentametri Tibulliani. Broukhusii iudicium miratur Lessingius noster in Collectaneis. Non inepte. Scilicet singulare illud artificium visum esse Tibullo certum est; quo iure ita visum sit Tibullo, quaeritur. Multus etiam in hoc genere Ovidius: *Ignea convexi Mollia securae Lurida terribiles Terribilem picea Aethereoque recens Pulchra verecundo Obviaque adversas Et levis impexos Qui fera terribili ecce vigil rutilo* quae omnia sunt ex libro I. et libri II. initio, et hoc commune habent omnia, quod mira quaedam in singulis versibus inaequalitas, dum in priore versus parte omnia levia, et quae variari possint, et nullum per se intellectum habentia, posteriori parti reservantur, quae sensum faciunt. Non dico inventum hoc ab Ovidio, aut Virgilio esse. Multo ante Catullus ea versus forma usus est in carmine epico, multis locis: unde colligas propensam quodam modo hanc in partem semper fuisse poesin latinam. Illi postea sanxerunt quasi, et receperunt inter elegantias, quod liberum fuisset antea. Nemo autem longius processit quam Catullus in Galliambo v. 83. ubi tria habes continua epitheta, quibus sua paullatim, procedente versu, nomina accrescunt: *Rutilam ferox torosa cervice quate iubam.* etsi *ferox* pro adverbio. Hoc, quantum memini, non receperunt illi. Addam exempla collocationis artificiosae ex innumeris pauca, eiusmodi, quae coniecturae, sed illi aut necessariae, aut certe felici, debentur, et ex eo poeta, in quo elaboravit vir sensu longe acutissimo. Manilius I. 202. *Est igitur Tellus mediam sortita cavernam Aëris,* poteratque sic satis remotum ab suo nomine videri epitheton. Concinnius, illi quidem aetati, quod e codice recentiore Bentleius dedit:

*Est igitur mediam tellus s. c.*

Idem poeta I. 464. *Signa tenent, mundi totum deducta per orbem.* Bentleius probabiliter:

*totum mundi diducta per orbem.*

II. 25. *Astrorum quidam varias dixere figuras.* sic Bentleius, cum hac observatione: *Codices universi*, astrorum quidam varias. *Cur ab illis sine causa recedamus*? Recesserat Scaliger, apud quem: *Astrorum varias quidam d. f.* Et hic sane dubium, utra de duabus scriptura plus habeat elegantiae istius. Mihi Scaligeri artificiosior videtur:

*Astrorum varias quidam dixere figuras.*

II. 46. *Quinetiam tenebris immersum Tartaron atrum* etc. quem locum paullo ante tetigi. Nunc ad commendandam emendationem Bentleii,

*tenebris immersum Tartaron atris*

caussa accedit altera, quod epitheton ad *tenebris* refertur elegantius, quam ad vicinum *Tartaron.* II. 874. 5. *merito Typhonis habentur Horrendae sedes*, *quem tellus saeva profudit* etc. Bentleius:

*Horrendi sedes*,

et sic melius praeparatur, quod de Typhone poeta additurus est, *quem tellus* etc. *sedes* non opus habet epitheto. IV. 40. *Accepisse iugum victas Carthaginis arces*: dubito utrum sic, an cum libris Bentleii *victae.* Et hunc quidem versum spurium esse pronunciat Bentleius. In versu gemino, IV. 778. genitivus est *victae*:

*Inferius victae sidus Carthaginis arces*
*Et Libyam — Eligit.*

Verum ibi poeta vocabulo *sidus* in locum non suum inculcando curavit, ne simplex flueret oratio. IV. 169.

*Credere opes*, *orbisque orbi bona vendere posse.*

Bentleius: *orbique orbis bona v. p.* in quo desidero acumen viri has in res intentissimi. Concinnior, in hoc quidem poeta et in hac aetate, vulgatus ordo, ut *orbis* seiungatur a nomine suo *bona.* Contraria res foret, si de *orbis*, *ὀρφανοῖς*, sermo esset, posse aliquem *orbi*, *ὀρφανοῦ*, *bona* vendere *orbis*, *ὀρφανοῖς*. tum ex eadem elegantiae lege Manilius scripturus erat: *orbique orbis bona v. p.* IV. 217. *Scorpios armata violenta cuspide cauda*: quod sufficit ut satis legi fiat, etsi merito displicet Bentleio homoeoteleuton. Quanto elegantius, quod Bentleius fecit, oratione magis variata:

*Scorpios armatae metuendus cuspide caudae.*

Apud Catonem quot locos hac de caussa tentaverunt critici, tot loci testimonio sunt, tum nondum ita usu stabilem fuisse collocationis subtilitatem istam, ut eam curare poeta quisque debuerit.

Dir. v. 13. *Ipsae non silvae frondes.* Coniecit Francius, fortasse quod offenderetur sic posita particula *non*, de qua paullo post dicetur, sed magis, puto, ut eleganter a nomine suo divelleretur *ipsae*: *Non ipsae frondes silvae.*

Dir. v. 42. *Vicinae flammae rapiant ex ordine vites.* Conatus

Heinsii vidimus suo loco. Nonnihil autem hoc quoque commovisse Heinsium putaverim, quod non satis elegans videretur verborum collocatio *Vicinae flammae.*

Dir. v. 77. *Et late teneant diffuso gurgite campos.* Heinsius: *Et lato teneant diffusos gurgite campos.* Elegantissima emendatio, si in Virgilio facta esset, aut Ovidio; in Catone inutilis, prava, vel potius corruptio. Haud dubie displicebat Heinsio *late* adverbium. Ut displicet eidem *subito* Dir. 72. Comparo Culicis locum v. 165. *Squamosos late torquebat montibus orbes*: ubi *late* et *montibus* mei, Petavianus, Thuaneus, Augustanus, Vossianus 81. itemque antiqui libri editi cum cod. Basileensi et Vossiano II. omnes, praeter Venetam Achatis, in qua, nescio utrum consulto, an casu, *motibus,* et praeter Vicentinam, in qua *montis* vitiose. Itaque parum accurate Heynius ita loquitur, acsi *motibus* vulgata sit scriptura, et *latis* esse dicit in *ed. vet.* Ego nunc *latis* — *motibus* in nulla editione antiquiore invenio, praeter eam, quam Aldi editionem appello, diversam ab Aldinis 1517. et 1534. Et *motibus* quidem vera haud dubie scriptura est: ut *motibus* restituendum pro *montibus* Cul. 137. de quo ad Dir. 44. *latis* emendationem puto esse eius, qui *motibus* non bene dici sine epitheto censeret.

Dir. v. 97. *Extremum carmen revocemus Battare avena.* Heinsius tum quod non intelligeret locum, tum propter elegantiae illius caritatem: *Extrema avena.*

Eclog. v. 11. *Aut roseis digitis viridem decerpserit uvam.* Francius: *Aut roseis viridem digitis d. u.* Idem C. Barthii sensus fuit, et ante fuerat librarii interpolatoris, e cuius fabrica prodiere mei Monacenses duo et Vratisl. I. Verum hoc non inutile, pravum, sed ineptum dixerim propter nimiam epithetorum similitudinem, quum in colore versetur utrumque: quae epitheta eo modo coniuncta hanc facile suspicionem moverent, poetam opponere sibi diversos inter se colores, et in ea oppositione ludere voluisse. Qui et per se ineptus lusus foret, et Catonem, quum *viridem* dixit uvam, non tam de colore cogitavisse, quam immaturam significare, versus docet qui sequitur. Similis ratio Catulli est, Epith. P. et Th. 309. ubi vulgo: *At roseo niveae residebant vertice vittae.* Nimium hoc colorum est in uno loco. Quis non amplectatur emendationem Vulpii: *Ambrosio*? Quamquam ipse, si quid haberet quo se tueretur *roseus* Parcarum vertex, acquiescerem in vulgata: potuit enim etiam Catullo excidere, quod merito displiceat. Sic in Ciri v. 4. teneo quam libri tuentur, verborum collocationem:

*Florentis viridi Sophiae complectitur umbra*:

quamvis ordo Scaligeri, *Florentis Sophiae viridi c. u.* ad meum sensum suavior, tum quia simplicior, tum quod displicent duo continua

epitheta tam cognata significatione. In meis, Basileensi et Vossiano II. Veneta Rubei et Vicentina: *Florentes viridis sophiæ* (Basil. ut solet, *sophie* Voss. II. *sophye*) *complectitur umbras*. Multum etiam in Culicis versu 142. cumulatum colorum est: *Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos*. verum ibi e re sunt colores.

Multum dubitavi, atque ut verum dicam, etiam nunc dubito de Dirarum versu 21. in quo exhibui: *Purpureo campos — — — colore*. Exhibui autem propter libros antiquos, quorum etiam illi, in quibus *Purpurea* est, favere scripturae *Purpureo* videntur. Quod vero dixerit aliquis, hanc esse collocationem elegantiorem olim vulgata:

*Purpureos campos —*

id non valet in Catone. Poterit enim *purpureos* per prolepsin dictum videri, ut *Pallida* Dir. v. 16. ut in Pervigilio Ven. 13. qui nunc locus statim ad manum est: *Ipsa gemmans purpurantem pingit annum floribus*. Tum *colore* explicatio erit a poeta ad verbum *pingunt* addita. Neque opus habet epitheto, si recte sentio, vocabulum *colore*, in hoc quidem poeta: esset tum *pingunt colore* idem quod colorant. Gravem hic quaestionem attigi: quando opus sit epitheto, quando non sit. In Virgilio, Horatio, Ovidio plerumque facilis responsio; in antiquioribus non aeque. Nullum excogito exemplum, quod in brevitate aptius sit, et de quo magis mihi persuasum habeam, etsi alios tam ingenio quam eruditione conspicuos viros aliter sentire scio, quam Horatii Carm. III. xi. 15. 16.

*Cessit immanis tibi blandienti*
*Ianitor aulae.*

Ubi *immanis* coniungendum esse cum voce *aulae*, et olim dixi, cum Lambino, et dicam semper. Quis unquam *aulam* simpliciter dixit, vel dicere potuit Orcum? Contra ubi *immanis aula* dicta est, quis eius sit *ianitor*, cuivis fabularum non imperito apparet. Perstat autem haec disputatio, sive eiiciendam stropham, quae vulgo sequitur, statuas, ut esse eiiciendam docuimus Eichstadius, post Eichstadium, cuius tum disputationem non noram, ego, et tertius quidam, si recte accepi, in diario quodam Anglico; sive quis defendendam illam susceperit. Sed observandum, non satis curavisse Horatium, ut recte intelligeretur. Nam ut collocavit verba Horatius, ut opposita inter se *immanis* et *blandienti* videantur, speciem aliquam habet eorum opinio, qui iungunt *immanis Ianitor*. Alium locum paullo ante indicavi obiter, Manilii II. 874. 5. At in Catulli carm. xi. 3.

*Littus ut longe resonante Eoa*
*Tunditur unda:*

quantumvis erudito viro, Martyni-Lagunae, neque abundare de duobus

*undae* epithetis alterutrum, neque desiderari epitheton *littoris* credo. In alio poeta factam emendationem, *resonans*, laudarem: in Catullo non desidero, et quum repugnent libri, repudio. Et quod in Culice v. 70. *dubiis* epitheton restitui, non restitui, quod *coloribus* non posse sine epitheto esse putarem, sed quod vestigia huius elegantissimi epitheti in libris repperi.

Monuimus collocationis artificiosioris iam apud Catullum exempla exstare satis multa. Nunc locos nonnullos Culicis videbimus, quo simul ostendam, qua criticen ratione in hac iuvenili poesi factitandam putem.

Culicis versus 34. vulgo, id est in cod. Basileensi, in Venetis Achat. et Rubei, Mutinensi quoque, tum in Vicentina et Vossiano II. ita se habet: *Mollia sed tenui pede currere carmina versu.* Veneta Achat. tantum negligenter omittit *currere*, sine lacunae indicio. At libri antiqui Vossianus N. 81. Augustanus, et quae mea coniectura est, Petavianus et Thuaneus, etsi nihil ex his annotavit Vossius, nisi *versum* esse in Thuaneo pro *versu*, hoc ordine: *Mollia s. t. pede carmina currere versu.* Quae librorum scriptura statim evertit non infelicem alioqui coniecturam Scaligeri *percurrere carmina.* Nihil mutandum, modo recipias *versum* e cod. Thuaneo:

*Mollia sed tenui pede carmina currere versum,*
*Viribus apta suis Phoebo duce ludere gaudet.*

*gaudet* pagina *versum currere carmina; gaudet ludere. versus* dicitur *carmina currere*, ut *currimus aequor*, vel, quod aptius exemplum, ut in Ecloga IV. 46. *Talia saecla — currite.* Sed recordandum in poeta nos versari paullo duriori. Non multum placet semel cum accusativo et infinitivo, alterum cum infinitivo simpliciter iunctum verbum *gaudet.* Deinde durum est, ad vocem *pagina* revertere orationem, quum versu 30. alio conversus sermo fuerit. Quem hic Friesemannus et Heynius *Vossianum* commemorant, is ille ipse a me laudatus Thuaneus est, ut infra docebitur Diss. IV. Cul. 125.

*Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos.*

recte: nam sic libri, una Veneta Achat. *Hospitia dum tenuit nimia d. c.* v. 146. 7. ed. Heyn. qua soleo uti in versibus numerandis:

*His suberat gelidis manans e fontibus unda,*
*Quae levibus placidum rivis sonat orta liquorem.*

Observa collocationem: *levibus placidum r. superat* Petav. Thuan. August. et Voss. 81. Deinde *acta* pro *orta* unus Voss. 81. Et *placidam* Mutinensis: sed quae manifesta vitia, ea non annoto omnia. Tum pergit poeta v. 148. quem locum ex mea conceptum sententia exhibeo:

*Et quaqua geminas avium vox obstrepit aures,*

*Hanc querulae referunt voces, quis nantia limo*
*Corpora lympha fovet: sonitus alit aëris Echo.*

*quaqua*, pro inepto *quamquam*, praeclara est C. Barthii Adversar. XXI. xxiii. emendatio, sed in quam me quoque incidisse, quum nihil scirem de Barthio, credent mihi, qui ea emendatione quomodo utar, intelligent: de quo nihil in mentem venit Barthio. Sententia est, in regione illa certamen quoddam ranarum fuisse cum avibus; avium cantum pro suis viribus referre ac repetere ranas. *Hanc*, inquit, *referunt*: scil. *vocem*, ex versu praeced. sed simul respicit, quod ibi dixerat, *quaqua*. nam vox ranarum *quaqua* sonat. Ut iam habeamus poetam antiquiorem, quem Ovidius aemulatus est illo suo *Quamvis sint* sub aqua, sub aqua *maledicere tentant*. Metam. VI. 376. Libri cuncti *Et quamquam g.* Augustanus *auras*, sed quod statim correctum in *aures*. Caeterum *geminas aures* ieiunum epitheton, quia otiosum, sed praeivit Catullus: *Geminas deorum ad aures nova nuncia referens*. Per se non est ieiunum epitheton illud, ac frequentatur ab elegantissimis, ut *geminis palmis* Varro Atacinus apud Servium in Virg. Ecl. I. 66. et *duplices palmas*, vel *manus*, aliquoties Virgilius; *geminas acies* Aeneid. VI. 789. *Et pupularum nitidas* geminas *gemmulas* poeta ingeniosus, quisquis est, Anthol. Lat. III. ccxxxi. 9. Eleganter Catullus, quamvis audacter, in carmine Sapphico: *gemina teguntur lumina nocte*, oculorum epitheto ad *noctem* relato. cui simile Virgilianum VIII. 680. *geminas cui tempora flammas Laeta vomunt*. Versu 149. *Hanc* vulgo, in cod. Basileensi et reliquis, a quo non multum recedit quod est in Petav. Thuan. August. *Hac* et *Ac* quod in Voss. 81. *Hac* refert etiam Bembus. Verum Bembum quod attinet, quum non ubique codicem suum expresserit, ego, quid ille in locis singulis e codice dederit, quid recesserit a codice, aliis divinandum relinquo. Possit aliquis *Hac* defendere velle, sed praestat illud. Praeterea Voss. 81. hoc ordine: *Ac querule uoces referunt quis* etc. Pro *sonitus* Thuan. *senitus*. Hoc audacter a poeta factum, sed non infeliciter, quod nulla praecedente diserta mentione *ranarum*, ita pergit: *quis* nantia limo etc. nimirum satis describuntur ranae his verbis *querulae voces*. Caeterum, quod contra Scaligerum moneo, bene procedit ordo versuum. Post longam arborum descriptionem avium mentionem fecerat in arboribus residentium, v. 144. 5. Tum rivus sequitur v. 146. 7. in quo quum ranarum meminisset, has certare cum avibus dicit, et mixtos avium ranarumque sonitus alere atque augere echo. Quamquam hoc nimium clamorum est, praesertim quum ad quietem somnumque pastorem invitet poeta. v. 168.

*Adtollit nitidis pectus fulgoribus,*

recte, quia sic libri, Augustanus, et haud dubie Petav. Thuan. Et Vossianus 81. *Actollit nitidis corpus fulg.* Vulgo *Attollit pectus nitidis* etc. v. 190.

*Et validum dextra truncum detraxit ab orno.*

Unus Voss. 81. *Et ualida dextra tr. ab ore* mei omnes, vel *abore.* v. 232. sqq.

*Quem circa tristes densentur in omnia poenae.*
*Nam vinctus sedet inmanis serpentibus Otos,*
*Devinctum moestus procul adspiciens Ephialten,*
*Conati quondam quum sint inscendere mundum.*

v. 232. unus Voss. 81. *Quem tristes circa densentur* collocatione artificiosa, quam non audeam assumere ex uno libro. *densantur* Veneta Achat. *in* omittit August. versus 233. vulgo et in libris quatuor antiquis ita conceptus: *Nam victus sedet immanis serpentibus othos* nisi quod *Quam* vitiose in August. *set et* in Thuaneo, et *Odios* in eodem; *inmanis* perspicue scriptum in August. *im manis* Voss. 81. versum 234. iidem omnes ita: *Deuinctus moestus* (vel *mestus*) *pr. asp. e.* praeter Mutinensem, in qua *Deuictus.* Vix dubium, quin recte emendaverint viri eruditi: *vinctus — Devinctum moestus. serpentes* Oto tribuit poeta, ut alii Gigantibus. At in versum 235. priscam revocavi scripturam Thuanei, Petaviani, Augustani: *C. quondam* (August. *condam*) *cum sint inscendere m.* unde natum vitium vulgatae: *C. quondam* (Veneta Achat. *condam*) *cum sint* incendere *mundum*: ut etiam in Augustano librarius primum *incendere* scripserat, sed postea *s* inseruit. Vossianus 81. *Conati quom sint quondam rescindere celum.* Proponam hac opportunitate meam quamdam dubitationem de Vossiano 81. Is codex, bonus, antiquus, nonnulla habere, si acute loqui licet, nimis bona videtur. Unum hoc est, eo quem nunc tractamus loco: ubi quid magis veri simile quam *rescindere* et *coelum* ab emendatore aliquo ex locis geminis Georg. I. 280. et Aeneid. VI. 583. illatum in Culicem esse? Alterum versu 331. ubi *ranolea caribdis* in uno illo Vossiano 81. unde Schraderus egregio acumine *Zanclaea* fecit. Caeteri omnes, Augustanus, etiam Thuaneus et Petavianus, ut silentium docet Vossii, et Bembinus haud dubie, *metuenda c.* Quid igitur? Num veram et a poetae manu profectam scripturam *Zanclaea* putabimus, *metuenda* vero interpolatam, ex ingenio illatam ab eo, qui prisca et genuina scriptura aut nesciret uti, aut uti nollet? et hanc tam foedam depravationem tam mature codices alias optimos obsedisse? Non credibile. Alius locus eiusmodi est v. 360. ubi *hic est et oratio virtus* in Thuan. Petav. August. unde vulgata cum vitio metri: *hic est oratia uirtus*: at in Voss. 81. *hic est et gracchia u.* Rursus alium statim tractabimus v. 356.

Friesemannum ad v. 235. iniuria accusat Heynius: tenendum est, quo ibi Schraderus utitur *Vossiano*, cum Vossianum 81. esse; qui a Friesemanno laudatur *Vossianus*, collatus a Vossio Thuaneus est.

v. 282.

*Labentes biiuges etiam per sidera Luna*
*Pressit equos.*

Vossianus 81. *Labentes r̄ biiuges.* Non opus mutatione. *lunae* vel *lune* Voss. 81. August. idemque esse in Petav. et Thuan. facile credo, etsi non annotavit Vossius. v. 355. 6.

*Littora : quum Phrygiae passim vaga praeda peremptae*
*Fluctuat omnis in aequoreo iam naufraga fluctu.*

In quo uno loco multa disci possunt ad historiam horum carminum utilia. Et emendatum quidem recte, ut exhibui, censeo. Versu priori *cum* in libris puto omnibus; in Augustano *comphrygiae* De Vossiano 81. utrum *cum* haberet an *tum*, dubitabam. Deinde *perempta* Thuan. Petav. August. Voss. 81. unde recte haud dubie *peremptae* factum, fortasse a Bembo primum. Libri antiqui, Thuan. Petav. Augustanus: *Fluctuat* (August. *Eluctuant*) *omnis in aequoreo naufragia luctu* et sic cod. Basileensis cum illa, quae saepius ad veritatem antiquam accedit, Mutinensi. Mendum foedum quidem, sed cuius origo facile apparet. Exciderat *iam*: hinc aliquis, metrum scilicet restituturus, *naufragia* scripsit. Veneta Achatis caetera ut cod. Basil. sed *nauifraga* habet, non consulto, ut puto, sed operarum errore, qui errores multi sunt in hac editione; si tamen sit correctio, infelix est. At in Veneta Rubei, atque inde in Vicentina et Vossiano II. foeda correctio, eoque magis foeda, quo corrector propius a vero abfuit: *Fluctuat* : *aequoreo omnis iam naufraga fluctu.* Iam quid Vossianus 81. ille supra modum bonus? Tenemus emendatorem, nisi fallor. Virgilius iuvenis versum non indignum Virgilio viro fecerat: ille gracilitatem sectatur Ovidianam: *Omnis in equoreo fluitat iam naufraga fluctu.* Denique non multum placet *Fluctuat — fluctu.* ac fortasse vera est nescio cuius viri docti, fortasse Bembi, emendatio *tractu.* Sed vide quam parum his in litteris deceat confidenter loqui. Quam paullo ante verbo monui infelicem correctionem fore, si quis serio ita corrigere voluerit, *navifraga fluctu*, eam nunc non multum abest quin veram et antiquam poetae scripturam putem. Id auctoritas apud me Scaligeri effecit, quem *navifraga* e coniectura proponere video. Et sane quae me caussae impediebant, quod *navifragus* alibi vim habere activam solet, et quod insolens poetis ictus in syllaba vocis secunda *vi*, eae non tantum valent in hoc poeta, quantum valerent in alio. Itaque non reprehendendum censeo, si quis ita versum conceptum a poeta dicat:

*Fluctuat omnis in aequoreo navifraga fluctu.*

Atque sic facillime oriri potuit librorum antiquorum mendum *naufragia.*

v. 369. 70.

*Istic scipiadasque duces deuota triumphis*
*Moenia quos rapidos libycae carthaginis horrent.*

Sic vulgo, inde a cod. Basileensi. Una Veneta Achat. hoc ordine: *M. q. lybice rapidos.* Verum hoc leve est, et nihil nisi vitium editionis huius. Ego mihi operae pretium fecisse in loco difficillimo videbor, si docuero non tam mirabilia in libris scriptis antiquis circumferri, quam Friesemannus et Heynius referunt. Ut quod apud Heynium legitur, in Petaviano esse *Istarum piadasque duces quae vox triumphet.* Thuaneus et Petavianus, Vossio testante:

*Is starum piadasque duces quorum devota triumphis*
*Moenia rapidis Libycae Carthaginis horrent.*

et sic Augustanus, nisi quod hic *Istarum* habet, et versu altero *rapi dis* cum intervallo, quod duabus sufficiat litteris: ac re vera primum scripserat librarius *rapis*, sed postea delevit *s.* Tum *lybicae* August. Quid hoc fiet? Missumne faciemus monstrum, et pro eo vulgatam, quam dixi, scripturam amplectemur? Profecto non faciemus: nimis illa correctorem prodit. Vossianus 81. ita:

*Scipiadasq; duces quorum deuota triumphis*
*Menia romanis libice cartaginis horrent.*

quae est altera loci pridem corrupti emendatio, nullum concinnum sensum faciens. Magnum quid hic turbatum esse etiam eo evincitur, quod vix aptum cum praecedentibus nexum quisquam inveniat. Heynius versu praeced. nescio cuius coniecturam *honorat* dedit, tum *Illic Scipiadaeque* et cum vulgata *quos rapidos*: quae omnia iam apud Bembum. At libri tam scripti, etiam Vossianus 81. quam vulgata non *honorat*, sed unanimi consensu:

*Iure igitur talis sedes pietatis honores.*

Qui versus per se bonum sensum praebet, modo distinguas post voc. *sedes*: *Iure igitur talis sedes, pietatis honores.* ad voc. *honores* facile suppletur *tales.* Cf. v. 357. 8. Verum nexus desideratur cum sequentibus. Igitur aut alium in locum transferendus erit versus *Iure igitur* etc. ut videbatur Scaligero: quamquam ne sic quidem liquet de versibus qui sequuntur; aut, quae mea coniectura, versus excidit unus, cuius residuum in voce *Istarum* latet, in versu nunc hypermetro antiquorum librorum. Est et alius locus Culicis, in quo magis perspicua lacunae indicia, de quo ego in fronte Diss. IV. Quid illo versu poeta dixerit, et quid ex corrupta voce *rapidis* eliciendum sit, incertum. Ego, ne ἀσύμβολος discedam, sensum fuisse talem: *Ista* sedes *hunc et illum,*

quorum nomina ponebat poeta, *exspectat*, vel *manet*, tum v. 370. tale quid restituendum coniicio:

*Scipiadasque duces, quorum devota triumphis*
*Moenia* responsis *Libycae Carthaginis horrent.*

quae coniectura si cui videatur iusto audacior, is nihil me nisi monstrare voluisse credat, quid scribi a poeta potuerit. Hausi illam ex Virgilio, Aen. VI. 799. *Huius in adventum iam nunc et Caspia regna.* Responsis horrent *divum, et Maeotia t.* Collocatio verborum satis bona: elegantior foret talis. Horrent responsis Libycae Carthaginis arces, vel si liceret per versum, Moenia Libycae Carthaginis responsis horrent, vel, Moenia Libycae responsis Carthaginis horrent. Pereleganter dictum, *quorum devota triumphis*, ubi *triumphis* dativus. Mirum autem, quum nullo alio carminis loco temporis, quo haec acta esse cum pastore et culice poeta voluerit, indicium sit, culicem hoc loco de excidio Carthaginis tamquam de re futura loqui. Id et ego statuo illa coniectura mea, et ante me, quantum video, tacite acceperunt viri docti. Et sane opus est, ut accipiatur ita. Quomodo enim *moenia horrent*, quum deleta Carthagine, non amplius fuerint *moenia Carthaginis?* Placuit ita poetae, superstitem fingere Carthaginem, ut speciem quamdam antiquitatis conciliaret fabulae suae; tum ad augendam dignitatem culicis: scilicet maius hoc est, vaticinari culicem de excidio Carthaginis, quae res est in omni Romanorum historia gravissima ac maxima, quam referre de Carthagine iam deleta. Si tamen aliquis aliter sibi persuaserit, ei alia via emendandi ingredienda erit, talem fere in modum: *Scipiadasque duces, quorum devota triumphis Moenia* arundinibus *Libycae Carthaginis horrent*: ut significet poeta *moenia Carthaginis* iam non esse *moenia*, sed diruta, obsita squalore etc. sed tum in verbis *quorum devota triumphis* ablativus erit, quod minus aptum. Conclusio Culicis:

*Parve culex, pecudum custos tibi tale merenti*
*Funeris officium vitae pro munere reddit.*

Et sic Augustanus, et haud dubie Thuaneus et Petavianus, quum nihil ex his in margine editionis Scaligeri annotaverit Vossius. Igitur unde sit, quod Friesemannus refert, *Parva* esse in Petaviano, ignoro. Fortasse *Parvae* fuit in Petaviano: certe sic in Augustano: *Parue e* cum compendio quod *ae* significat. Vossianus 81. desinit in versu 410. verbis *fronte locatur*: ut desint versus Culicis postremi tres. nescio cur, nam spatium superest in pagina versuum sex: folio autem proximo incipit Elegia in Maecenatis obitum. Vulgo, hoc est in cod. Basil. et rel. inverso ordine: *custos pecudum*: at mox in diversa discedunt libri vulgatae scripturae, dum cod. Basileensis cum Veneta Achatis et Mutinensi *tibi* tenent, Veneta Rubei, Vicentina, Vossianus II. *nil* inferunt.

Rursus versu postremo libri vulgatae scripturae cuncti minus bene: *reddo*. Quae vera sunt, *pecudum custos tibi — reddit*, comprobat etiam laudatus I. Badio Ascensio Donatus in Vita Virgilii.

Mitto alios poetas, in quos aut non tantum ipse subsidiorum habeo, aut quorum emendatio, quum consummatam habeant aevi Augusti elegantiam, magis a sensu pendet. Qualem supra cognovimus Manilium. Sic Tibullum II. II, 5. etiamsi ea scriptura pauciorum sit librorum, inter quos Guelferbytanus Nr. 332. Gud. qui est Guelf. 3. Heynii,

*Ipse suos adsit Genius visurus honores*

scripsisse cum Thierschio, Wunderlichio, I. H. Vossio sentio contra Huschkium, alios. Decet, ut elegantior fieret oratio, differri vocem *Genius* usque ad eum locum. Elegantiam autem si quaeras qualis sit, eadem est, quam supra sectantes poetas vidimus, quum cumulant epitheta in parte versus priori. Solent hi poetae ita disiungere proxime coniunctas sententia voces, ut partes sententiae singulae inchoentur in parte versus priori, absolvantur atque compleantur in posteriori. *Ipse*: respondet in altera versus parte *Genius*. *suos*: respondet *honores*. *adsit* iure suo gravem occupat locum. Ne quis enim digniorem hoc gravi loco *Genium* existimet, reputandum est satis iam factum *Genio* esse eo, quod *Ipse* praecessit, quo statim nunciatur magnum quempiam nominatum iri. In Petronii versu cap. CXXVII. extr. vel Anthol. Lat. Burm. lib. III. LV. quum neminem nunc inveniri putem, qui dignum Lucretio aut Cicerone poeta vocabulum *clinavit* Petronio obtrudere velit, scriptori alibi singularia et nova affectanti, at in versibus receptae dicendi elegantiae studiosissimo, duo tantum, nisi nova doceamur ex aliis codicibus, emendandi modi restant, aut: *Talis humus Venerem mollem inclinavit in herbam*, aut, quod verum, iamque observatum aliis:

*Talis humus molles Venerem inclinavit in herbas.*

Quae disputavimus, eo redeunt, ut Catonem, si quando collocatione quae minus videatur elegans, usus deprehendatur, neque emendandum hac sola de caussa, neque reprehendendum esse, quod in collocatione acquiescere voluerit minus artificiosa, putemus. Quo non dico nihil esse apud Catonem, quod displicere cuiquam possit. Paullo durior alicui videatur particulae *non* collocatio locis tribus. Dir. v. 7.

*fuerit quam* non *mea libera avena.*

ubi melius erat ad meum sensum, si per versum licuisset: *quam non libera fuerit*, aut: *quam non fuerit libera*. v. 13.

*Ipsae* non *silvae frondes, non flumina montes.*

ubi vix dicas, cur non ita maluerit: *Non ipsae silvae frondes*, vel, quod Francio placebat, artificiosius: *Non ipsae frondes silvae*. Sed

maluit illud, nisi fallor, quia in reliquis ubique *non* proximum ante nomen suum locum tenet: *non* pascua, *non* arbusta, *non* pampinus. Eclog. v. 12.

*Dulci namque tumet* nondum *vitecula Baccho.*

quem versum Arnoldus sive ex sua sive alius cuiuspiam coniectura ita exhibere, scilicet emendatum, ausus est: *Nondum namque tumet dulci viticula Baccho.* Haec si quis dura esse iudicabit, non minus duram, vel etiam aliquanto magis, eiusdem particulae *non* collocationem in Culice esse fatebitur aliquot locis, quorum nullus dubitationi obnoxius. Cul. v. 26.

*Sancte puer: tibi namque canit* non *pagina bellum.*

v. 29.

*Urit Erichthonias Oriens* non *ignibus arces.*

v. 57. sqq.

*O bona pastoris, si quis* non *pauperis usum*
*Mente prius docta fastidiat, et probet illis*
*Omnia luxuriae pretiis incognita curis,*
*Quae lacerant avidas inimico pectore mentes.*

Frustra se torquet Heynius, et emendationem tentaverunt alii. Etsi concedo neque *non* suo positum loco esse, et vocem *omnia* si alio loco posuisset, magis perspicue scripturum poetam fuisse. Sententia, quam perspectam habuisse Bembum suspicor: si quis non fastidiat, mente prius docta et assueta deliciis, usum pauperis; et si probet quaecumque aliena sunt ab illis luxuriae pretiis, curis. *incognita curis* per inversionem dicuntur ea, quibus *curae* sunt *incognitae*: dictum ut *non est dea nescia nostri,* et *non est Amathusia nostri tam rudis,* supra p. 237. Versu 57. *si quis* retineo librorum antiquorum auctoritate, Augustani et Vossiani 81. quibuscum convenisse Thuaneo et Petaviano ex silentio colligitur Vossii. *si qui* cod. Basileensis, et quos alios nomine vulgatae comprehendo, Veneta Rubei, Mutinensis, Vicentina, Vossianus II. excepta Veneta Achatis, quae *siquis* retinuit. Tum vulgo *et probet illis Omnia luxuriae pretiis* (vel *preciis*) *i. c.* rectissime. a qua scriptura non nisi pauxillulum recedit, quod in Augustano, et fortasse in Thuaneo, etsi de hoc nihil monuit Vossius, legitur, *luxuria. luxoria* in Petaviano, Vossio monente. At in Vossiano pro *pretiis* legitur *spretis*, quam malam puto emendationem esse. eadem in ms. Koeler. testante Heynio: cui libro etiam alibi convenire cum Vossiano 81. animadverto, ut v. 59. in *spretis,* et fortasse alibi. Versu 60. quanto melius *inimico pectore* quam *foenore,* et quae alia in mentem Schradero venerunt. Quum suum cuique pectus amicum esse debeat

quam maxime, eius pectus, qui aviditatis curis dilaceratur, inimicum est, vel videtur esse, homini. V. 97. seqq.

*Talibus in studiis baculo dum nixus apricas*
*Pastor agit curas, et dum* non *arte canora*
*Conpacta solidum modulatur arundine carmen*:

ubi *apricas* puto esse quasi diurnae expositas luci, non alto in pectore fixas: quales supra v. 89. *simplices curas* dixerat. quibus oppositae sunt, quales v. 60. describit. *apricus* ex Thuaneo adscripsit Vossius. et ex eodem *canoras* et *modolatur;* ex Petaviano nihil. Augustanus: *non aſtecanore* verum non spoponderim statim ita scriptum a librario fuisse: certe *ſ* littera hanc speciem habet, ut ex alia quadam facta videatur; post *non* autem punctum cernitur additum, puto ad dirimenda vocabula: nam primum, ut solet hic codex coniungere syllabas et disiungere promiscue, librarius scripserat *nona.* Mirum autem in loco tam plano ita aberrare potuisse librarios: non dubium enim, quin verum sit, quod vulgo legitur, in cod. Basil. etc. *non arte canora* ut etiam in Vossiano 81. qui versus hos mutato ordine habet, ita: *Pastor — canora Talibus instudiis — apricam* (sic) *Conpacta* etc. *Conpacta* etiam in Augustano, et *modolatur* ut in Thuaneo. *solidum* quicquid est librorum: quo carmen puto simplex, *μονότονον,* significari: cui opponitur artificiosum, varium. Ut minus mireris quod turbatum sit in tam plana sententia, *non arte canora,* locum superiorem v. 85. adhibuisse iuvabit, ubi quum verissimum sit ac simplicissimum *non arte*, pro *arte* Thuaneus et Petavianus *alte* habent, *alta* Augustanus. Quod autem planum hoc esse dixi, v. 98. *non arte canora,* id nolim de particula *non* intelligi, quae parum commode, nisi fallor, posita est: exspectabit enim, qui hoc legerit, oppositum *sed solidum.* Caeterum de pastore illo, cuius partes sunt in Culice, accipiendus est locus, quem pertractavimus. Ut ostendit solis mentio v. 100. sq. quae respondet solis modo orti descriptioni v. 41. sq. De vita pastorali in genere satis dictum inde a versu 57. usque ad v. 96. Quod autem multa etiam in illo loco, qui a versu 103. incipit, ad hunc pastorem non propius quam ad quemvis alium pastorem attinentia, ut ista arborum recensio v. 122. sqq. imperitia poetae est, ubique locos circumspectantis, in quibus commorari ac ludere possit, communes. Monui contra Scaligerum, de cuius in hoc toto loco conatu, quo et mutari multa in versibus singulis, et maxime novum institui ordinem versuum iussit, non habeo quod dicam, vel habeo quidem, et dicturus sum, sed timide, quoniam nullo alio modo oppugnari posse hac in re Scaligerum video, nisi ut supra modum credulum fuisse Scaligerum dicas, aut de fide tanti viri detrahas. Verba sunt Scaligeri p. 13: *In his ergo ordini suo resti-*

*tuendis multum adiuti sumus illa schedula, quae ita eo ordine disposita haec habebat.* quae statim inter se pugnare ac differre manifestum est: si enim vetus scheda *ita eo ordine disposita haec* habebat, quomodo hoc tantum scribit, se *multum adiutum* fuisse schedula illa in restituendo ordine? Igitur, quod ipsius verbis Scaligeri arguitur, quantum veteri schedae debuerit, quantum de suo addiderit Scaliger, prorsus incertum est. Deinde, quod alterum, ut ponamus, omnia Scaligerum, vel praecipua saltem, fecisse schedae illius auctoritate, nihil video in hoc ordine tam praeclarum, ut praeferendus, schedae nescio cuius auctoritate, vulgato ordini fuerit. Gloriatur etiam Scaliger se *retraxisse e fuga* versiculum, *qui ab omnibus editionibus aberat*:

*Seu libet ad fontem densa requiescere in umbra.*

quem reponit in illa, quae ipsi videtur vitae pastoralis descriptio γενικῶς. Eum versum neque in Augustano neque in Vossiano 81. repperi, neque Vossius eius indicium ex Thuaneo et Petaviano fecit. Est similis versus in libris omnibus, eo loco, quo est apud Heynium, 155.

*Pastor ut ad fontem densa requievit in umbra.*

ex quo factum alterum illum ab nescio quo emendatore coniicio. Et Scaliger quidem p. 18. etiam hunc versum *Pastor ut* etc. agnoscit, sed ita immutatum: *Pastor ut ad fontes densa requietis in umbra,* iungitque eum cum versibus, qui vulgo sunt 158. 59. *Securo pressos* etc. Ego Scaligerum censeo, quum non satis librorum antiquorum haberet, nimium tribuisse veteri schedae suae, et quum illa nonnulla offerret singularia et ab ordine scripturaque vulgatis recedentia, correptum novandi cupiditate, reliqua e coniectura ingenioque suo fretum adornavisse. Denique, ut de particula negativa absolvamus, parum placet *haud* (*haut*) quo loco a Catullo positum est, in Coma Berenices v. 35. *Si reditum tetulisset. is haud in tempore longo C. A. A. f. addiderat.*

Non incommode huc transferetur de particula *et* disputatio, ad Catonis versum Dir. 44.

*arboribus coniungat et ardor aristas.*

Non dico equidem singulare hoc esse apud Catonem, et antiquae documentum simplicitatis. Sed quoniam neminem novi, qui de legibus copulae *et*, quoto eam loco liceat ponere, scripserit, ne quis illam a me male collocatam esse putet, apponam exemplorum quantum satis sit. Ut ab antiquioribus incipiam, luculentum exemplum copulae *et* quarto loco positae est in Culice v. 51.

*Pendula proiectis carpuntur* et *arbuta ramis.*

Addi posset ex eodem Culice versus 385. si quam ibi probabilitatem haberet Heynii opinio, legentis sine distinctione:

*Interius graviter mentem aeger* nec *tulit ultra*
*Sensibus infusum Culicis de morte dolorem.*

ubi *nec* dicit esse pro *non.* Huic saltem opinioni praestat Badii interpretatio, distinctionem itidem tollentis post v. *aeger,* sed *nec* accipientis usitata significatione, ut haec ad protasin pertineant omnia. Et hoc quidem certissimum videtur, apodosin non incipere ante versum 387. *Quantumcumque sibi* etc. Legendum cum Scaligero, sed cum Scaligero in curis secundis, quas Lindenbruchio debemus: nam in priore editione aliud placuerat Scaligero:

*Hunc ubi sollicitum dimisit inertia vitae,*
*Interius graviter* regementem, *nec tulit ultra*
*Sensibus infusum Culicis de morte dolorem:*
*Quantumcumque sibi vires tribuere seniles —*
*Conformare locum capit impiger.*

*regementem* praeter eos libros, qui apud Scaligerum et apud Friesemannum Heyniumque indicantur, perspicue scriptum habent Augustanus et Vossianus 81. In Thuaneo et Petaviano *rege mentem* erat, testante Is. Vossio. Quaeris, unde natum sit *mentem aeger,* quod praeeunte codice Basileensi in omni editione antiqua, Veneta Achat. Mutinensi, Veneta Rub. Vicentina et Vossiano II. legitur. Mihi istud antiquitus interpolatum esse videtur: e *regementem* primo *egre mentem* vel *eger mentem*, tum, metri caussa, *mentem eger* factum.

Ex maioribus Virgilii operibus nullum nunc exemplum ad manum est. Quem locum enim Priscianus XVI. 1034. et post Priscianum grammatici recentiores (Ursinus Institut. P. I. pag. 1043. Ruddim. P. I. p. 324. ed. Lips.) afferunt, Aen. IX. 403. *Suspiciens altam Lunam et sic voce precatur,* manifesto aliter accipiendus est, quippe formatus ad similitudinem versus Homerici: *ὣς φαμένη, καὶ κερδοσύνῃ ἡγήσατ' Ἀθήνη.* Quo etiam referendum esse putaverim Eclog. v. 22. 3. *Quum complexa sui corpus miserabile gnati Atque deos atque astra vocat crudelia mater.* Non magis huc pertinet locus Aeneid. I. 186. quicquid ibi Donatus dicat, qui ita distingui iubet: *A tergo et longum per vallis pascitur agmen.* Quanto simplicius, quod nunc legitur apud omnes: *hos tota armenta sequuntur A tergo, et longum* etc. At ponamus esse eo modo interpungendum, quo Donatus iubet: non magis ad nostram disputationem locus faciet, quam facit Tibulli locus I. ii, 37. *Si quis et imprudens.* aut Propertii I. iv, 15. *Quo magis et nostros* etc. Sunt nempe talia, *a tergo, si quis, quo magis,* unius vocis instar, ut aut praemitti copula aut eo loco poni, quo est a poetis posita, debuerit.

Apta ad Catonem haec sunt exempla Propertii. I. i, 27.

*Fortiter et ferrum, saevos patiemur* et *ignis.*

I. XIII, 29. seqq.

*Nec mirum, quum sit Iove digna, et proxima Ledae,*
*Et Ledae partu, gratior una tribus.*
*Illa sit Inachiis* et *blandior heroinis,*
*Illa suis verbis cogat amare Iovem.*

II. XXV, 48.

*Una sit* et *cuivis femina multa mala.*

quamquam hic locus similis ei generi, de quo paullo ante dicebam: non facile scripturus erat poeta: *Una et sit c.*

II. XXVIII, 62.

*Votivas noctes* et *mihi redde decem.*

III. VI, 16.

*medio nebat* et *ipsa loco.*

III. VII, 36.

*fallit portus* et *ipse fidem.*

denique III. X, 27.

*Sit sors* et *nobis talorum interprete iactu.*

et ne de negatione exemplum desideres, idem Propertius III. XXII, 28.

*Itala portentis* nec *furit unda novis.*

IV. XI, 94.

*Caelibis ad curas* nec *vacet ulla via.*

Tibullo quasi sollemne est, *et* ponere in altera parte dimidia versus pentametri. I. II, 96.

*Despuit in molles* et *sibi quisque sinus.*

I. III, 82.

*Optavit lentas* et *mihi militias.*

I. IX, 16.

*Deteret invalidos* et *via longa pedes.*

II. V, 66.

*Iactavit fusas* et *caput ante comas.*

IV. IV, 26.

*Optabunt artes* et *sibi quisque tuas.*

vel etiam altero loco, ut II. V, 98.

*coronatus stabit* et *ante calix.*

Ovidio quid placuerit, ut intelligerem, perlustravi Fastorum libros. In iis semel inveni sic positum *et*, IV. 424.

*Venerat ad sacras* et *Dea flava dapes.*

Sed animadverterat callidissimus versuum artifex, ad terminationem pentametri, qualem ille unice amat, voce bisyllaba, valde aptam et com-

modam esse *que* copulam. Quare hanc ea versus parte tertio additam vocabulo habet I. 44. II. 756. III. 562. IV. 448.

*Mensibus antiquis adposuitque duos.*
*In gremio vultum deposuitque suum.*
*Vertice libatas accipiuntque comas.*
*Ipsa suos absciderat que sinus.*

Itidem tertio, sed ita ut primum vocabulum sit praepositio, his locis: II. 16. IV. 178. 310. VI. 84. Secundo vocabulo additam saepe, II. 177. 344. 604. III. 16. 128. 348. 406. 602. 626. IV. 200. 254. 354. 610. V. 92. 244. VI. 398. Ovidio illud in pentametro artificium praeiverat Tibullus locis, quos congessit Broukhusius in Tib. III. VI, 48. ut I. III, 38. *Effusum ventis praebueratque sinum.* Is, qui scripsit Elegiam in Maecenatis obitum, v. 94. *Victor odorata dormiat inque rosa.* Conferantur loci apud Huschkium in Tib. I. x, 51. e. g. Virgilii, Aen. VI. 396.

*Ipsius a solio regis traxit*que *trementem.*

Eadem licentia, quamquam haec iam non amplius licentia est, sed magis elegantia interdum, quum demonstrari possit haud raro, cur tertio quartove loco ponere coniunctionem, quam primo, maluerint: igitur eadem libertas observatur in aliis coniunctionibus, ut in *quum.* Cato Eclogae v. 39. (142.)

*Sidera per viridem redeunt* quom *pallida mundum*:

elegantius haud dubie, quam si hunc in modum scripsisset: *Quom redeunt viridi pallentia sidera mundo. Sidera,* in quo pondus sententiae, primo poni loco decebat. Poterat etiam sic: Sidera *quom* viridi redeunt pallentia mundo. Feci hos versus, ut exemplis docerem illud, quod de coniunctione dico: apud Catonem et *pallida* melius est quam *pallentia* futurum esset, et *per viridem mundum* multo γραφικώτερον, quam *viridi mundo.* Eadem res est Eclogae v. 47. (150.)

*Aurea quin etiam* quom *saecula volvebantur.*

Illo autem versu:

*Militis impia quom succedet dextera ferro,*

si quis inter legendum offendat in coniunctione *quom*, meminerit hanc non coniunctionis culpam esse, tertio loco positae, sed metricae insolentiae in fine pedis secundi. Non ubique tamen sententiae consulere, poetae quum ita loquuntur, voluerunt: aliquid etiam necessitati metricae versuique dedisse censendi sunt. Velut Tibullum, quod ita scripsit I. x, 16.

*Cursarem vestros* quum *tener ante pedes,*

ita scribere potuisse, sine ulla mutatione sententiae, si per metrum licuisset, existimo: Quum tener vestros cursarem ante pedes.

Coniunctionis *ut*, posteriore loco positae, qui exempla petat, conferat Ovid. Fast. IV. 554. 640. Trist. I. II. 85.

Memorabile etiam, nobis maxime, qui non solemus ita loqui, *Qui est*, Dir. v. 78.

Qui *dominis infesta minantes stagna relinquant.*

ubi *qui* initio novae sententiae ad praecedentem versu 76. vocem *imbres* refertur. Verum hoc iam non ad collocationem verborum, sed ad quaestionem de nexu sententiarum pertinet, quem nexum Cato in universum simplicem, non quaesitum aut studiose variatum habet. Nobis, ut dixi, h. e. poetis nostratibus, usus iste pronominis relativi incognitus est, haberetque aliquid ieiunum, ad nostrum sensum, ac magis prosae orationi quam poesi aptum. Non item Romanis. Hoc quoque exemplis illustrabo e Culice petitis, partim ut bene fiat Culici ex bonis libris meis, partim ut quos habiturus sum lectores, dum saepius audiant Culicem, paullatim se insinuent in illam priscam et rudem interdum simplicitatem. Cul. 109. sqq.

*Delia diva tuo: quo quondam victa furore*
*Venit Nyctelium fugiens Cadmeis Agaue,*
*Infandas scelerata manus e caede cruenta*:
Quae *gelidis bacchata iugis requievit in antro,*
*Posterius* etc.

*tuo*: *quondam de uicta f.* Veneta Achat. Tum *nyctelium* recte cod. Basil. et Mutin. quod postea Veneta Rubei cum Vicentina et Vossiano II. in *nyctileum* corruperunt. *nictelium* August. Voss. 81. Veneta Achat. *myctelium* Thuaneus, Vossio testante. Tum in libris scriptis antiquis quatuor, et vulgo: et *caede cruenta*, quod verum putaverim. At in versu 113. ubi optabam, ut coniecturam nescio cuius viri docti admodum probabilem: *Posterius poenam gnati de morte datura*, confirmarent libri, omnes in hac scriptura consentiunt: *Posterius poenam nati se morte futuram.* nisi quod *futurum* in August. et Voss. 81.

v. 120.

*Ipsa loci natura domum resonante susurro*
Quis *dabat*,

*Quis*, Naiadibus: quarum v. 116. mentio facta, et rursus v. 118. ubi *chorea* est chorea Naidum. Heynius ad hunc versum ita: *Haec adhuc ad Naidas referenda. Importunum tamen* Quis: *ferrem saltem* His dabat. Quod ex nostro recentiorum hominum sensu iudicatum est, non ex veterum. Sed totum locum apponere placet, ut appareat, quam prope ad verum accedant boni libri antiqui, maxime in versu qui olim desperatus videri poterat, 118. Describit poeta lucum Deliae, i. e. Dianae. Vidimus mentionem fieri Agaues. Tum pergit v. 114. sqq.

*Hic etiam viridi ludentes Panes in herba,*
*Et Satyri Dryadesque choros egere puellae*
*Naiadum coetu. Tantum non Orpheus Hebrum*
*Restantem tenuit ripis silvasque canendo,*
*Quantum te pernix remorantem, diva, chorea,*
*Multa tuo laetae fundentes gaudia vultu:*
*Ipsa loci natura domum resonante susurro*
*Quis dabat, et dulci fessas refovebat in umbra.*

Priora expedita sunt. Leve est quod v. 114. *Panis* in Petaviano et August. v. 115. *chorus* in Petaviano, Augustanus autem eam vocem prorsus praeterit. *Et satyriades choros que egere puelle* Vossianus 81. v. 116. *Orpheus* cod. Basil. et caeteri libri vulgatae scripturae. *horpheus* Voss. 81. *horridus* Petav. et Thuan. *orridus* August. v. 117. vulgo *ripis* inde a cod. Basil. *riuis* Thuan. Petav. August. Voss. 81. quod minus bonum videtur. Iam vero v. 118. *Quantum te peneu remorantem diua ch.* vulgata scriptura est codicis Basil. Venetae Achatis et Mutinensis, tum etiam Venetae Rubei, Vicentinae, Vossiani II. nisi quod in his tribus, quos postremo dixi, *diue* est, et *penu,* non *peneu,* in Veneta Rubei. Et hoc quidem, *peneu,* dubium utrum per corruptionem natum e scriptura antiqua, an sit e coniectura hominis modice docti; agnoscit etiam Bembus. Scripturam antiquam conservavit Vossianus 81. cui tamen soli non confiderem, nisi et sua se virtute probaret illa, et caeteri libri concinerent. *Quam te pernix remorantem diua chorea* Voss. 81. *Quam te per nigrae* (vel *pernigrae*) *morantem diua chorea* Thuaneus, testante Vossio, et apud me Augustanus. *Quam te nigrae morantem diua choreæ* Petavianus, Vossio testante. Non impedio quominus haec aliquis *librariorum stupores* dicat cum Heynio, modo fateatur hunc perutilem stuporem esse: sine quo valde incerta foret Aldinae, in qua primum editum est *pernix*, auctoritas. Divide syllabas, et coniunge rursus: habebis *pernig raemorantem*, hoc est *pernix remorantem.* Et simul caussam habes, cur *Quantum,* quae vera scriptura, mutatum in *Quam* fuerit. Versum 119. imperfectum habet Augustanus: *Multe fundentes gaudia uultu* sic, sine indicio lacunae. Vulgo, inde a cod. Basileensi: *Multa tuo laetae* (Veneta Achat. *lacte*) *fundentes g. v.* recte. et sic Vossianus 81. in quo tamen vitiose *uulto*, fortasse pro *voltu. tibi,* quod edidit Heynius, nullam, ut videtur, auctoritatem habet: nisi plus iusto tribuas Bembo. *Multa tuæ letæ f. g. luctu* Petavianus ap. Vossium. Thuaneus apud eumdem, nisi quid omiserit Vossius, *Multa tuæ læto f. g. u.* Caeterum *tuo vultu,* vel *voltu,* manifesto dativus est. v. 121. vulgo, inde a cod. Basil. *molli — in antro.* Praetuli quod in libris scriptis antiquis, postulante sensu: nam

sequitur de arboribus. v. 143.

*Quis aderat veteris myrtus non nescia fati.*

*Quis*, id est fagis, hederis, quarum in versibus praecedentibus mentio.

v. 168.

*Adtollit nitidis pectus fulgoribus, et se*
*Sublimi cervice rapit*: cui *crista superne* etc.

*et se S. c. caput* omnes mei, non solum vulgati, et Vossianus 81. cum Augustano, sed etiam, diserte testante Vossio, Petavianus et Thuan. Ut *rapit* Bembino proprium videri codici debeat: si tamen ita fuit in codice illo. Similis in Ciri corruptio v. 280. ubi veram scripturam, quae iam est in Veneta Rubei, Vicentina, et in Vossiano II. *Aut ferro hoc* (*aperit ferrum quod ueste latebat*) codex Basileensis, e Romana II. haud dubie, corruptam ita habet: *Auferri*: *hoc capiti ferro q. u. l.* In Culicis versu 169. *quoi* Voss. 81. *supernae* August. Sponte autem apparet *cui* non ad *cristam* referendum, sed intelligendum esse serpentem. Et rursus v. 180.

*Spiritibus rumpit fauces.* cui *cuncta paranti*
*Parvulus hunc prior humoris conterret alumnus.*

Heynius: *Spiritus et rumpit f.* quod se revocasse e *veteribus* scribit. mirum. Qui re vera veteres libri editi, Venetae Achat. et Rubei, Mutinensis, Vicentina, cum cod. Basil. et Voss. II. *Spiritibus rumpit f.* et sic Vossianus 81. Augustanus, in quo *Spiribus,* sed superscriptis ab eadem manu litteris *ti*; et haud dubie Petav. cum Thuaneo, ut e silentio colligendum Vossii. v. 181. in iisdem haud dubie *humoris,* ut in August. et Voss. 81. et in cod. Basil. et in Mutinensi. in Veneta Achat. *humeris* levi vitio; at in Veneta Rub. Vicent. et Voss. II. *humeros*, quod iam grave vitium, et quo prorsus obscurata est, diuque mansit obscurata veritas. In Veneta Achat. etiam *puer* legitur, vitiose, non *prior. conterret* August. et si recte interpretor compendium scripturae, Vossianus 81. ut cod. Basil. Veneta Achat. et Mut. *conteret* Thuan. et sic, ut solet in hoc verbo, Veneta Rubei cum Vicent. et Voss. II. *cui,* serpenti. acquiesco equidem in dativo, neque opus esse emendatione, *quo cuncta parante*, existimo. dativus est, qui vulgo dicitur, commodi, vel potius incommodi: significat serpenti ereptum pastorem, qui iam erat in illius potestate, esse beneficio culicis. v. 186.

cui *dissitus omnis*
*Spiritus excessit sensus. tum* etc.

ubi Heynius pro *cui* malebat *sic* vel *tum.* Libri nihil variant, praeter Vossianum 81. in quo *quoi* et vs. seq. *Spem* (sic, si recte accepi compendium) *excessit sensim cum* etc. Teneo vulgatam. Nam verum quidem est, quod inter alios Bentleius ad Manil. II. 617. monstrat, *excedere*

cum accusativo esse *ultra ire*: at in Culice etiam inusitata fero. Verum enimvero illud dubium hoc loco, utrum *cui* ad culicem, an ad pastorem referendum sit. Si hoc, mox *cum* legendum erit ex Vossiano 81. ut locus ita procedat, inde a versu 185. *Tum* (Voss. 81. Petav. et August. male *quom* vel *cum*) *prosiluit furibundus, et illum Obtritum morti misit. Cui dissitus omnis Spiritus excessit sensus*, cum *torva tenentem Lumina respexit serpentem comminus*. Ego hic quoque *tum* praefero ex Augustano caeterisque libris, et *cui* v. 186. ad culicem refero. sic: *Tum prosiluit furibundus, et illum Obtritum morti misit*: *cui* (culici) *dissitus omnis Spiritus excessit sensus. tum* (pastor) *torva t.* etc. *Spiritum* tribui culici, ac *sensus*, quid mirum, quum infra omnia humana sciat, et patiatur humana? Huc etiam pertinet Culicis v. 191. ex emendatione tam facili quam vera, quam ipse feceram, quum occupatam a Scaligero vidi: at hic reliquit eam, permutavitque cum alia minus bona. V. 190. seqq.

> *Et validum dextra truncum detraxit ab orno.*
> Cui *casus sociarit opem, numenve deorum,*
> [Namque illi dederitne viam casusve, deusve]
> *Prodere sit dubium*: *voluit sed vincere tales.*

De versu 190. supra monitum pag. 291. Versu 191. *Cui* et *sociarit* e coniectura Scaligeri, sed quam statim, ut dixi, permutat cum alia minus bona. *Cui*, pastori. Poeta: *dubium sit*, inquit, *prodere, casusne an numen opem tulerit illi*: *sed voluit* sive casus sive numen *vincere tales*, h. e. voluit ut vincerent pastor et ramus. Scilicet res mira erat, tam horribilem serpentem vinci atque occidi a pastore tam simplici instrumento. *Qui casus sociaret o. numenue d.* in libris meis omnibus, nisi quod *sotiaret* August. et Voss. 81. *satiaret* cod. Basil. *sociarer* Voss. II. *sociarit* iam Aldina, certe secunda a. 1534. de priori non compertum habeo ipse. deinde *numen ne* Voss. 81. Quem versum uncis inclusi, *Namque illi dederitne* etc. abest non solum a libris vulgatae scripturae, cod. Basil. etc. sed etiam ab Augustano, Petaviano, Vossiano 81. et abest, ut puto, a Thuaneo, etsi qui de Petaviano testis est, Vossius, de Thuaneo non testatur diserte. Agnoscit versum Bembus, ita quidem, ut eum habuisse in libro suo videatur. V. 193. *Prodere sic d.* vitiose vulgo. Denique *uoluit sed uincere tales* non solum vulgo, sed etiam in Augustano, et in Thuaneo, in quo tamen deest *sed*, testante Vossio. eodem testante, *voluit sedere tales* in Petaviano. *u. s. u. tali* Voss. 81. V. 197. seqq.

> *Et quod erat tardus, somni languore remoto,*
> *Nescius adspiciens*: *timor obcaecaverat artus*:

*Hoc minus inplicuit dira formidine mentem.*
Quem *postquam vidit caesum languescere, sedit.*

Sententiam fere assequutus est Heynius; cur inepta sit, aut quid in eam poeta inepti intulerit, oblitus est dicere. Sententia: pastorem, quod repente excitus e somno mentem nondum totam recepisset, obstupefactum magis quam perterritum adspectu draconis, non metientem periculi magnitudinem, et quasi inscium, illud fecisse, quod optimum erat. Non nego hoc elegantius dici potuisse, atque elegantius dixisset matura aetate Virgilius: sed est satis bene dictum. v. 197. *somni* e correctione Scaligeri certissima, facillima: in his meis omnibus *omni* legitur. et *somni* ante Scaligerum Aldina, Heynio testante. v. 198. apte dictum *Nescius adspiciens*: non agnovit serpentem pastor; vidit tantum monstrum, malum, periculum. ista vero, *timor obcaecaverat artus*, per parenthesin accipienda sunt, qualia mox videbimus apud Catonem nonnulla: sunt enim epexegesis verborum *nescius adspiciens. Nescis* Thuan. *excecauerat* Voss. 81. *obcaecaverat* vel *obcecaverat* reliqui. v. 199. *implevit* Thuan. *inplevit* Voss. 81. *implicuit*, ut vulgo, August. *Quem*, serpentem.

Cf. *Cuius* Cul. 205. *Quem* Cul. 232. Sed satis exemplorum e Culice est. Caeterum hic non proprius Catoni et antiquioribus nectendi modus, sed communis elegantissimis. Virgilius Georg. I. 343. 4.

*Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret.*
Cui *tu lacte favos, et miti dilue Baccho.*

Huc facit Huschkii ad Tibull. I. vi, 40. II. iii, 43. III. i, 10. disputatio, ex qua locos consignavi tres, Virgilii Aen. IV. 138. Tibulli II. iii, 43. Propertii II. xviii, 15. quibus illud commune cum Catone Dir. v. 78. et cum prolatis a me locis Culicis, quod versum incipit pronomen, et quod novam sententiam, vel novam sententiae partem, ita ut si non punctum, colon certe ponendum sit ante pronomen illud. Quod ipsum, quum in nostra poesi non soleamus facere, male habuit Heynium tum in Culicis v. 121. 186. 232. de quibus paullo ante disputatum, tum in Virg. Aeneid. IV. 138. et in Tibull. II. iii, 43. impulitque, ut mallet pronomine demonstrativo usos poetas esse. Verum tamen hunc quoque loquendi modum suos habuisse limites credibile est. Et hi quidem poetae, qui elegantiores, temperatius. Nam primo non tam saepe pronomine ad nectendas sententias utuntur, quam factum in Culice vidimus. Deinde nihil equidem in poesi culta elegantique novi loco Culicis ei, quem postremum tractavi, simile: ubi nemo neget durum esse, et sero venire *Quem.* Itaque curaverunt poetae, facile ut agnosceretur nomen, ad quod sequens pertineret pronomen. Quamquam ea in re non anxii fuere, sed confidendum aliquantum recto lectoris sensu putavere. Veluti

non timebat Virgilius l. l. Georg. I. 343. 4. ne quis *Cui* ad nomen proxime praecedens *pubes* referret. Respicio haec scribens severitatem Bentleii in illo, cui omnino supra modum severas leges scripsit, Manilio. Ut quum I. 445. 6.

*Tum notius piscis venti de nomine dictus*
*Exsurgit de parte noti;* cui *iuncta feruntur* etc.

*cui* recte habere negat, argumentatione tali: *constructio enim postularet,* non *cui pisci*, *sed* cui noto, *sensu absurdo.* Et quum ad lib. V. 337. eodem modo coniecturam impugnat Scaligeri, hoc certe argumento non impugnandam. In eodem libro V. 432. quaeras, an retinendum sit

*Corpora* qui *mergunt undis,*

sed fateor elegantius esse, quod Bentleius reposuit ex Vossiano: *Corporaque immergunt undis.*

Quod saepe cum Culice comparo Catonem, nolim ita accipi, acsi nihil putem inter Culicis simplicitatem et Catonis esse differentiae. Cavi iam supra Diss. I. p. 238. Quam simplicitatem dicimus Culicis, magnam partem in imperitia posita est: qua superata, multa diligentia, et adiuvante industriam studiumque ingenio, eximia prodiere artis perfectae monumenta, Eclogae, Georgica, Aeneis. In Catone quae imperitia dici possit, nulla: satis elaborata sunt haec carmina; fecit Cato quod potuit, pro sua aevique sui simplicitate, neque si quae provectus aetate carmina scripserit, multum ea ab horum, quae habemus, carminum simplicitate diversa fuisse probabile est. Sed simplicitatem Catonianam, quatenus ea in nexu sententiarum conspiciatur, aliis quaerendum relinquo, vel potius sentiendum: est enim res, quae sentiri debet. Atque hic illic facile sentietur, ut Dir. 22. Duri, quod iure dicas durum, nihil reperio apud Catonem, si forte parenthesin unam et alteram excipias. Non reperio apud Catonem, qualia in Coma leguntur Catulli, v. 18.

*Non, ita me divi, vera gemunt, iuerint.*

et 77.

*Quicum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus expers*
*Unguentis, una milia multa bibi.*

quem locum primus expedivit I. D. Fussius, simulque rationem indicavit, qua excusari durities construendi tam in hoc versu quam in altero v. 18. debeat: difficile Catullo fuisse in alieno carmine graeco, quod accurate, et quantum fieri posset, ad verbum exprimendum suscepisset, eam ubique elegantiam facilitatemque assequi, qua in suis carminibus pollet. Neque dubium quin senserit Catullus, quum ita dure scriberet. Quapropter *una* addidit, quod ex mente Catulli significat: quum una essem cum illa. quo indicatur illum pristinum statum oppositum esse praesenti

conditioni, qua nunc utitur coma, *omnibus expers unguentis.* etsi ita non tollitur durities. Addam exempla priscae duritiae insignia duo ex Elegia ad Messalam, de quo carmine dixi Diss. I. p. 233. V. 25. 6.

*Non illa, Hesperidum ni munere capta fuisset,*
*Quae volucrem cursu vicerat Hippomenem.*

ubi, quod obiter moneo, nihil variant libri mei, codex Basileensis, Veneta Rubei, Vicentina, cod. Vossianus II. nisi quod pro *ni* in cod. Basil. legitur *i* cum compendio, quasi sit *in.* deinde *hippomanen* tres illi, cod. Bas. autem *hippomanem.* Vossii codex, e quo *Hippomenem* profert Burmannus, haud dubie est Vossianus I. Quam dure autem inversum *Non illa, ni — quae*, quum sententia postulet: *Non illa, quae vicerat, ni capta fuisset.* V. 59. seqq.

*Nos ea, quae tecum finxerunt carmina divi,*
*Cynthius, et Musae, Bacchus, et Aglaïe,*
*Si laudes adspirem, humili sed adire Camoena,*
*Si patrio Graios carmine adire sales*
*Possumus, optatis plus iam procedimus ipsis.*
*Hoc satis est: pingui nil mihi cum populo.*

Sic scribendi versus, nisi aliud iubeat codex alius, quod non facile fiet. Dicendum primo de libris meis, quatuor illis, et Vossiano I. et Vratislaviensi III. quorum ad hunc locum accurate annotatam a Geelio et Passovio scripturam habeo, et Romana II. v. 59. *Hos* Veneta Rub. Vicent. Voss. II. *que* Vratisl. III. *fixerunt* Voss. II. v. 60. *egiale* Rom. II. Basil. Ven. R. Vicent. Voss. II. et Vratisl. III. in Voss. I. deerat hoc vocabulum. v. 61. *laudem asp.* Ven. R. Vicent. Voss. II. et Voss. I. Vrat. III. *humilis sed adire sirenas* omnes, praeter Vossianum I. et Vrat. III. in quibus *humilis — cyrenas*, et *audire* vitiose Basil. cum Rom. II. in Voss. II. interpungitur post *humilis.* itemque in Vrat. III. post *humilis*: et post *cyrenas.* v. 62. *Sic* pro *Si* Ven. R. Vicent. Voss. II. et Voss. I. Vrat. III. *carmine* Rom. II. cum caeteris, praeter cod. Basil. in quo *carmina* vitiose. v. 64. *nil* Vossianus I. et Vrat. III. ut caeteri. Et profecto non intelligitur, unde *vel* venerit in Aldinas. Sed hoc condonabimus Aldinis, quum eaedem v. 61. egregium illud *humili Camoena* conservaverint. *sirenas* vulgata scriptura manifesto corrupta est, ut arguit metrum. neque *cyrenas* probabilem sententiam facit, etiamsi Vossio ad Catull. p. 18. placebat: *Si laudem aspirem, humiles et adire Cyrenas*: quam scripturam Vossius, ut nunc apparet, non ipse confinxerat, sed ex libro scripto, quem nos Vossianum I. appellamus, duxerat. *cyrenas* etiam cod. Helmstad. et *audire*, ut Rom. II. et Basil. sed in priori versus parte Helmstad. ita: *Si laudem aspirarem humilis*, ut metro satis fiat. Nos *laudes* praetulimus,

facilem emendationem. Sententia: ego, si laudes adspirem, supra spem felix sum, si ad tua divina carmina accedere, sed e longinquo, et humili accedere Camoena; si ad tua carmina graeca accedere patrio carmine possum. Bona sententia. At vide quam duro nexu. Post *Nos* versu 59. assumendum est *si* ex versu 62. nisi quis hoc emendatione restituendum esse dicat, *Nos si ea*: quae certe non nimis dura in hoc poeta elisio foret; cf. Diss. I. p. 233. Deinde quod inserit *si laudes adspirem*, id loco non suo insertum, et ingratum est, in eadem oratione bis inferri particulam *si* in duobus a se diversis membris: si *laudes aspirem*, si *possumus*. Collaudandum hic Wernsdorfium video, qui si non omnia, certe hoc intellexerat, quod primarium, uno nexu cohaerere versus 59. 60. et qui sequuntur, Poet. Lat. Min. T. III. p. 497. seq.

Duas loquendi formas ita frequentat Cato, ut hic singulatim commemorandae videantur: parenthesin et apostrophen. Parenthesin dico eam, cuius paullo ante in Culice exemplum habuimus:

*Et quod erat tardus, somni languore remoto,*
*Nescius adspiciens*: timor obcaecaverat artus:
*Hoc minus inplicuit dira formidine mentem.*

Quamquam hoc ab exemplis, quae statim prolaturi sumus, Catonis eo differt, quod parenthesis post sententiam vel sententiae partem, quae absoluta est et finita quodammodo, infertur: nam post *adspiciens* incidendum foret, etiamsi nulla sequeretur parenthesis. Cuiusmodi est etiam apud nostrum Eclog. vs. 12. At plerumque Cato parenthesin in mediam sententiam infert. Quod recte observatum bonas nonnullas locorum valde difficilium, vel qui valde difficiles, nec nisi magno restituendi molimine videbantur, explicationes nobis peperit. Dir. 35.

*Iuppiter*: ipse
Iuppiter hanc aluit: *cinis haec tibi fiat oportet.*

quod par est exemplo isti in Culice: nam ante *ipse* inciditur, quum *Iuppiter* sit vocativus. Dir. 40. 1.

*Quom tua cyaneo resplendens aethere silva*
*Noscet iter ducens Erebo*, tua, Lydia, *Ditis.*

multa cum vi repetit per parenthesin *tua*, nomine addito. Dir. v. 66.

*Nil est quod perdam ulterius*: merita omnia: *dictis.*

Eclog. 26. 7.

*tauro Iove digna, vel auro*:
Iuppiter avertas aurem: *mea sola puella est.*

Eclog. 44. 5.

*Et quae pompa deum*, nam silvis fama loquuta est:
Omnia vos estis: *secum sua gaudia gestat.*

ex mea distinctione lenique correctione. ibi memorabile duobus parenthesin constare membris, quorum posterius pendat a priori. Constat parenthesi etiam alios uti, ut, si exemplis opus in re tam nota, Virgilium Aen. V. 50. X. 11. XI. 315.

*Semper honoratum,* sic di voluistis, *habebo.*
*Adveniet iustum pugnae,* ne arcessite, *tempus.*
*Expediam, et paucis,* animos adhibete, *docebo.*

Quod hemistichium suum fecit Ovidius, Metam. XV. 238.

*Quasque vices peragant, animos adhibete, docebo.*

Atque usitatissima fortasse omnium parenthesis est cum particula *nam*: praecipue in alloquutione, ubi etiam magno ambitu parenthesis nihil habet, quod mirum sit: ut Aeneid. I. 65.

*Aeole,* namque tibi divom pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento:
*Gens inimica mihi* etc.

ibid. 198.

*O socii,* neque enim ignari sumus ante malorum:
*O passi graviora.*

et rursus 261.

*Hic,* tibi fabor enim, quando haec te cura remordet,
Longius et volvens fatorum arcana movebo:
*Bellum ingens geret Italia* etc.

cf. IV. 105. sq. sed etiam alibi, ut I. 308.

*Qui teneant,* nam inculta videt: *hominesne, feraene.*

Ovidius in exordio operis:

*Di coeptis,* nam vos mutastis et illas:
*Adspirate meis.*

Et noster Eclog. 12.

Dulci namque tumet nondum vitecula Baccho:

Qualia si comparaveris cum illis Catonis locis, et si examinaveris rem subtiliter, duo sunt, nisi fallor, quibus differre Catonem a Virgilio dicas. Primo in tam parvo versuum numero saepius parenthesi utitur Cato, quam Virgilius; et hanc fortasse haud immerito inopiam quamdam Catonis fuisse dixeris. Deinde Virgilius diligentius, quam Cato, curare solet, ut statim dignoscatur, ubi incipiat parenthesis: utitur enim particula aliqua, ut *nam,* quo etiam loquutio Virgiliana illa, *fatebor enim,* pertinet; vel *sic,* ut in illo *sic di voluistis,* quae inde sollemnis quasi loquutio facta est, de qua Bentleius in Horat. Carm. I. XII, 31. vel alia utitur repentina conversione, ut Aeneid. IV. 296. Cf. si placet, quae Quintilianus παρενθέσεως exempla ponit IX. III. 23. 26. Aut brevem facit parenthesin, ita ut si pluribus verbis constet, ea tamen

verba unam tantum exhortationem, admonitionem, exclamationem efficiant: quale est illud, *ne arçessite*, et, *animos adhibete*, pro quo Aen. IV. 116. brevius: *paucis*, adverte, *docebo.* Talia igitur non multum differunt ab usitatis exclamationibus parentheticis, *infandum, nefas*, et sim. Denique Virgilius, et qui alii poetae elegantiores, ut semper amant gravia ac ponderosa verba in fine versus, tum maxime, ubi interiecta est medio versu parenthesis, curant, ut ultimum verbum, quod excipit parenthesin, non otiosum sit, sed vi praeditum, et tale, sine quo praecedens parenthesin sententia consistere non possit: ut illis locis *habebo, tempus*, *docebo.* Quod non observatum a Catone Dir. 41. ubi quum iam absoluta sit satisque perspicua sententia his verbis, *noscet iter ducens Erebo*, sero venit. sine vi, *Ditis.* nempe *Erebo* commemorato non requirebatur ad sententiam *Ditis.* Observetur etiam Dir. v. 100. *Migrabunt casus aliena in corpora rerum*, ubi *rerum* cum ambiguitate positum in extremo versu, quum coniungendum sit *casus rerum.* Cf. quae ibi animadvertimus.

*Ἀποστροφή*, ut graece dicam cum Quintiliano loco paullo ante laudato, vel si latine licet cum Iulio Rufiniano, conversio, tam usitata Catoni figura, ut ea supra modum, ne dicam, usque ad taedium, usus sit. Neque dubito hoc quoque ad simplicitatem referre Catonis: quid enim nisi simplicitas est, si quis loquendi modum per se bonum elegantemque, sed qui per naturam suam, quum singulari cuidam animi commotioni vel sententiae gravitati proprius sit, paucis quibusdam locis reservari debet, perpetuo utitur? Non dico illos locos, ubi ad Lydiam sermonem convertit Cato, vel ubi ad illa dilecta rura sua, ut Dir. 10. *senis nostri, felicia rura*, et Eclogae initio; vel ad silvam, Dir. 26. sqq. et ad capellas caprumque, v. 91. sqq. vel ubi ad undas et littora, v. 48. 9. et ad flumina, v. 67. vel ubi ad taurum et caprum, Ecl. 28. sqq. et ad Lunam, Ecl. 41. Hos dico, Dir. 8. *tua facta, Lycurge.* 15. *sulci condatis.* 35. 6. *Iuppiter, cinis haec tibi fiat oportet.* 63. *Neptune.* ubi quum per se ipsa non displiceat apostrophe ad Neptunum, displicent tamen cumulatae apostrophae: nam statim sequitur altera, *Battare.* 83. *Tuque inimica tui s. discordia c.* Eclog. 18. *labentes currite lymphae.* 27. *Iuppiter avertas a.* 45. *Omnia vos estis.* Non nego etiam in his unam alteramve aptissimam esse apostrophen, ut illa admodum venusta est, a me feliciter restituta, Ecl. 18. At in unum omnes coniunctae mirae cuiusdam, ac fere nimiae commotionis et quasi trepidationis speciem praebent hisce carminibus. Caeterum quum morem Catonis non satis observassent viri docti, mihi relictum fuit, ut restituerem aliquoties apostrophen: Dir. 35. Ecl. 18. et 45. Hic etiam consistere paullisper lubet, quo clarius constet de poetarum consuetudine. In Culice, ubi de cantu Orphei, v. 282. sqq.

*Labentes biiuges etiam per sidera Lunu*
*Pressit equos: et tu currentis, menstrua virgo,*
*Auditura lyram tenuisti nocte relicta.*

recte Heynius reprehendit, quod iam facta mentione Lunae, rursus eamdem alloquitur, *et tu, menstrua virgo.* Quodsi tale quid praecessisset: Constitit etiam orbis lunae, nihil offensionis haberet apostrophe ad Lunam Deam. Nunc quum iam dictum sit de Luna Dea, equisque eius, languet et parum opportuna est apostrophe. *currentis* August. et vulgo, cod. Basil. Venet. Achat. et Rub. Mutin. Vicent. Voss. II. *monstrua* Voss. 81. Alia librorum errata recensui pag. 292. In Ciri v. 328. 9. turbat Heynius, vix ut cognoscere queas, quid sit in veteribus. Veneta Rubei, Vicentina cum Vossiano II. aliae:

*Non ego te incepto fieri quod non pote conor*
*Flectere*: *amor*: *neque sit cum diis contendere nostrum.*

et sic cod. Basil. Apostrophe est ad Amorem: quod perspexit Badius, perspexit Scaliger. Perspexerat etiam Heynius, sed haesit sine caussa, quum apostrophe satis perspicua sit propter sequentia, *neque sit cum dis contendere nostrum.* Apparet etiam Pomponiom non *amore* legisse, sed *amor.* At qui restituendam huic loco apostrophen censeo, non idem laudo atque approbo. Durum est repente invocari Amorem, quum et praecedentia, et qui sequitur sermo, omnia Scyllae dicantur. Manilio I. 229. bene, ut videtur, continuavit apostrophen Bentleius, *Deficeres*, pro vulgato *Deficeret. Deficeres* tu, o luna. Contra idem ex eodem IV. 764. sq. exemit apostrophen, scribendo:

*Virgine sub casta —*
Est *Rhodos*, *hospitium recturi principis orbem;*
Tumque *domus vere solis, cui tota sacrata* est,
*Quum* caperet *lumen* etc.

recte, quia eleganter, et quia favent libri. Alii ante Bentleium: *Es Rhodos, Tuque — es, caperes.* Quum praecedat apostrophe in loco de Leone, *Nemeaee, Te colit*, Manilium, poetam elegantem, variasse orationem probabile est. Apostrophae nullo modo ferendae si quis exemplum desiderat, Manilium legat V. 300. 1. ex emendatione Scaligeri. de Philoctete sermo est:

*Hectoris ille faces arcu teloque fugavit,*
*Mittebat qui* vos, ignes, *in mille carinas.*

Versus prior recte se habet haud dubie, neque ridiculi quicquam in *arcu teloque.* Acumen quaesivit poeta oppositis inter se *facibus* et *arcu teloque*: scilicet ad fugandas faces maiori quodam molimine, gravioribusque instrumentis, quam sunt arcus telumque, opus esse videbatur. Ad v. 301. recte Bentleius: *ita Scaliger, indigna tanto viro*

*coniectura.* Quamquam quid faciam versu, cuius vulgo scriptura est: *Mittebatque suos ignes et mille carinis*, non magis habeo, quam habuit Bentleius, qui eum damnat totum. An *carinas* legendum, ut sermo sit de Hectore? mittebat Hector, h. e. missas faciebat faces et carinas, abstinebat se ab ignibus et carinis, propter arcum telumque Philoctetae. Facit Manilius, ut recorder geminum Culicis locum de *ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ*, in quem fuerunt qui inferrent apostrophen:

*cum*, Troes, *saevi* vos *Hectoris ira*
*Videre* (vel, ut alii, *Viderit*, *Verteret*) — *paratos*.

non eleganter, sed fortasse satis bene in hoc poeta. Libri aliud iubent: de quibus certiora, quam adhuc constant, referam, ut appareat recte dispositum locum ab Heynio esse. V. 303. seqq.

*O quis non referat talis divortia belli,*
*Quae Troiae videre viri, videreque Graii:*
*Teucria quum magno manaret sanguine tellus,*
*Et Simois, Xanthique liquor; Sigeaque praeter*
*Littora quum Troas, saevi ducis Hectoris ira,*
*Videre in classes inimica mente Pelasgas,*
*Vulnera, tela, neces, ignes inferre paratos.*

v. 303. *tali deuortia belis* Thuan. et Petav. teste Vossio; et sic Augustanus, sed in quo *bellis.* v. 304. insolenter dictum *Troiae viri*; corruptum non putem. Sic Naevius:

*Qui terrai Latiai tuserunt hemones.*

et ne quis hoc cascum, Naevianum, dicat, Eleg. ad Messalam v. 20.

*Qualia* Trinacriae *doctus amat* iuvenis.

Quamquam etiam hunc locum tentant viri docti. In Culice singularis quaedam ratio est, propter quam ita scripsisse poetam insolenter censeo. Si enim *Troes* scripsisset, ut placet Heynio, sententia ita procederet: quae belli divortia Troes videre, quum videre Troas paratos. Troes videre Troas: quod absurdum. *Troiae viros Graiosque* quum dicit poeta, voluit in universum significare homines aetatis istius heroicae, ut in nostro sermone *die Männer von Troia* non erunt necessario incolae Troiae, vel oriundi Troia, sed etiam qui vixere tempore Troiae, et qui magnum quid perpetravere ad Troiam. Leviora sunt codicis Augustani vitia atque errata: v. 304. *graui* pro *Graii.* v. 305. *tum* ubi *quom* Voss. 81. v. 306. *Simonis* Petav. et extremo versu *sieaque prætunt* August. *sigeaq; pret* (sic) Voss. 81. mirum *σφάλμα*, sed *σφάλμα*, ut puto, in quo nihil latet aliud, quam quod vulgo legitur, ac legebatur, si fides silentio Vossii, in Thuaneo et Petaviano, *praeter.* v. 307. verum esse, quod exhibui cum Heynio, non tam Vossiano 81. in quo liquide ita legitur, *s. ducis h. ira*, quam antiquis illis,

Thuaneo, Petaviano, Augustano, credo, in quibus *troas seuiduos h. i.* ubi *duos* apparet *ducis* esse: *o* factum ex *ci.* Orthographica si audire iuvat, *quom* in Voss. 81. *cum* in August. et *Litora* in utroque. *haec torifira* August. v. 308. *Vidi in classes* tres illi antiqui, cum manifesto vitio metrico. *Videre inclasses* Vossianus 81. et *Videre* bonus ille liber Mutinensis, cui reliqua cum vulgata communia. Est autem vulgata scriptura, codicis Basil. Venetae Rub. Vicentinae et Vossiani II. haec: *Littora cum troas saevi uos* (*uox* Vicent. et Voss. II.) *h. i. Viderit incl.* Veneta Achatis: *Littora*: *cum troias scevi uos h. i. Verteret in cl. uox* et *Viderit*, ut Vicentina, etiam in Aldi editione ea, quae prodiit sine anni indicio. *Troes* fortasse Bembi inventum est, qui locum ita conceptum exhibet: *Littora, cum Troes saevi vos Hectoris ira Videre in classes* etc. In codice Bembi non aliter scriptum fuisse putaverim, quam est in Thuaneo, Petav. et Augustano: nisi forte *Videre* fuerit in illo. Non impedio enim quominus aliquis Bembinum codicem aliquanto tribus illis nostris meliorem fuisse existimet. Apostrophen facit etiam Badius, sed retinens priscam scripturam *Troas*, hunc in modum: cum ira Hectoris saevi viderit vos Troas paratos inferre. Denique extremo versu 308. *pelagas* vitiose August. v. 309. *Uulneratelanectesignaſ inferre paratoſ* August. vel *nec te signaſ*, nam saepe hoc in codice quas syllabas iungi, quas non iungi voluerit librarius, incertum est; et profecto non semper ipse, quid scriberet, scivisse videtur. Memorabile autem est, eumdem scribendi morem etiam in Thuaneo et Petaviano cerni hic illic. Ut hoc loco Vossius *nece signas* ex Thuaneo, *nete signas* ex Petaviano annotavit. Cf. supra p. 303. de Culicis v. 118. extremo versu 309. *paratas* Voss. 81.

Postquam de apostropha dixi, fere absoluta atque exhausta esse video, quae de dictione Catonis in universum observanda habui. In singulis locis ac verbis quas leges criticas mihi fecerim, partim in Animadversionibus indicatum est, partim sponte quisque, cur hoc scripserim, non illud, divinabit. Sed tamen hic quoque monendum, duas semper mihi ante oculos praecipuas leges fuisse: primo, ut quam possem minime a vestigiis librorum, antiquissimorum, probatissimorum, recederem: quapropter distinctione adiuvare poetam, quam mutatione verborum malui, ut illis locis, quibus parenthesin restitui, vel apostrophen; deinde, nihil ut mutarem solo elegantiae studio. Persuasissimum est mihi, suam quamdam Catoni dictionem relinquendam esse: suam simplicitatem, vel etiam obscuritatem, audaciam, insolentiam.

Insolentia vel obscura, propter brevitatem maxime, haec sunt: *Veneris stipendia* Ecl. v. 13. *In vicem* absolute, v. 40. *Omnia vos*

*estis* v. 45. *mendacia furti* v. 63. *vitae* v. 79. Et obscura fortasse videbuntur aliis, mihi non videntur, *Multa prius* Dir. v. 7. *Hinc* v. 22.

Elegantiae studio, et ex eorum poetarum, quibus magis quam Catoni assueti erant, consuetudine, non pauca mutavere viri docti, quae melius sic scripta relinquuntur, ut sunt in libris scripta. Huc referantur coniecturae Heinsii, *regna* Dir. v. 33. Broukhusii, *temerare* Ecl. v. 54. Heinsii, *invida fata* Ecl. v. 61. Broukhusii, *ardor* v. 62. *velavit* v. 73. et fortasse aliae. Plerumque, ut in his locis, demonstrare licet, nihil emendata criticorum praestare vulgatis, vel, si quis operam dare atque insinuare se in mentem poetae volet, melius esse, fortius, aptiusque ad sententiam, quod libri scriptum a Catonis manu poetae non properipedis, sed lente atque cogitate scribentis, testantur, quam praepostera criticorum inventa. Sic Dir. v. 76. *fumantes* melius, magisque exquisitum, quam tritum illud *spumantes*. Eclog. v. 58. propter libros dedi: *Non mea non ullo* etc. non propter elegantiam repetitionis, de qua multi Broukhusius et Burmannus ad Propert. II. II, 37. (II. III, 27.) Est sane elegans repetitio, quando locum habet, hoc est, ubi cum multa vi loquitur scriptor. Verum hoc ipsum, quando cum vi scriptor loquatur, saepe incertum est, neque hac sola de caussa inferri repetitio debet. Quare in Propert. II. XXXIV, (XXV,) 39. coniecturam Scaligeri *Non non Amphiaraeae tibi fata quadrigae* repudio, laudo unice atque amplector elegantem Mureti restitutionem: *Amphiaraeae nil prosunt fata quadrigae.* In Catonis loco *Nam mea non ullo* exhibiturus eram, si *Nam* in aliis libris praeter Aldinas esset. Ecl. v. 78. Heinsii coniectura *o sera libido!* vel *pro s. libido!* fortasse multis placebit propter alacritatem vehementiamque exclamationis; neque hoc ego opponam Heinsio, molestam esse exclamationem, quum iam praecesserit alia, *sors o mea laeva,* vs. praeced. Librorum auctoritate aliud exhibui, quod minus vehemens. Alibi, sed tamen raro, nisi fallor, pendet iudicium, ut neque hunc refellere, cui unum placuerit, neque illum, cui alterum, queas: ut Dir. 103.

Superest ut de versu dicam Catonis. Versum Cato facit bonum, simplicem, tam ab ingeniosa Lucretii licentia, quam ab artificiosa Virgilii varietate, et ab illo perpetuo numerorum flumine Ovidiano remotum; interdum tardiorem, partim, nisi fallor, crebro spondeorum usu, partim eo, quod ante pedem quintum saepe antecedit vocabulum ionico a minori, vel molosso constans, vel etiam, quem numerum inprimis tardum esse Lachmannus ad Propert. III. VI, 43. sensit, bacchio. Sciunt, qui ipsi versus fecere latinos, hanc facillime et quasi sponte se offerre hexametros facienti conformationem, ut medio in versu vocem ponas longiorem, quae finiatur cum pede quarto, deinde ut in pede

quinto aliam vocem colloces, quae dactylum efficiat. Usitata ea forma versus Catullo est in carmine epico: ut, quos locos statim evolvo, v. 31. 32. 33. 34. v. 38. 39. 40. 41. v. 63. 64. 65. 66. v. 86. 87. 88. 89. 90. 92. 93. 94. v. 104. 5. 6. 7. Bacchius apud Catonem bis ea in sede, Dir. 57. 78. quod ego neque reprehendo factum, neque cum Arnoldo ad Dir. 57. singulari hos duo versus alternantium dactyli et spondei artificio excellere dixerim. Nullum talem versum invenies apud Catonem, qualis Propertii II. xxxiii, (xxiv,) 9. *Quum te iussit habere puellam cornua Iuno*: quem non tam bacchius, quam praecedens bacchium amphibrachus elumbem facit. Ut statim ad criticam utilitatem conferamus hanc disputationem, Dir. 65. non solum librorum auctoritate, sed etiam ex more Catonis, exhibui:

*Nam tibi sunt fontes,* tibi semper *flumina amica.*

ubi alii: *tibi flumina semper amica.* Et Eclog. 57. tardiores numeros dedi:

*Prima foret*: *letum* mihi vita *dulcius esset.*

etsi alacriores, *letum vita mihi dulcius esset*, maior pars librorum habet. Sic in Culice versum 411. librorum, Thuanei, Petaviani, Augustani, in quibus *firma quod*, iussu scribo:

*Elogium*, *tacita* firmat quod *littera voce.*

Si absque illis esset, tenerem, quod est in libris vulgatae scripturae, *quod firmat.* in cod. Basil. *Eulogium* est, et nisi quid hic neglexerit Broemmelius meus, quod etiam optimo semel accidit, *quod format.* Contra in culta poesi aevi Augusti recte viri docti praeferre hephthemimerin solent: ut Broukhusius in Propert. III. i, 19. quum *vestro date serta poetae* praefert vulgatae scripturae, *date vestro s. poetae*; Bentleius in Manil. I. 480. quum *parvis nec mixta feruntur* concinnius dicit altero, *nec parvis mixta feruntur*; Santenius Animadv. in H. Balbum col. 1804. ubi Broukhusii de loco Propertii III. i, 19. iudicium approbat, et col. 1828. ubi Ovidii versum Metam. X. 85. mollius fluere dicit, si legatur, hephthemimeri reddita, *Aetatis breve ver,* primos et *carpere flores*; et col. 1845. ubi ad Balbi verba *quot coelo* adscribit: *transposuerim.* Nunc uberius pertractatam ab eodem Santenio hanc quaestionem habemus, ad Terentiani M. versum 1681. 2. pag. 261 seqq. cui omnino adstipulor, cum hac tamen cautione, quam ipse ponit p. 263. Cum Broukhusii de Propertii loco III. i, 19. sententia non habeo quomodo conciliem eiusdem Broukhusii in Propert. II. xii, 43. iudicium, ubi *Non ferrum crudele* esset, neque *bellica navis* numero dicit *laxiore* esse, *nec satis ad gravitatem Propertianam*; praefert *Non f. crudele,* neque esset *b. navis.* Ad meum sensum illud gravius: etsi non nego utrumque scribi a Propertio potuisse. Alia cognata quaestio est de locis eiusmodi, qualis est Culicis v. 202.

*Et piger aurato* procedit vesper *ab Oeta.*

Et hic quidem non dubium, quin verum sit *procedit vesper*, quem ordinem praescribunt Thuaneus, Petavianus, Augustanus, et Vossianus 81. In cod. Basileensi, et reliquis, etiam Mutinensi, inverso ordine *vesper procedit* legitur. *aurata* in tribus prioribus, quos dixi, codicibus. Profecto multo simplicius, et in descriptione rei, quae tranquille ac paullatim peragitur, aptius, *procedit vesper* quam *vesper procedit.* Atque ita Virgilius Aeneid. I. 374. *componet vesper Olympo.* non, ut in nonnullis, *vesper comp. O.* Sed quaeritur, an ita semper poetae iudicaverint. Ad Manilii I. 160. ubi vulgo *Conventque vagis* limus permixtus *arenis*, Bentleius ita: *Meliore ordine vetusti omnes*: Convenitque vagis *permixtus limus* arenis. *ut* limus, *quod sententiam ducit, in arsi et sub ictu ponatur.*

Durus est, eoque displicuit non solum Is. Vossio, Heinsio, Francio, sed multo ante aliis, ut codices ostendunt, qui illum, hac maxime de caussa haud dubie, interpolatum habent, Dirarum versus 31.

*Militis impia quom succedet dextera ferro.*

cui in toto Georgicorum Virgilii opere inter versus similes haud paucos, unum repperi quem parem dicas, II. 61.

*Scilicet omnibus est labor impendendus: et omnes.*

etsi ne hic quidem nihil differt a versu Catoniano: *est* enim per naturam suam arctius coniungi pronunciando cum *omnibus*, et quasi in unum conflari cum ea voce potest, quam apud Catonem *quom* et *impia.* scilicet nemo ita metietur legetque versum Virgilii: *Scilicet omnibus |est labor|* sed magis ita: *Scilicet omnibus est |labor im.* At Catonis versum vix licet aliter legere, quam *Militis impia |quum|* Deinde versum Catonianum non solum caesura in fine pedis secundi durum atque inconcinnum facit, sed etiam illud, quod duo membra priora: *Militis| impia|* nimis sunt inter se aequalia. Sentiunt periti multo minus offensionis habiturum esse, si tale quid scripsisset: *Militiae pia quom* etc. Id aliter se habet apud Virgilium, quem sic pronunciasse versum suum probabile est: *Scilicet! omnibus est* etc. *Scilicet* exhortativum, cum exclamatione quadam, et cum pausa, quae sequi exclamationem solet: quo minus animadvertitur aequalitas membrorum *Scilicet, omnibus.* Apud Lucretium multi sunt versui Catonis similes ac pares:

I. 171. *Inde enascitur atque oras.*
211. *Esse videlicet in terris.*
321. *Sed quae corpora decedant.*
387. *Inter corpora quod fuvat.*
750. *Cum videamus id extremum.*
835. *Ossa videlicet e pauxillis.*

II. 171. *Nec iam caetera, mortaleis quae.*
174. *Ne genus occidat humanum.*
738. *In quae corpora si nullus.*
827. *Evanescere paullatim.*
891. *Non ex omnibus omnino.*
906. *Sed tamen esto iam posse haec.*
1035. *Aut minus ante quod auderent.*
1170. *Nec tenet omnia paullatim.*

A quibus vix quicquam differunt tales:

I. 88. *Cui simul infula virgineos.*
110. *Relligionibus, atque minis.*
303. *Quae tamen omnia corporea.*
330. *Nec tamen undique corporea.*
894. *Verum semina multimodis.*
1097. *Et ne caetera consimili.*
II. 466. *Est, at levibus atque rotundis.*
510. *Naribus, auribus, atque oculis.*
514. *Denique ab ignibus ad gelidas.*
835. *Ut non omnibus attribuas.*
1085. *Non esse unica, sed numero.*
1089. *Quae bene cognita si teneas.*
1165. *Et cum tempora temporibus.*

Non multum enim, aut nihil, si recte sentio, ad emolliendam duritiam confert, quum dactylus est pes tertius. Certe Lucretius haud cunctanter, quo iure *Cui simul infula virgineos*, eodem *Cui simul infula malarum*; quo iure *Quae tamen omnia corporea*, eodem *Quae tamen omnia concreta* scripturus fuisset. Selegi locos, qui nullam duritiae excusationem habent, exclusis iis, in quibus pedem tertium inchoat verbum *est*, vel *sunt*, *sit*, quo de genere paullo ante a me monitum ad Virg. Georg. II. 61. quamquam etiam inter haec unum alterumve apud Lucretium est supra modum durum, ut I. 237. *Immortali sunt natura.* Caeterum excusatio haec, quam a natura verbi *est* petimus, non huic propria verbo est, sed longe patet. Est enim etiam aliarum vocularum haec natura, ut sponte adhaerescant alii cuidam sive praecedenti sive sequenti voci. Velut earum quas praepositiones appellamus. Quare nihil offensionis habent I. 715. *Et qui quatuor ex rebus.* et 764. *Denique quatuor ex rebus.* Nihil praepositio *inter* pedem obtinens secundum, sequente *se* pronomine, quod tam consuetum ac sollemne Lucretio, ut quatuordecim locis in duobus libris ita collocatum reperiatur *inter se*, I. 761. 769. 819. 825. 838. 909. II. 29. 75. 483. 689. 692. 761. 941. 1008. Neque dubitavit eodem modo uti Virgilius Georg.

I. 301. III. 218. IV. 73. Apud Lucretium etiam in pede tertio *inter se,* I. 787. II. 66. Similis epithetorum ratio est, quum statim excipiunt nomina sua, vel excipiuntur ab illis: ut gratissimum est, Lucret. II. 1150. *Vix animalia parva creat.* Idem I. 73. *Ergo vivida vis animi pervicit.* quod aliquanto minus gratum propter vocem monosyllabam: sed tamen eodem modo Virgilius: *Et quum frigida mors anima seduxerit artus*: Aen. IV. 385. Alia longissime patens locosque innumeros complectens excusatio a caesura petitur ea, quae est in arsi pedis secundi. Ubi enim iam semel constiterit vox recitantis in exordio versus, facilius peragit reliqua, pedemque tertium sine difficultate annectit pedi secundo. Non loquor de illis locis, ubi ipsa sententia atque in arsi pedis secundi interpunctio facit, ut in fine pedis secundi nequeas, etiamsi velis, consistere: quales sunt Georg. I. 3. 24. 36. 48. aliique quam plurimi apud omnes poetas. Tales volo, quales sunt apud Virgilium Georg. I. 243. *Sub pedibus Styx atra videt.* 482. *Fluviorum rex Eridanus,* quales non ita legi poeta voluit: *Fluviorum rex* | *Eridanus*, sed ita: *Fluviorum* | *rex* | *Eridanus,* ut *rex* in medio sit, coniungendum cum *Fluviorum*, quod sententia iubet, sed ita ut rapide transitus fiat ad nomen *Eridani.* Constat Virgilium haud raro interpunctionem ponere hac in sede, ut in illo, quod haud dubie consulto fecit, *Incassum furit*: Georg. III. 100. et ibid. 98. *Ingratum trahit.* At semper ita, certe in Georgicis, ex quibus numerata exempla habeo, ut praecedat caesura in arsi pedis secundi. Non facturus erat talem: *Irrita perfurit*: *ergo animos* etc. Atque haec satis tum ad rem nostram, quam nunc agimus, tum ut hinc ordiatur, si quis ulterius rem persequi, et subtiliora eruere discrimina, veluti quae sint inter Virgilium et Ovidium, volet. Sic de vocibus longioribus, quae ipsae per se duo pedes implent, quaeritur, an quid in se excusationis ferant: cf. Lucretii praeter eos locos, quos iam protuli, I. 469. 585. II. 861. at Virgilius semel tantum, in Georgicis, III. 344. *Armentarius Afer agit.* ubi praesto est supra allata excusatio a natura epitheti. Parum iucundi ad meum sensum, non propter caesuram in fine pedis secundi, quae quidem prorsus delitescit, sed propter caesuram interpunctionemque in thesi pedis secundi priori, hi sunt versus Virgilii, Georg. IV. 157. *Experiuntur*, *et in medium.* 274. *Aureus ipse, sed in foliis.* 351. *Obstupuere, sed ante alias.* 450. *Tantum effatus. ad haec vates.*

Neque haec suavis caesura est, Ecl. 55.

*Immatura meae quoque noxae solvere fata.*

Sed satis tuetur Lucretius I. 1049. II. 39. 212. III. 456. 758. 1008. IV. 1142. V. 307. VI. 576. 905.

Caesuram trochaicam in quarto pede neque alii poetae veteres latini

studiose defugiunt, neque Cato defugit. Cf. Dir. 86. 93. Eclog. 17. 29. Qui versus omnes nihil habent, quod animadversione dignum sit. Est tamen hac quoque in re modus, et est ubi unam scripturam non damnes, sed alteram praeferas. Illis exemplis, quae primo loco commemoravi, multo deteriora sunt haec, Dir. 21.

*quae pingit avena colore.*

et Dir. 88. e scriptura Aldina:

*campos nec adire licebit.*

Deteriora autem sunt propter iteratum amphibrachum. Quare ut neque huiusmodi versus proficisci a Catone potuisse negamus, ita ad commendandas emendationes, quae repositae a nobis utroque loco sunt, quarum una non est emendatio, sed antiquorum scriptura librorum, si non multum, aliquid tamen etiam in eo positum esse iudicamus, quod meliores fecimus versus.

Ad versum Catonis 170. (Eclog. 67.) veram fortasse putarem Badii observationem, *accumbebat*: *spondaicus versus accumbentis languorem indicans.* et illud quoque, Ecl. 47. *quom saecula volvebantur,* consulto positum esse crederem, ut Virgiliana *magnum Iovis incrementum, Phrygia agmina circumspexit.* sed obstat Ecl. v. 33. *nova pabula fastidire,* quo in versu nemo unquam, nisi ineptire velit, vim spondei singularem commonstrabit. Itaque Catonem censeo non magis quam Catullum singulare in versibus spondiacis quaesivisse artificium. Sunt apud Catullum in carmine epico spondiaci versus multi: legem versus spondiaci, caussamque, cur singulis locis spondiacum fecerit, reperio nullam, nisi hanc, quod amare spondeum videtur in nominibus propriis, peregrinis, graecis: *Aeetaeos*, *Amphitriten*, *Neptunine*, *Larissaea*, *Piraei*, *Minotauro.* deinde ut alii, etiam Graeci, cavet, ne supra modum frequentet spondiacum.

Paullo fructuosior erit de elisione disputatio. Eius maxime memorabilia apud Catonem exempla haec sunt, Dir. 7. 45. 65. 80. 82. 97. Ecl. 20. 66. et Dir. 98.

*libera avena.*
*impia agellos.*
*flumina amica.*
*advena arator.*
*crimina agelli.*
*Battare avena.*
*gaudia habetis.*
*ludere in herba.*

*Dulcia amara pr. f.*

Quae multis parum fore suavia suspicor. Veteribus aliter visum est, si fides Gellio VII. xx. cuius, postquam de Virgilii versu Georg. II. 224. *Talem dives arat Capua, et vicina VesevO Ora iugo*, quem canorum simul atque iucundum esse hiatum dicit, et de locis Homericis, Iliad. XXII. 151. 2. *προρέει εἴκυῖα χαλάζῃ, ἢ χιόνι ψυχρῇ, ἢ ἐξ ὕδατος κρυστάλλῳ*, et Odyss. XI. 595. *λᾶαν ἄνω ὤθεσκε ποτὶ λόφον*, disseruit, de Catulli, poetarum elegantissimi, versu XXVII. 4. *Ebriosa acina ebriosioris*, hoc praeceptum est: *quum dicere* ebrioso, *posset, et, quod erat usitatius*, acinum *in neutro genere appellare*; *amans tamen hiatus illius Homerici suavitatem*, ebriosa *dixit propter insequentis a litterae concentum.* Iam igitur cuinam horum fides habenda erit? Gellio? Est sane locuples testis Gellius, quem illud ab alio quodam antiquiore accepisse, aut, si ipse observationem fecerit, nihil docuisse, quod linguae latinae ingenio poetarumque consuetudini repugnet, probabile sit. An illo confidemus sensu, quem contrarium praecepto esse Gellii dixi? Ego hiatum, vel, ut nos nunc dicere consuevimus, elisionem, qualis est *Ebriosa acina*, per se non molestam, sed etiam suavem veteribus poetis fuisse latinis, credo Gellio. Ut omnino errant, qui excusationem elisioni ab necessitate metrica petendam, et in laude lucroque hoc positum fuisse, defugere elisionem, existimant. Rectius, ut unum de antiquioribus commemorem, Ioannes Iovianus Pontanus in dialogo, cui Actius nomen est, singulare poetas artificium posuisse in elisione, vel, ut ille dicere solet, explosione, recte suisque locis adhibenda statuit. Recte idem ab elisione, sive explosione, complosionem, quam dicit, distinguit, qualis est *Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae, Dardanio Anchisae*, qua ille Latinos vix delectari, nisi in iis quae a Graecis sunt accepta, animadvertit; et hiatum inter duo versus, qualis est *vicina VesevO Ora iugo.* Quae omnia Gellius l. l. miscet parum accurate. Etsi hoc ista quoque exempla probant, non nimis pertimuisse concursum vocalium poetas latinos. Caeterum non approbo omnia Pontani, qui in declarando elisionis artificio hic illic subtilius agit, et dum in uno fere Virgilio haeret, temporum non observat diversitatem. Illud enim quaeritur, quid hac in re ab antiquioribus poetis differant recentiores, inde a Virgilio: nam temperantiores in usu elisionis recentiores, etiam Virgilium, esse, quam fuere veteres, certa, puto, res est. Et eorum quidem exemplorum, quae e Catone posui, priora octo ita comparata sunt, ut negem recentioris scholae poetam elisiones eiusmodi tanto numero admissurum fuisse in tam brevi carmine. Verum id non in elisione positum est, sed in eo, quod ibi elisio facta extremo versu. Disputo haec ex usu poetarum. Evolvat aliquis Lucretium: multis locis elisionem inveniet in ea versus sede. Veluti in

libro IV. inde a versu 1041. usque ad v. 1273. exempla numero undecim. Apponam locos, ubi fit elisio ante voc. *amoris, amare,* quos quidem annotatos habeo: I. 20. *pectora amorem.* 35. *volnere amoris.* IV. 1041. *saucia amore.* 1047. *corpore amorem.* 1056. *pabula amoris.* 1189. *decurrere amoris.* 1273. *muliercula ametur.* V. 960. *corpora amantum.* Apud Catullum in carmine epico, aliisque carminibus, exempla, si brevitatem reputes carminum, satis multa. In Ciri, si recte numeravi, sex: non annumero versum 11. ubi retinenda scriptura vulgata *deponere morem.* Etsi non ineptum alterum: *deponere amorem.* cui prorsus responderet Catull. LXXVI. 13. *deponere amorem.* In versu Ciris 303. egregiam virorum doctorum emendationem, *numina Aphaeae* comprobavi supra, Diss. II. p. 273. Praeterea in Ciri ter *mea alumna* legitur in medio versu, 311. 324. 338. *praemia alumnis* in Elegia ad Messal. 39. Quid Virgilius, in illo Aeneidos opere, quod etiamsi absolutum non sit, idoneam tamen normam legum, quas poeta sibi habuerit propositas, metricarum praebet? Perlegi libros Aeneidos quatuor priores, et duodecimum: unde quae didici, haec sunt. Litterarum *a a* collisionem non fugit, sed habet satis frequentem in certis versus heroici locis: nusquam autem saepius, quam ubi transitum ex pede quarto ad pedem quintum facit, sic: *capita ālta ferentis,* bis; *decora ālta futuris,* et *decora alta parentum*; *Troia arserit igni.* Cf. I. 189. 429. II. 96. 353. 371. 448. 528. 581. III. 86. 665. 678. IV. 93. 246. 343. XII. 44. 597. 683. 892. 929. Quo in loco etiam alia saepe elidit, ut *longo ordine matres* II. 766. *uno ore Latinos* XII. 837. *illi agmine certo* II. 212. *si aspera Martis* XII. 124. *astra ignea surgunt* IV. 352. *arma inpia sumpsi* XII. 31. *regna ipsa Latini* XII. 567. *arma ulla rebelles* XII. 185. *rapida ungula rores* XII. 339. *maria omnia circum* I. 32. *maria omnia vecti* I. 524. *opera omnia lustras* IV. 607. *vincla omnia rupi* XII. 30. *opera omnia rumpit* XII. 699. Aliquoties etiam in medio pede quarto, sic: *prora avertit, et undis.* Cf. I. 104. 185. II. 193. 550. III. 544. IV. 312. XII. 438. 536. 719. Qui locus et ipse aliis elisionibus aptus est, e. g. ut elisio fiat in praepositione *a*: I. 235. II. 290. IV. 230. 656. aut in praepositione *in*: II. 242. 285. XII. 103. 104. 221. 292. 716. 735. 780. 812. Ad priores pedes non attendi animum. In medio pede quinto non tam multa, neque tam inter se vicina elisionis exempla habet, quam vidimus apud Lucretium: in libro I. undecim, v. 99. 177. 403. 405. 485. 569. 574. 599. 640. 651. 721. in libro II. novem, in libro III. septem, inter quae annumero v. 581. *intremere omnem*; in libro IV. duodecim; in libro XII. novem, ubi annumero durum illud *hoc animo hauri,* v. 26. Numeravi omnia: insunt, de quo

paullo post dicetur, nonnulla, quorum ea conditio est, ut eximi posse ex numero videantur. Eiusmodi vero exempla, quae cum Catonianis et Lucretianis *libera avena, pectora amorem* etc. comparari possint, in quinque Virgilii libris duo exstant, IV. 322. *sidera adibam* XII. 741. *fragmina arena.* Vel potius unum: nam posteriore loco *fragmen* restituendum haud dubie. *resplendent fragmina* editi maxime libri, ut videtur: etiam Mutinensis, et Veneta Rubei, in qua *fragina* vitiose; Veneta Maittairii cum multis aut plurimis libris scriptis, *resplendet fragmen.* Ovidius, cuius quatuor perlegi Metamorphoseon libros priores, et decimum quintum, minore etiam numero, quam Virgilius, elisiones in medio pede quinto habet: in libro I. octies, v. 8. 18. 222. 280. 314. 617. 757. 775. in libro II. sexies; in libro III. sexies; in libro IV. quater; in libro XV. octies. Collisionem autem vocalium *a a,* qualis est *sidera adibam,* in pede quinto nunquam admisit, his quidem in libris; semel eo loco, in quo saepe factam a Virgilio vidimus, inter pedem quartum et quintum, Metam. XV. 763. *coniurata arma moveri*: cf. lib. V. 150. *coniurata undique pugnant* et IV. 403. *collucere ignibus aedes*: quae tria sunt praeter consuetudinem Ovidii dura. Omnino utitur quidem elisione Ovidius in hac posteriore versus parte, sed multo parcius, quam Virgilius. In medio pede quarto, bis, si recte observavi, collidit vocales *a a,* III. 585. *non ulla armenta reliquit.* XV. 363. *parva animalia verti.* Cf. XV. 145. *reserabo oracula mentis.* Quod exempla maxime eiusmodi circumspexi, in quibus collisio esset vocalium *a a,* propter Catonem Lucretiumque feci, quos multa habere talia observavimus. Sed omnino tenendum est admodum raro fieri, apud Virgilium et Ovidium, in quinto quidem pede, ut eadem vocalis elidatur in camdem. Nusquam, in illis libris quos perlegi, *o* in *o,* aut *u* in *u* eliditur in quinto pede. Semel *i* in *i,* Aen. I. 99. Aliquoties *e* in *e.* Quos locos indicabo: Aen. II. 210. III. 418. 564. IV. 11. 373. Ovid. Metam. I. 8. 757. XV. 259. Quorum magnae parti excusationem puto adhibendam eam, de qua mox dicetur. Igitur ut colligam, quae particulatim disputavimus, monstratum est satis probabiliter, nonnihil differre in elisionis sive usu sive licentia inter Virgilium et poetas veteres, et plus etiam inter hos et Ovidium. Temperantior aliquanto Virgilius, qui parcit elisioni in pede quinto; multo severior, Ovidius, qui quum elisione in universum parce utatur, elisione ea, quae fit in vocalibus iisdem, utitur parcissime. Caussam sive temperantiae sive severitatis hanc fuisse arbitror, quod illi, quum sentirent in extrema maxime versus parte iucundum esse, si leniter atque non impediti defluant numeri, removere atque excludere ab ea parte voluere, quod morari vocem pronunciantis posset. Sic Virgilius *Monstrum horrendum,*

*informe, ingens,* dixit, cumulatis consulto elisionibus; extremum versum leniter defluere iubet: *cui lumen ademtum*, sine elisionis mora. Quamquam si, sententia illata alia, ita scribere Virgilio placuisset: *Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumine ademto* etc. vel etiam, *cui lumina ademta*, ne hoc quidem quisquam merito reprehenderet. Omnino, dum reputo omnia, non idoneam temperantiae suae caussam habuisse Virgilium Ovidiumque censeo, ac vereor, ne iusto severiores fuerint, maxime Ovidius. Si enim verum est, ut videtur verum esse, quod Gellius tradit tam diserte, suavem homini Romano elisionem fuisse, qualis est apud Catullum *ebriosa acina*, non intelligitur, quomodo ea molesta videri cuiquam in pede versus heroici quinto potuerit, aut cur ea tam pudenter et raro usus sit Ovidius. Nisi, quod parum credibile, magna quaedam Augusti aetate pronunciationem latinam mutatio ac perturbatio invaserit, ut qui soni paullo ante poetis placuissent veteribus, et non multo post rursus placuere Gellii aetate, displicuerint aequalibus Virgilii atque Ovidii. Non diffiteor tamen, si forte poetae recentiores nimis anxie versati esse in elisione videantur, veteres poetas posse interdum nimis elisionis cupidos videri. Scilicet, ut omne nimium nocet, displicet, lectoremque fatigat, quum saepe eodem loco cernitur elisio, maxime quum is locus conspicuus est, et facile incurrit in oculos, ut est pes quintus versus hexametri. Catonis exempla illa utrum, ut verbis utar Gellii, navata sint, an fortuita, incertum relinquo. Restat ut elisionis, quae fit in pede quinto, conditiones ac leges nonnullas Virgilianas Ovidianasque, quas quidem observare mihi visus sum, indicem. Ac primo a particulis *que, neque, atque*, lenissimum et vix observabilem fuisse in vocalem insequentem transitum coniicio: vix ut numerari talia inter exempla elisionis debeant. Sunt autem inter ea, quae supra enumeravi, multa eiusmodi. Saepe Ovidius *que* particula ad elisionem utitur, etiam in aliis versus hexametri locis: ut in extremo pede quarto, 1. 3. 24. 33. 101. 139. alibi. Eadem fortasse ratio particulae *et,* ut facile vocalem praecedentem receperit. Pars eorum locorum, in quibus *que* eliditur, etiam aliam excusationem habet hanc, quod fit elisio inter syllabam dactyli longam et priorem brevem, hoc modo: *inconcessosque hymenaeos*. *Lacedaemoniosque hymenaeos*. *pactosque hymenaeos*. Quae mihi valde lenis atque commoda elisio videtur: ut mirer ea non saepius usos esse Virgilium et Ovidium. Sed fortasse timuerunt, ne iusto saepius in ionicum desineret versus. Annotavi praeter ea, ubi elisio fit in *que, atque*, haec: Aen. I. 405. *ille ubi matrem*. III. 614. *genitore Adamasto*. XII. 805. *miscere hymenaeos*. Metam. I. 757. *ille ego liber*. Quae inter duas breves dactyli syllabas elisiones fiunt, in duo dividuntur genera. Unum tale:

*vertice odorem*, *discrimine aperto*; alterum: *pectore ab imo*, *corpore in uno.* Denique in ipso transitu ex pede quinto in sextum raro eliditur, atque est inter pauca exempla unum alterumve, quod paullo durius, sed fortasse quaesita duritie, dixeris: Aen. I. 99. *Hector, ubi ingens.* III. 581. *intremere omnem.* XII. 26. *hoc animo hauri.* Metam. III. 572. *Bacchus ubi esset.* At *sine* particulae hoc fere usitatum domicilium est: Aen. II. 544. *sine ictu* Metam. IV. 103. *sine ipsa.* XV. 214. *sine ulla.* XV. 296. *sine ullis.* Et in particula *sine* cur id fiat, facile divinari potest. Magis mirum, quod in voc. *vertice* quasi sollemnis est elisio: Aen. I. 403. IV. 445. Catull. Eleg. ad Manl. 107. Ciris v. 34. et in *gurgite*: Aen. III. 564. Metam. IV. 560. XV. 714. Ciris v. 60. Sed hoc casu factum arbitror. Et casu factum, quod in *adire* eliditur aliquoties: Virg. Aen. IV. 322. de quo loco supra monitum; Tibull. I. v, 39. *gaudia adirem.* Cf. Eleg. ad Messal. in Catalectis Virg. v. 52. 62.

Paene omiseram Horatium, III. xxvii, 10. *Imbrium divina avis inminentum,* et III. i, 31. *Culpante*, *nunc torrentia agros.* quas in Horatio quidem minus elegantes esse elisiones observat Hermannus Elem. p. 685. 693. et quidem duabus, ut puto, de caussis, loco, et natura vocalium.

Quem mature animadverteram in sono lusum,

*vobis mea Lydia ludit,*

Ecl. 4. ansa mihi fuit longioris disputationis de *allitteratione* sermonis latini instituendae, quam disputationem Museo Rhenano inserui. In ea de hoc loco, et de simili Plauti allitteratione, *Lyde ludo*, p. 350. sq. dictum est, et de homoeoteleutis Catonis, p. 388. Sed hic quoque, quae apud Catonem sunt, colligam omnia, quum tot sint numero exempla, ut placuisse Catoni hanc soni similitudinem haud iniuria statuas. Dir. 20. 1.

*Haec Veneris vario florentia serta decore,*
*Purpureo campos quae pingunt verna colore.*

Ecl. 9.

*O fortunati nimium, multumque beati.*

et 41.

*Luna tuus tecum est: cur non est et mea mecum.*

et 26.

*tauro Iove digna, vel auro.*

etsi ibi *tauro* non est in medio versu. Neque hoc negligendum, observatum Arnoldo, Dir. 13.

*Ipsae non silvae frondes, non flumina montes.*

Nunc pauca supersunt de poesi Catonis generatim dicenda: quatenus quidem iudicium de ea ferri ex his duobus carminibus, *Diris* et *Ecloga*, licet.

Sermo in utroque carmine idem, versus idem. Et sane mirum foret, si Catonis ingenium eo temporis spatio, quod inter Eclogam et Diras intercessisse diximus, ab sua simplicitate deflexisset. Quodsi cui magis maturum carmen *Dirae*, magis virile, quam alterum videatur, ut fateor videri mihi, videndum est, an id argumentum Dirarum ita ferat, valde illud diversum ab argumento Eclogae, quae tota amatoria.

In *Ecloga* hoc observandum ac perpendendum, quod versibus scripta est hexametris. Unde persuasum mihi est, etiam reliqua carmina *Lydiae* libri eodem metro fuisse. Inepta est opinatio, iam supra a nobis Diss. II. extr. explosa, Catonem fortasse etiam lyrico carmine celebravisse Lydiam. At hoc aliquis quaerat, quum et Eclogae nostrae, et reliquorum in Lydia carminum molle atque amatorium argumentum fuerit: cur non elegis. Responsio facilis, atque in promptu. Nondum inventa erat Catonis aetate Elegia Latina. Primum Elegiae inter Romanos auctorem et ego semper suspicatus sum, et Santenius ad Terentianum M. p. 286. verbo monet, Catullum fuisse. Id duobus comprobatur argumentis, quorum prius historicum. Nullus in historia litterarum latinarum invenitur antiquior Catullo elegorum scriptor: nam Epigrammata, elegiacis versibus scripta, ut Ennii, recte ab hac quaestione excludit Santenius. Alterum argumentum, in quo non minus ponderis, e contemplatione ipsius elegiae Catullianae petendum. Sunt praeter Comam Berenices, quae non propria est Catulli, et praeter carmen ad Ianuam, quod epigrammaticum magis, quam elegiacum, duae tantum Catulli elegiae, ad Ortalum, ad Manlium; ex Epigrammatis ad elegiae longitudinem accedit, quod vulgo est LXXVI. *Si qua recordanti* etc. Non multum momenti in eo ponam, quod tam paucae sint: etsi hoc quoque non male aliquis ad hanc disputationem nostram adhibuerit. At Catullum, poetam ingeniosissimum, qui acceptos ab antiquioribus poetis latinis iambum et hendecasyllabum ita excoluit, nihil ut elegantius ac rotundius cogitari queat; qui alia metra, parvis apta carminibus, primus, ut Diss. I. p. 230. probabiliter conieci, in Latium intulit, tractavitque felicissime ac peritissime: si in Elegia alios auctores latinos et bona exempla latina ante oculos habuisset, aliquanto magis peritum magisque exercitatum hoc in genere, quam nunc est, videremus. Nam de Elegia ad Manlium sentio quidem cum Mureto: pulcherrimam esse, et fortasse nullam in omni Latina lingua pulchriorem reperiri: verum sentio ita, quia poetae, in quo sic simplicitas antiqua cum propria venustate coniuncta est, ut est apud Catullum, etiam minus absoluta opera

saepe placent prae multis aliorum elegantissimis operibus: perfectionem peritiamque artificis summam, qualis in iambis atque hendecasyllabis Catulli cernitur, desidero; ac plane mihi videor poetam audire praeclarum, sed hoc in genere novitium. Disputavi nonnulla huc pertinentia Diss. I. p. 232. Sane magnae molis erat, Elegiam Latinam condere. Elegiam qui scripserit ante Catullum, ut dixi, nemo reperitur. Habemus catalogos poetarum, qui carmina scripserunt amatoria, duos antiquissimos: unum Propertii II. xxxiv. extr. alterum Ovidii Trist. II. 427. seqq. Nullus inest, quem elegias scripsisse constet, antiquior Catullo. Sed ponemus nomina nonnulla, etiam aliunde nota. Epigrammata Ennii versibus elegiacis scripta iam commemoravit Santenius l. l. Deinde valde memorabilis res esset, si verum esset, quod in Stephanorum Fragmentis Poetarum veterum Latinorum p. 258. legitur, pentametrum scripsisse Pacuvium. Mirus error, et ex quo discas caute utendum esse collectione illa. Nempe hunc volunt pentametrum esse: *Nunc primum opacat flore lanugo genas.* Cf. Scaliger in Festum v. *genas*, et Pacuvii Fragm. ap. Scriverium p. 81. De *Pompilio* doceri velim, unde Scaliger in Varron. p. 190. HSt. didicerit, quod scribit: *Scripsit enim epigrammatia et elegidia poeta ille.* Qui apud Varronem p. 80. HSt. (p. 370. ed. Spengel.) legitur versus Pompilii, *Heu qua me caussa fortuna infesta premis,* coniectura demum Scaligeri hexameter factus est heroicus: *Eheu qua causa fortuna infesta premis me.* Verum ut hoc ita sit, nihil inde sequitur, nisi hoc, hexametros scripsisse Pompilium, vel epigrammata. Hexametros et elegiacis versibus epigrammata scripsit etiam M. Terentius Varro. Id miror negare Franciscum Wüllnerum De Varrone Atac. p. 7. et 25. Miror autem propterea, quod singularem caussam habuisse, cur negaret, virum prudentem ac diligentem probabile est. Quam ego non assequor. Exstant M. Terentii Varronis hexametri et versus elegiaci satis multi, partim in Anthologiam Latinam recepti a Burmanno, partim alii, quos non invenio apud Burmannum, ut apud Nonium p. 503. 30. Varr. Fragm. ed. Bipont. p. 268. 9. apud Nonium p. 272. 4. Varr. Fragm. p. 275. Hermann. Elem. D. M. p. 347. apud Nonium p. 264. 20. p. 392. 4. Varr. Fragm. p. 276. Qui omnes et Varroni tribuuntur a Nonio, additis Satirarum, quibus inserti fuere, nominibus, et manifesto sunt hexametri aut elegiaci, et dignam Varrone dictionem prosodiamque habent.

Metro heroico etiam *Indignatio* scripta fuit haud dubie, et *Dictynna.*

Subiiciam nonnulla virorum doctorum de Catone iudicia. Priora eius temporis, quod Virgilio tribuebat haec carmina.

Ioannes Andreas, Episcopus Aleriensis, postquam de Culice dixit Virgilii: *At in Diris hoc est in execrabilis voti cantilena Maro minus quidem videtur compeditus non eousque tamen explicitus*: *ut poetico ad plenum censeas adipe saginatum.* Non male. Sentiebat stilum minus iuvenilem, magis sibi constantem, quam est in Culice, at ab elegantia Virgiliana alienum.

I. C. Scaliger Poet. I. LIII. *Tale apud Virgilium ad Battarum. cuius votum omne in malis, monstris, morbis, suppliciis, exiliis, interitu.* et V. XIII. *Maronianae quoque rudimenta musae sunt in carmine ad Battarum*: *quae politiore iudicio redegit ad pauca in Bucolicis sub Damonis persona.* et VI. VII. ubi de Aetna, *Nam Maronis non esse maximum est argumentum, quod nusquam ei similis est*: *id quod in Diris, et in Ciri plane animadvertimus.* Quae sit Dirarum et Virgilii similitudo, non assequor. Fortasse cogitabat de locis nonnullis Eclogarum, primae, nonae, et de versibus Damonis, Eclog. VIII. 52. sqq.

Iosephus Scaliger: *Sed quis sanus unquam hoc poema attribuat Virgilio, etiam si non constaret de nomine auctoris? Hoc dico, non quod malus fuerit poeta Val. Cato (Dii melius) sed quod dissimilis Virgilio. Bonum enim poetam fuisse qui mihi non credet, audiat de eo elogium tale Furii Bibaculi*: et paullo post: *Quae quidem quanvis egregia sint et luculenta, tamen eorum nitori maxime officiunt menda*, etc.

H. Columna loco, quem Diss. I. p. 249. protulimus: *egregium illud poemation.* Et sic D. Salvagnius Boess. in Ovid. Ibin Proleg. cap. II.

Acidalius in Vellei. II. LXIX. p. 1007. ed. Ruhnk. *Obscurus auctor*, *Diris*: Et casti fontes, et felix nomen agelli. *Quo et ipso in carmine, etsi non satis eleganti, istos versus tamen per caussam hic emendabo.* etc. Cur obscurum dicat, carmen cur non satis elegans, non addit. Catonem tamen auctorem agnoscit in Divinationibus Plautinis.

Wakefieldius ad Lucret. I. 231. p. 52. *Cato in Diris, cultissimo poemate.* et sic alibi cum laude memorat versus Catonis, ad Lucret. III. 854. p. 132. VI. 220. p. 264.

# IV.

# RECENSIO LIBRORUM.

Ex quo severior Catoni adhibita critica est, communis virorum doctorum opinio fuit, quam nunc disertis enunciaverunt verbis, nunc ita se opinari violentissimis coniecturis comprobant, vehementer corruptum ad nos pervenisse Catonem. Ab ea ego mirum quantum dissentio, qui multum mihi laudis commendationemque laboris mei in eo ponam, quod fere nihil contra libros mutaverim. Non quod hanc per se laudem esse existimem, nihil mutare contra libros, sed quum isti coniectandi atque emendandi licentiae ansam dederit dicendi genus Catonianum, et sententiarum, quae in hoc poeta cernitur, difficultas, ego aliquid effecisse haud contemnendum mihi videor explicando atque interpretando. Et illis quidem, qui Catonem ex corruptis exemplis norant unice, non ex libris antiquioribus ac melioribus, vehementer corruptum visum esse Catonem, non mirum. Ut interpreti, si hunc interpretem dicere liceat, cuius glossae in exemplari nostro Venetae Iensoni exstant: qui ad initium Dirarum adscripsit: *battarus non est plene emendata.* Scaliger, quippe, ut ipse ait, ope bonorum codicum destitutus, nonnulla perbene atque, ut decebat, leniter emendavit, alia praeteriit, alia non sine magna violentia restituenda esse statuit. At modestus tamen Scaliger prae Heinsio, aliis, sed maxime Heinsio, cuius in Catone emendandi audaciam, quam multis comprobatam exemplis vidimus, minus mirabitur, qui illa legerit ab eodem Heinsio scripta Epist. ad Christoph. Arnoldum T. V. Syll. Burm. p. 344. *In omni antiquitate nihil fere exstat magis depravatum librariorum culpa Catonis tui Diris, nec codices manu exarati, quos complures vidi pervetustos, multum iuvant. Loca tamen nonnulla ductus coniectura videor persanasse.* Cf. idem Epist. ad Chr. Daumium ibid. p. 214. ad Th. Munckerum p. 400. ad Oct. Falconerium p. 551. denique ad Iac. Gronovium, ap. Burmann. Epist. ad Hoppium p. LIV. Mihi vero plane non probabile erat, tam immanem

in modum peccatum esse in his carminibus librariorum culpa, quum earum rerum, quibus gravius corrumpi libri solent, dum exemplaria multiplicantur ad numerum infinitum, dum librarii semidocti non recte intellecta male corrigunt, nihil admodum in Catonem et reliqua carmina eius collectionis cadat. Immo diu ac saepe intacta iacuit haec collectio, quum auctoritate praevalerent illa magna Virgilii opera; raro legebatur, Cato maxime, ut puto, propter singularem difficultatem: quam in rem illud observasse operae pretium erit, inter tot libros scriptos, quorum mentionem feci, nullum, quod sciam, glossas additas Diris habere, praeter unum Mediceum Plut. XXXIII. Cod. xxxi. At quanta solet esse tam in libris scriptis quam in editis vetustis ad maiora Virgilii opera glossarum annotationumque manu scriptarum multitudo. Deinde quum non multum legeretur, raro descripta est haec collectio: eam dico de qua Diss. I. disputavi, Iuvenalis Ludi Libellum. Nam singula carmina ex ea collectione, ut Copa et Moretum, saepe scripta sunt, atque multis locis variisque codicibus inserta inveniuntur: neque mirum, quum ea carmina et brevia essent, et multum primo statim adspectu leporis haberent. Quod in editione Lovaniensi leguntur Copa, Est et non, de institutione boni viri, de rosis, Moretum, exclusis poematis aliis, aut librarii consilio, qui ea tantum scribere, aut editoris tribuo, qui ea tantum excerpere ex codice suo voluit, quae et brevia essent, et amoena, ut Copa, Rosae, Moretum, aut ad morum doctrinam utilia, ut Est et non, Vir bonus. In quo Dirae seorsum positae sint, absque aliis Virgilianis poematis, unum codicem memini, Mediceum, qui collatus est apud Burmannum. At integram qui praebeant collectionem, in Bibliothecis plerumque unum, vel duo, vel quatuor codices invenias inter decem, vel viginti, vel quadraginta codices Virgilianos. Id iam Heinsius conquerebatur, Syll. Epist. Burm. T. IV. p. 148. T. V. p. 218. et aliis locis, quos paullo ante indicavi. Itaque Catonis carmina, et quae sunt alia in hac collectione, non supra modum, non praeter solitum, corrupta fuisse arbitror. Etsi aliquot esse etiam in bonis libris satis mira inveterata menda minime nego. Antiqua est bonorum codicum, Augustani, Petaviani, Thuanei, et libri ms. apud Lindenbruchium in exemplari Guelpherb. ed. Scal. 1595. in Culice perturbatio, inter versum 26. *Sancte puer tibi namque canit non pagina bellum* et versum 27. *Phlegra Giganteo* etc. versum hunc ponentium: *Triste Iovis ponitque canit non pagina bellum.* et sic putem in membrana Contii apud Scaligerum fuisse; in Voss. membr. 81. nihil eiusmodi, sed excipiunt se versus 26. et 27. ut vulgo. Ibi igitur vix aliud quam excidisse partem versus huius *Triste Iovis ponitque* posteriorem coniicias, aberrantibus librariorum oculis ad versum qui praecedebat. Cf. supra Diss. III.

p. 293. Alia in Diris v. 41. Parisini IV. confusio est, bis ponentis eumdem versum, diversis locis, ac diverso modo conceptum: unde colligas aut duo inter se diversa exemplaria ante oculos fuisse librario isti, aut unum exemplar, in quo librarius eumdem versum consulto bis posuisset continuo, primo corruptum, deinde emendatum atque genuinum. Interpolationis quae proprie dicitur, h. e. correctionis ex ingenio et de industria factae, apud Catonem nulla certa vestigia repperi, aut pauca, in libris antiquioribus, praeterquam in codicibus Monac. I. et Vratisl. I. Culicis emendationes nonnullas olim factas deprehendere mihi in Vossiano 81. visus sum, Diss. III. p. 291. p. 297. Cf. quae de codice Helmstadiensi dicturus sum. Neque ille codex, ex quo primum edita sunt Romae Opuscula, Culex, Dirae, prorsus expers huius labis fuit. Certe *remeantibus* Dir. 69. hanc speciem habet, ut interpolatum esse dicas ex eo, quod in scriptis nostris est omnibus, *rimantibus*. add. quae in Culicis v. 385. et v. 118. monui Diss. III. p. 299. et p. 303. et de Cul. 369. 70. ibid. p. 293. Nisi quis quae his locis Romanae, et derivatae e Romanis aliae, ab optimorum librorum scriptorum auctoritate deflectentia habent, omnia excogitata ab Episcopo Aleriensi esse contenderit. Post haec nemo quaeret, quid de interpolatione insolenti illa, quam Heynius sibi in Culice animadvertisse visus est, sentiam. Aliam rem esse in Ciri, Catalectis, Aetna, dicas, quae non fuerunt Iuvenalis Ludi Libello, qualem e codicibus novimus, comprehensa. In Ciri sane, ut fatear quod verum est, caecutio multis locis. Sed fortasse etiam in Ciri, si codex ille Vratislaviensis tam bonus sit, quam videtur esse, vel si melior eo alius inventus fuerit, reliqua lenioribus, quam nunc putet aliquis, emendationibus peragentur.

De mutationibus, quae factae sunt in carminibus Catonis, postquam ea divulgare recens inventa ars typographica coepit, brevis narratio haec esto.

Qua primum forma Dirae, nam utar brevitatis caussa hac appellatione, qua etiam Eclogam complector, in Romana I. atque hinc, paucis mutatis, in Romana II. prodierunt, e codice non admodum bono, ea, si unam editionem, vel unam librorum editorum classem exceperis, diu intacta mansit, vel si non intacta, tamen ita sibi similis mansit, ut eadem dici debeat. Romanae illae fons atque fundamentum fuere editionis, quae insequuta est, Mutinensi genere excepto, omnis ante Aldinam 1517. Mutinense genus quum dico, Mutinensem 1475. cum ea, ex qua expressa est Mutinensis, intelligo: quae in uno certe, eoque bono libro scripto, si non in pluribus, innititur, etsi qui ille fuerit, ignoratur. Hoc igitur genere excepto, in tanto temporis spatio, quod inter Romanas principes et Al-

dinam 1517. intercessit, nullum equidem editorem repperi, qui librum veterem manu scriptum adhibuisse ad Diras putandus sit. Documentum esto, virtutisque κριτήριον, versus Dirarum 102. quem quum omisissent Romanae, omittunt post Romanas reliquae, quas vidi, ante Aldinam 1517. omnes, sed restitutum habet Mutinensis. Hinc appellatio *vulgatae* pendet, qua saepe usus sum. Vulgatam scripturam merito dicas eam, quae a Romanis usque ad Aldinam 1517. perduravit, excepta Mutinensi. Sed alibi vulgatam dicere licet, quicquid a Romanis usque ad Aldinam 1517. editum est, non exclusa Mutinensi. Non semper enim Mutinensi cum Aldina convenit; est ubi cum reliquis libris vulgatae scripturae conspirat Mutinensis contra Aldinam: Dir. 7. 28. 88. Rursus tertio modo vulgatam dicere scripturam licebit eam, quae inde a Veneta Rubei 1475. valuit. In tanto enim librorum, qui e Romanis fluxerunt, numero non diu intemerata mansit Romanarum scriptura, sed immutata est locis non paucis, ita ut iam satis inter se dissimiles sint Venetae Rubei 1475. Iensoni 1475. et principes illae Romanae. Dissimiles autem quum dico, dico in reprehensionem Venetarum istarum, in quibus nihil me novi, quod bonum sit, invenire memini. Ex Veneta Rubei aliae, et ex his aliae, expressae sunt, crescente vitiorum numero, neque in his quicquam invenias laudabile, nisi quando una vel altera, relicta Veneta Rubei, ad priscam Romanarum scripturam redit, ut Dir. 70. Norimbergensis 1492. et Argentinensis 1502. Dir. 131. eadem Argentinensis. Magis etiam memorabile, quod in Brixiensi 1485. Mediolanensi 1501. et Virgilio Aldi *furti* est, Dir. 166. Critici partes qui egerit hac aetate, unum alterumque; qui libros veteres scriptos contulerit, repperi nullum. Quod in Norimb. 1492. Argent. 1502. *pastos* legitur Dir. 52. etsi invenitur in libris scriptis, tamen non ex libro scripto venisse in Norimbergensem et Argentinensem, sed coniecturam esse Domitii Calderini suspicor. Deinde huc pertinet glossator, quem dico, Venetae Iensoni. Denique e coniectura nonnulla Iod. Badius Ascensius, alia Aldus ea editione, quam Virgilium Aldi appello, mutavere: quae tamen omnia non sunt tanti, ut nova inde classis sive aetas numerari possit. Sed novam classem constituit Aldina 1517. quam postea sequuta est Aldina 1534. Est autem haec perquam memorabilis editio, ad quam adhibitos esse codices manu scriptos, vel unum maxime codicem manu scriptum, certum est. Quamquam, ne quis nimium credat Aldinae, tenenda sunt, quae infra dicturus sum in descriptione huius editionis, et quae statim de codice Bembino. Hic illud observari velim, quum saepe Mutinensis ita adiuvet atque confirmet scripturam Aldinarum 1517. et 1534. ut e codicibus prorsus inter se similibus, vel geminis iisque optimis, fluxisse Mutinensis et Aldina videantur, alibi, et locis satis multis, differre

a Mutinensi Aldinam, dum illa cum libris, quos dixi, vulgatae scripturae facit, Aldina vero aut cum libris scriptis aliunde notis consentit, aut sua sibi propria habet. Et his quidem in locis, ubi Aldina scriptura neque idoneam a consensu editionis Mutinensis, aut a libris scriptis aliunde notis commendationem habet, neque sua virtute atque praestantia excellit, de Aldina securus, ut decebat criticum, illud amplexus sum, quod per se esset optimum, et aliorum librorum auctoritate comprobaretur. Cuiusmodi loci sunt Dir. 8. 28. 35. 78. 88. Post Aldinas fluctuationem quamdam editorum, mixtamque ex vulgata et Aldina scripturam cernimus, sed variis modis, dum unus ad scripturam Aldinam accedit pressius, alter saepius ad vulgatam redit. Et quidem non semper ad eam, quam proprie vulgatam dixeris, qualis est Romanarum, et post Romanas proximarum, sed etiam ad eam, quae iam contaminata editorum mutationibus, correctionibus, vitiis. Ut Lugdunensi 1529. plura, etiam vitia, cum Ascensianis sunt communia; ut *relapsa* Dir. 79. *Candida* v. 171. ex Virgilio Aldi venit in editiones Aldinis posteriores non paucas. Habui autem atque contuli, ex hac aetate, quae inter Aldinas et Scaligerum intercedit, exemplaria, si infinitam Virgiliorum seriem, quam catalogus exhibet Heynii, compares, pauca, sed idoneum numerum. Ac fortasse alicui nimius videbitur numerus, nimia in conferendis exemplaribus sedulitas mea. Sed affectabam copiam aliquam, et ut quivis ipse classes sive familias distinguere exemplarium posset. Neque facile quicquam, quod novum sit, me praeterisse puto. Sunt enim post Aldinas novae mutationes nonnullae factae, et ab editoribus receptae, ut *Mittant* Dir. 23. *crebro* v. 41. *haec* et *en* v. 93. *Pana deum* et *nostis* v. 147. 148. *fuerat* v. 151. *praetereo* v. 152. *egon* v. 156. *primus* v. 162. *et* v. 181. aliae. Verum omnes e coniectura. Librum scriptum post Aldinas ante Heinsium ac Burmannum nemo, neque Scaliger, neque alius quisquam eorum quidem, qui nobis innotuerunt, adhibuit. Nos vero non solum de codicibus Heinsii Burmannique certiora, quam ipse Burmannus, sed etiam prorsus nova ex aliis codicibus habemus.

Atque his meis libris sum etiam ad orthographiam constituendam usus, sed modice. Qua de re semel dicam hoc loco, ne, si forte alicui nunc vetustatis supra modum amator, nunc consuetudinis vulgatae nimium tenax visus fuerim, inconsiderata haec fuisse inconstantia videatur. Igitur non hoc mihi propositum habui, ut orthographiam Catonis totam ad normam saeculi Augusti dirigerem; multo minus, ut ad eam, quam Catoni ante oculos fuisse, illa haud dubie aliquanto simpliciorem, probabile est. Non quod negem multa posse de antiqua orthographia illa probabiliter atque utiliter disputari: sed quum nullum haberem li-

brum tam antiquum, vel tam accurate scriptum, ut antiquum scribendi morem constanter servasse videretur, facile quemvis ipsum conciliaturum inter se repugnantia, ex certis iudicium de iis, quae minus certa, facturum, et aequabilitatem orthographiae ex sua coniectura esse probabili modo restituturum putavi: ipse mediam quamdam viam ingressus, eas tantum vetustatis reliquias, quas meliores libri mei offerebant, atque iis fere in locis, ubi offerebant libri, recepi atque conservavi.

---

Codicum manu scriptorum, qui ad Catonem adhibiti sunt, primus, h. e. primus, de quo aliquid constat, est

## *Bembinus.*

Nam ex quo primum codice editae Dirae fuerint, et qui codices postea adhibiti fuerint, ut fuisse proximo tempore adhibitos videbimus, ignoratur. De Bembino autem partim ipsius Petri Bembi testimonio, partim ex Aldinis a. 1517. et 1534. constat, etsi de Aldinis quidem lubricum esse iudicium monebitur. Exstat P. Bembi ad Herculem Strotium de Virgilii Culice et Terentii fabulis liber, primum editus, Heynio testante, Venetiis apud fratres Sabbios 1530. Non vidi hanc editionem, sed eodem tempore locoque etiam alia Bembi opuscula, quae posterioribus Operum Bembi latinorum editionibus, ut Argentoratensi a. 1609. continentur, de Imitatione libellum, et de Aetna dialogum, edita esse, colligo ex Bembi Epistola ad Laz. Baifium p. 592. editionis, quam dixi, Argentorat. Deinde non solum de Imitatione et de Aetna libelli multo tempore ante annum 1530. scripti, vel etiam editi, fuerunt, qua de re cf. epistola illa ad Baifium, et aliae, pag. 420. 430. 654. et 555. ed. Argent. sed etiam, quod a nemine observatum video, de Culice librum coeptum iam anno 1506. et absolutum a Bembo haud dubie non multo post eum annum fuisse, epistola Bembi ad Io. Baptistam Pium p. 513. probatur. Eo libro, cui formam dialogi fecit, inter Pomponium Laetum et Hermolaum Barbarum, auscultante Phaedro Volaterrano, habiti, ita codicem illum suum describit Bembus: *perantiquum,* sed *truncum mutilatumque* esse, *quippe cui praeter iuvenilis ludi libellum, et illos. Bucolicorum sermones decem, et Georgicorum primi libri partem, nihil omnino superest.* Illo *iuvenilis ludi libro* continebantur haec: *Culex, Dirae, Copa, Est non est, Vir bonus, Moretum, Rosae.*

Iam huius codicis ope Bembus, sub persona Pomponii Laeti, locos aliquot Bucolicorum, Rosarum, Copae, Dirarum, Culicem vero totum a capite usq. ad finem emendat. Verum hic statim quaestio ac dubitatio obiicitur, quid harum emendationum ex codice illo scripto haustum, quid ex coniectura natum Petri Bembi sit. Non dubito de his, quae Bembus ex libro illo suo perveteri a se proferri diserte testatur. At omnia se ex libro illo emendasse neque Bembus dicit ipse, et sunt inter emendationes istas nonnullae, quas factas esse ex ingenio, non petitas ex libro scripto, per se probabile est; ut ipse Bembus quod in Culice v. 406. reponit, *picris*, suam esse emendationem fatetur. Crescit dubitatio, quum Aldinas consideramus, ad quas librum illum veterem Bembinum adhibitum esse infra narrabitur. Etenim Aldus, quum ex Bembi de Culice dialogo, quem mature communicatum esse cum amicis et familiaribus, antequam ederetur, credibile est, comperisset bonum ac veterem librum scriptum Virgilianum esse apud Bembum, aut quum eum librum ipse apud Bembum, cui amicus erat, vidisset, statim sperare coeperat se nacturum librum illum, ex eoque emendatos Culicem, et lusus Virgilii alios editurum esse: quae spes postea rata facta est heredibus Aldi, a. 1517. Iam vero haec Aldina a. 1517. cuius Aldina a. 1534. repetitio est, num tota ex codice Bembino expressa est? num in Culice emendationes, quas Bembus dialogo illo suo proponit, omnes repetit? Non est: non repetit omnes. Differt in Culice, ut iam observatum est Heynio, Aldina lectio ab ea, quam Bembus proponit, non raro. Mihi codex Bembinus, ut breviter sententiam dicam, neque deterior fuisse, neque multo aut vetustior aut melior aliis bonis codicibus, quibus in hac mea editione usus sum, videtur. Cf. quae de eo monuimus Diss. III. p. 304. Quare quascumque emendationes Aldina et cum Bembo ipso et cum aliis bonis libris communes habet, eas nihil impedit quominus ex codice Bembino petitas esse censeamus: quae vero aut uni Bembo, in dialogo illo, aut Aldinis ita sunt propriae, ut in nullo alio bono et antiquo codice reperiantur, eas utrum e coniectura natas, an ex codice quopiam nunc deperdito haustas dicamus, quaerere licet, ex codice haustas esse Bembino contendi nequit. Ponam exempla. Restituit Bembus ex codice suo, ut diserte testatur, versum Dir. 102. *Quamvis ignis eris* etc. Restituit eumdem ex eodem, ut puto, codice Aldina. At eumdem habent alii boni codices, et editio Mutinensis: ut haec non sit propria codici Bembino laus virtusque. Versum 70. ita exhibent Aldinae: *Nec nostros servire sinant erronibus agros* egregie: eodemque modo conceptum recitat Bembus, sed non addit ita esse in libro suo: ut incertum sit, utrum haec coniectura sit, an lectio codicis Bembi. Etsi non nego ita fuisse in codice Bembino. Contra v. 88.

quod in Aldinis legitur, *campos nec adire licebit*, quum neque Bembi auctoritate confirmetur, neque in aliis libris antiquis inveniatur, quis ductum ex Bembino credat? Disputavi haec maxime contra N. Heinsium, qui non solum Aldinam expressam ex codice Bembino fere totam putavisse videtur, sed omnino quicquid ubicumque singulare et a vulgata scriptura recedens invenerat, ad codicem Bembinum esse referendum suspicabatur: ut Dir. v. 147. Contrarium errorem Scaliger erraverat, qui omnem Bembo Aldinaeque fidem derogari volebat.

Codex Bembinus postea, una cum illo Virgilio, quem nunc typis expressum Romae 1741. habemus, et cum Terentio, itidem maioribus litteris scripto, ex bibliotheca P. Bembi ad Fulvium Ursinum delatus est: cf. Notae eius ad Servium in Bucol. VIII. 44. p. 284. Cf. etiam Victorius Var. Lect. XXV. v. Pierius ad Virg. Bucol. VIII. 44. etsi hi quidem codicem non viderunt ipsi, sed tantum, quod dicitur, relata referunt. Denique ex bibliotheca F. Ursini in Vaticanam devenisse perhibetur. Et sane credibile est, quum illum alterum Virgilium, et Terentium, in bibliothecam Vaticanam illatos ex hereditate F. Ursini esse constet, eodem etiam illum nostrum delatum esse. Etsi qui eum in Vaticana viderit, novi neminem. Quod enim aliquis N. Heinsio eum visum esse ibi ex epistola Heinsii ad Iac. Gronovium ap. Burmann. Epist. ad Hoppium Anth. Lat. T. I. p. LIV. colligat, id aliter se habere, neque Heinsium unquam oculis usurpavisse hunc codicem, deprehendet, quicumque alias Heinsii epistolas, ad I. Fr. Gronovium, T. III. Syllog. Burm. p. 300. 306. ad Octavium Falconerium T. V. p. 490. 541. 542. 577. ad Christinam Alexandram T. V. p. 783. 786. 787. et Dissertationem eiusdem de Cod. Virgilii Mediceo, perlegere et conferre inter se volet. Igitur quaecumque Heinsius epistola illa ad Iac. Gronovium disputat de codice nostro Bembino, e sua coniectura disputat, neque ab omni parte vere, quum eum codicem *literis Romanis exaratum* dicit: quod si ita fuisset, profecto neque Bembus neque Ursinus admonere rem tam memorabilem neglexissent. Confudit N. Heinsius, nisi fallor, hunc codicem cum alio quodam Vaticano, fortasse cum celebri illo, qui postea Romae a. 1741. editus est. Certe Burmannus manifesto in hoc errore versatur. Sed hic omnia confundit: ut quum scribit haud dubie Epigrammata etiam in codice Bembino fuisse, quod statim Bembi ipsius testimonio refellitur. Mihi, quum inter Codices Virgilianos in Bibliotheca Vaticana exstantes, quos Praefatio editionis Romanae 1741. scripta, ut ab Heynio didici, a Bottario, recenset, nullum deprehendissem, qui videretur noster Bembinus esse, Niebuhrius, quo est ad utilitatem litterarum ardore, et singulari in me benevolentia, opportunitatem Romam scribendi ac percontandi codicem obtulit. Misi descriptionem codicis

Bembini, quam potui accuratissime factam ex indiciis iis, quae sunt apud Bembum ipsum: responsum est, nullum talem codicem inveniri in Vaticana.

Loci Dirarum, de quibus disputat. aut quos recitat Bembus in Dialogo de Culice, hi sunt: versus 67. et qui seq. tres, v. 71. 2. 3. denique versus 98. et qui seq. quinque.

## *Mediceus*

apud Burmannum, qui de eo ita scribit, ubi de inscriptione Dirarum refert: *in Mediceo, cuius collationem a Cel. d'Orvillio nactus fuit Patruus meus.* Hunc librum quamdiu pro valde antiquo habebam, quod ipsum cur fecerim nescio, sed fortasse obversabatur animo meo illa libri Aproniani praestantia atque antiquitas: vehementer mirabar foedissimorum vitiorum, quae ex eo afferuntur, multitudinem. Desii mirari, quum cognoscere, qui esset ille codex, licuit. Nempe eadem collatio est haud dubie, quae nunc Oxonii asservatur in bibliotheca Bodleiana. De qua in libro, cui index: Codices Manuscripti et impressi cum notis manuscriptis, olim d'Orvilliani, qui in Bibliotheca Bodleiana apud Oxonienses adservantur, Oxonii MDCCCVI. pag. 40. ita refertur: X. 1. 6, 13. 5. *Collatio* VIRGILII *Dirarum ed. Pithoei cum cod. Mediceo n.* 38. *scamn.* 38. *pp.* 3. Iam conferatur A. M. Bandinii Catalogus Codicum Latinorum Bibliothecae Mediceae Laurentianae To. II. Plut. XXXVIII. Cod. xxxviii, xvi. col. 281. Testatur Bandinius chartaceum esse codicem, saeculi XV. Itaque et recentissimus est, et negligenter scriptus, sed tamen minime contemnendus, quum et alia bona nonnulla cum aliis bonis libris communia, et bis solus cum paucis aliis id conservet, quod aut verum, aut proximum vero, v. 41. et 166. ita ut his quidem in locis etiam illos superet, qui alias optimi, Petavianum, Thuaneum, Augustanum. Cf. mox de Parisino IV.

Sunt etiam alii Medicei, in Catalogo Bandinii, qui Diras continent: membranaceus saec. XIV. ineuntis, ut perhibet Bandinius, cum glossis et scholiis, To. II. Plut. XXXIII. Cod. xxxi. col. 125. item membran. saec. XV. ibid. Plut. XXXIX. Cod. xviii. col. 309. chartaceus saec. XV. olim Gaddianus, To. III. Plut. LXXXXI. Cod. xix. col. 753. quorum unum saltem alterumve praestare ei, quem contulit Orvillius, crediderim. Huic illud proprium est, quod praeter Diras nihil continet Virgilianum. Qui alii codices Diras habent, plerique praeter Diras alia habent Virgiliana sive Virgilio tribui solita. Ut caeteri Medicei, quos enumeravi.

Licebit etiam Bandinii ope alios Mediceos, quibus hic illic in Anthologia Latina usi sunt viri docti, veluti ad Priapeia, ex parte investi-

gare, atque inter se distinguere: alia nemo expiscabitur, nisi ad ipsos recurrerit codices. Nimia est virorum doctorum in codicibus indicandis atque appellandis negligentia. Quem Burmannus ad Priap. epigr. LXXXI. extr. Mediceum primum nuncupat, haud dubie est Plut. XXXIII. Cod. XXII. T. II. catal. c. 111. Eumdemque dicere videtur Burmannus ad Priap. LXXXIII. 1. Cf. Plut. LXXXXI. Cod. XIX. T. III. Catal. c. 753. Unde discitur quid sit *Priapeia minor. Priapeia minor* tum vocabatur carmen quod est apud Burmannum LXXXIII. *Quid hoc novi est? quid ira n. d.* Eadem carminis eiusdem inscriptio in Vratislaviensi III. sic: *Vergilii minor Priapea.* in Monacensi I. ita: *Incipit Priapeia Maronis* omisso voc. *minor.* et sic haud dubie in Vratislaviensi I. Et hi quidem codices, Monacensis I. Vratislaviensis I. et Vratisl. III. hoc unum carmen habent ex Priapeiis, reliquam farraginem omittunt.

Procedo in Galliam, ad *Parisinos.* Parisini ab Heinsio, et a Burmanno ex apparatu Heinsii, ad Diras adhibiti sunt tres, *Petavianus, Thuaneus, Puteaneus*: duo priores diligenter, et satis accurate: Puteaneus binis tantum locis, v. 41. et 152. Nunc quatuor sunt Parisiis, in Bibliotheca Regia, quos omnes collatos habeo beneficio viri suavissimi, Christiani Lasseni, Norvagi, qui quod tempus suis studiis, quibus iam inclaruit, atque insigni Augusti Guilelmi a Schlegel, Viri Illustris, operi destinaverat, eius partem mihi, et excutiendis meam in rem codicibus latinis, dare voluit. Sunt autem quatuor illi partim iidem, quibus Heinsius usus est, partim alii. Percensebo omnes ordine.

## *Petavianus.*

Hic non amplius est Parisiis, quantum mihi quidem constat. Emptos codices Petavianos a Christina, et translatos Holmiam esse a. 1650. 1651. epistolae me Heinsii et Is. Vossii docuerunt, Syllog. Burmann. T. III. p. 590. 591. 602. 604. 5. 6. 619. et Heinsii ad I. Fr. Gronovium ibid. p. 259. 267. Cf. Arnoldus, Dirarum editor: *Audio tamen in Dionysii Petavii Bibliotheca (ab Augustissima Regina Sueciae aureis nuper sumtibus comparata) recens aliquod MS. Catalectorum Virgilianorum exstare; cuius indicium magnus ille Nic. Heinsius, Danielis maximi Filius, praeclare apud me fecerat; qui id ipsum in Galliis quondam vidit, legitque.* Id igitur a. 1645. 1646. factum est, quo tempore Heinsius versabatur Parisiis: cf. Epistolae eius ad I. Fr. Gronovium, T. III. Syll. Burm. pag. 158. sqq. maxime pag. 168. 169. et Epistola ad Iac. Gronovium ap. Burm. Epist. ad Hoppium p. LIV.

Exstat huius libri in Culicem collatio apud Friesemannum et Heynium, ad quos ea pervenit ab Io. Schradero; ad Schraderum autem aut ab Heinsio, aut aliunde. Est enim in Bibliotheca Leidensi Appendicis Virgilianae edit. Scalig. 1573. exemplar (Catal. Bibl. Univ. Lugd. Bat. p. 275. Hist. 502.), olim Isaaco Vossio possessum, cui idem Vossius in Culice, et in aliis carminibus nonnullis, quae statim commemorabuntur, accuratam Petaviani collationem, a se ipso factam, adscripsit. Doleo, quod non itidem Diras contulerit. Fuit hic liber non, quod Arnoldus nescio unde tradit, recens, sed satis, ut suadent omnia, vetustus, perbonus, proxime cognatus cum Thuaneo, aliisque eiusdem generis libris, quod genus omnium, de quibus nunc constat, optimum est. Heinsio ad Ovid. Epist. XIX. 26. *veterrimus codex Petavianus* dicitur. Continebat autem praeter Culicem et Diras, Opuscula eadem omnia, quae in Bembino, Thuaneo, et caeteris eius generis: *Copa, Versus de Est et Non, de Rosis nascentibus Ecloga, De Institutione Viri Boni versus.* Neque dubito quin continuerit *Moretum*, etsi hoc nemo testatur. At Aetna haud dubie abfuit, et abfuisse Cirin diserte monet Heinsius Epist. ad Iac. Gronovium ap. Burm. Epist. ad Hoppium p. LIV. Cf. Sylloge Epist. Burm. T. IV. p. 148. Fuit etiam in Petaviano, testantibus Friesemanno, Heynio, et Is. Vossio, Opusculorum inscriptio illa, quam nos infra ex Thuaneo et Augustano dabimus: *Poetarum Sapientissimi Publii Virgilii Maronis Condiscipuli Octaviani* etc. Quid praeter illa fuerit in Petaviano, definire non audeo. Fuisse etiam carmina minora sive epigrammata, ut in Thuaneo, etsi quot fuerint, et quae, dubitare licet, certum est mihi ex Is. Vossio, qui praeter Culicem et Copam contulit illa, quae sunt in Anthologia Burmanni lib. I. CXXXVI. lib. II. CXCII. et lib. V. CXXXII. Verum ex eo non sequitur haec unica fuisse: otium defuit Is. Vossio, aut animus, plura conferendi. In Anthologia Latina Burmannus codicis Petaviani ab Heinsio collati saepe mentionem facit, et ad multa carmina, maxime ad ea, quae collectionem infra ex Veneta Rubei aliisque Virgilii editionibus vetustis describendam constituunt; sed etiam ad alia nonnulla, quae non insunt in collectione ista Anth. Lat. lib. I. LXXIII. XCVIII. lib. II. CLVIII. sqq. CXCII. CXCVII. lib. III. CX. lib. V. XLV. LXXI. nisi ibi *Petav.* et *alter Petav.* per errorem scriptum est a Burmanno pro *Putean.* et *alter Putean.* Fateor tamen me dubitare, an haec, quae Burmannus ex Petaviano laudat, non sint omnia ex uno eodemque Petaviano. Certe quos Is. Vossius Epist. ad Heinsium T. III. Syll. Burm. p. 563. Petavianos commemorat, eorum neuter videtur is fuisse, de quo nos agimus.

Specimina Petaviani e Culice satis multa protulimus Diss. III. Incipit autem in Petaviano cantilena illa, quam postea in aliis codicibus,

Basileensi maxime, decantabimus: parum credendum esse virorum doctorum collationibus. E. g. in Culice v. 209. quem locum ad Dir. 78. tractavi, Petavianus, Friesemanno teste: *En quid, ait, meritus.* Quod prorsus incredibile, quum Augustanus, qui ex eadem cum Petaviano familia est, nihil tale habeat. *En quid, ait, meritus* non Petaviani, neque alius scriptura codicis, sed, quod ex Heynio cognoscitur, coniectura est N. Heinsii: quam Friesemannus quum eodem loco a Schradero annotatam, in quo idem collationem Petaviani posuerat, repperisset, male ad Petavianum retulit. Nos ubi Petaviani in Culice mentionem fecimus, fecimus ex accurata illa Is. Vossii collatione.

## *Thuaneus sive Parisinus I.*

Liber perbonus ac vetustus, nunc in Bibliotheca Regia numero 8069, de quo in Catalogo edito: No. 8069. *Codex Membranaceus primum Iacobi Augusti Thuani, postea Colbertinus.* Additur: *Is codex undecimo saeculo videtur exaratus.* Laudat Lassenus elegantiam libri, qui est forma maxima, scripturamque luculentam. Quae eo contineantur, sic refert. Praecedere grammatica quaedam, maxime de figuris rhetoricis, cum exemplis ex Virgilio. Sequi Bucolica cum multis scholiis, Georgica, Aeneidem. Tum haec: *Sententiae VII philosophorum. De nobilitate ac die tempore nativi* (sic) *longitudineque temporum vitae P. Uirgilii Maronis Discipuli Epidii Oratoris incipit. Versus Ovidii* (Virgilius magno quantum etc.) Deinde, praemissa ea inscriptione, de qua paullo post dicetur: *Culex Publii Virgilii Maronis Incipit. Diræ Maronis Incipiunt. Copa Maronis Incipit. Virgilii Versiculi de est et non est. Virgilii versiculi de institutione viri boni. De Rosis. Ammoretum Publii Virgilii Mar. Incipit.* Sequuntur *Epitaphia Uirgilii tria*; denique *Traiani Imperatoris de bello partico versus.* et alii versus eiusmodi. Titulos carminum in hac descriptione passim supplevi, integrosque exhibui, ex Is. Vossio. Nam hac quoque in re utilissimo subsidio fuit illud Leidense exemplar editionis primae Scalig. in quo Is. Vossius non solum Petaviani, sed etiam huius Thuanei diligenter collationem instituit: et hunc quidem, Thuaneum, ante Petavianum contulit, et in plura carmina, quam Petavianum. Verum haec omnia divinanda mihi fuerunt, quum Vossius eum codicem non appellare nomine suo, sed sigla *V.*, designare soleat, vel *V.C.* hoc est, *Vetus, Vetus Codex*; vel etiam sic: *MS.* Semel aliquanto disertius legitur: *V.C. T.* et semel perspicue: *V.C. Thuanæus.* Quaeritur etiam in hoc libro, quanto numero epigrammata, et quae, contineat. Enumerabo omnia, in quae colla-

tio facta est ab Is. Vossio in exemplo illo Leidensi. Sequor ordinem, quo sunt in editione Scaligeri posita. Anth. Lat. lib. II. CLXXXIV. CXCII. CXCV. CXCVII. CXCVIII. CLVIII — CLXIX. lib. V. LII — LXIII. XXIX — XXXIX. XVII — XXVIII. CI — CXII. LXXXIX — XCIX. II — XIII. lib. III. LXXV. lib. I. XLII. lib. V. CXXXII. lib. I. CXXXVI. lib. III. LXXXV. CIV. XCII. LI. CCLXVIII. Inerant etiam epigrammata *Mors trium* quae apud Scaligerum pag. 182. vel pag. 178. ed. Lindenbr. apud Pithoeum pag. 132. ed. Lugd. leguntur, sed tertium omissum, primum autem: *Sus, iuvenis, serpens casum venere sub unum. Sus iacet extinctus serpens pede ille veneno* (sic). et alterum: *Anguis, aper, iuuenis — hic moriens,* coniuncta in unum, cum hac inscriptione: *Versus Virgilii Cum Viderat Vel Audierat iuvenem aprum interficiẽtem ac tunc improvisum calcantes* (sic) *serpertem.* Porro: Anth. Lat. lib. I. CII. XCVIII. CXLI. lib. II. CCLVIII. CCLVII. denique lib. V. LXXXIV. Illud, quod in Anth. Lat. lib. II. CCLVIII. est, Traiani, ut fertur, versus, primum esse in cod. Thuaneo colligo ex descriptione Lasseni, atque annotavit diserte Is. Vossius, versus Citerii, quod in Anth. Lat. lib. V. epigramma CCLVII. est, in codice positos esse post versus Traiani. Haec igitur quae enumeravi epigrammata, omnia in uno eodemque codice Thuaneo, subdita Virgilii Operibus atque Opusculis, fuisse, collatio maxime Is. Vossii persuadet: ubique eadem manus, idem atramenti color, ut credibile sit, eodem tempore scripta omnia, et ex uno codice, esse. Contulit idem Vossius in eodem exemplari Lusus in Priapum, sed cum alio codice, ut suspicor: aliud partim atramentum, et manus ab ea, quae in reliquis cernitur, diversa. Evolvat, qui volet, carmina, quae laudavi, in Anthologia Lat. Burmanni: videbit fere ad omnia Burmanno collatum ab Heinsio Thuaneum laudari; eaque collatio, paucis locis exceptis, in quibus utrum Heinsio Burmannoque credam an Vossio, dubito, sed credere malim Vossio, ubique conspirat cum collatione Vossii. Sic, ut alia taceam, quam ex Thuaneo apponit Burmannus, longam inscriptionem carminis Anth. Lat. lib. III. LXXV. eadem est apud Vossium; mira illas Thuanei annotatio SVNT DE NI LIA PE POM SVS ER ad Anth. Lat. lib. V. XXXII. apud Burmannum ex collatione Heinsii, et apud Vossium eadem est. Hic est codex haud dubie, qui in Catalogo Bibliothecae Thuaneae, quem edidit Ios. Quesnell, P. II. pag. 428. ita indicatur: *Virgilius. Optim. notae. fol. Virgilii appendix. fol.* Sed fuerunt etiam alii codices Virgiliani in Bibliotheca Thuanea: cf. Catalog. B. Th. p. 451. 456. et maxime p. 459. ubi unus, in quo, praeter alia, *Vita Virgilii a Foca Grammat. versibus scripta*, et *Moretum, Culex, Dirae, Copa, Virgilii fragmenta*: de quo mihi quidem plane nihil constat. Et ab his rursus differebat Codex Catalectorum sive Epigramma-

tum, de quo Heinsius ad I. Fr. Gronovium T. III. Syll. Burm. p. 280. 284. et Is. Vossius ad Heinsium ibid. p. 562. et 563. Is haud dubie ille est, qui in Catalogo B. Th. p. 459. ita describitur: *Excerpta ex Iuvenale, Persio, B. Eugenio Episc. Toletano, Martiali, Catullo, Seneca, Gratio. Varia Epigrammata antiqua. Pervigilium Veneris. fol.*

Sed de exemplari Leidensi primae editionis Scaligeri, quod Is. Vossius cum Petaviano et Thuaneo contulit, aliud inseram hac opportunitate, quod utile erit ei, qui aut in Anthologia Latina elaborare post Burmannum, aut in Culice post Heynium voluerit. Id exemplar, quod ego non primus versavi, sed alii non ea, qua par erat, diligentia versarunt ante me, miros errores procreavit. Quum enim Thuaneum esse, quem ibi contulerat Is. Vossius, ignorarent, ut qui exemplar illud non totum examinavissent, ex sigla *V.* vel *V.C.* qua uti solet Vossius, novum codicem, *Vossianum*, sive *Leidensem*, sibi effinxere, et sic ex uno codice fecere duo. Id Burmanno accidit Anth. Lat. lib. III. XCII. ubi inscriptionem in codice *Vossiano* dicit hanc esse, DE INTERNO LABORE VOMANVS: non in Vossiano, ut puto, sed in Thuaneo, ex quo eam inscriptionem enotavit Vossius in exemplari Leidensi. Qui Burmanno Anth. Lat. lib. II. CCLVII. laudatur, *alter Vossianus*, Thuaneus est haud dubie: itemque ibid. CCLVIII. *vetus codex* Oudendorpii Thuaneus est. Anth. Lat. lib. I. CXLI. vs. 4. *Ut puer* et *poscit* a Burmanno ex Vossiano, a Vossio ex Thuaneo affertur: non credibile est tam mira in duobus codicibus eadem fuisse. quare Vossianum Burmanni illum ipsum esse puto, quem contulit Vossius, Thuaneum. Eadem suspicio est in aliis carminibus Anth. Lat. lib. I. CXXXVI. lib. II. CXCV. lib. V. LXXXIV. Sed luculentissimum exemplum est ad Anth. Lat. lib. V. XXXII. ubi de eodem codice Thuaneo bis refert Burmannus, semel ex collatione Heinsii, alterum, tamquam de vetere codice Leidensi, ex hoc exemplari Appendicis Scalig. Leidensi, quo ego usus sum. Prope a veritate abfuit Burmannus ad Anth. Lat. lib. II. CLXVIII. ubi ita scribit: Eloquio *Puteani, Thuani, Pontani et Rohan. codices. et ille quem Vossius contulit, ubique cum Thuaneo conspirans.* Nempe non mirum erat, conspirare, quum unus idemque sit. Eadem res in Culice. Moneo accuratius, quia rem non expedivit Heynius: nam iniuria erroris arguit Friesemannum in Cul. 235. 307. 354. Schraderus, ut ex Emendationum libro cognoscitur, tres habebat ad Culicem codices, vel trium codicum collationes. Horum unus, quem ipse, ut videtur, inspexerat, et quem Vossianum, vel etiam Leidensem, appellat, et commemorare cum laude, neque ea immerita, solet, est Vossianus membr. oct. N. 81. Catal. Bibl. Univ. Lugd. Bat. pag. 389. Ad hunc igitur referenda sunt,

quae Schraderus Emendationum libro protulit ad Cul. v. 118. 135. 172. 235. 307. 329. 331. 354. 360. Iam hunc codicem nusquam commemorat Friesemannus, nullamque eius notitiam habuisse videtur. Sed praeter hunc duos alios codices manu scriptos laudat Schraderus Emendat. p. 19. 27. 28. *Petavianum,* et *alterum Vossianum.* Atque hi sunt Petavianus et Vossianus Friesemanni, qui lectiones eorum ad marginem Culicis a Schradero annotatas habebat. Schraderus autem undenam habuit horum codicum notitiam? Mirum ni ex hoc exemplari Leidensi, de quo loquor: sive illud ipse usurpaverit, sive aliud exemplar, in quod collationes Vossii translatae e nostro ab alio viro docto fuissent, ante oculos habuerit. Unde sequitur codicem, quem *alterum Vossianum* Schraderus, et *Vossianum* simpliciter dicit Friesemannus, nihil aliud quam Thuaneum esse. Haec mihi suspicio, vel potius sententia, iam enim est sententia, nata est, dum inter se confero, quae Vossius ex Thuaneo, Schraderus, Friesemannus, Heynius ex suo illo Vossiano referunt. Quodsi non ubique plenus cernitur consensus, ut fateor satis magnam inter utrosque differentiam esse locis non paucis, cogitandum erit, quam longo itinere ista ex Leidensi exemplari nostro ad Schraderum, a Schradero ad Friesemannum Heyniumque pervenerint, et quam vehementer codicum lectiones communicatione immutari, et dum ex uno margine in alterum transferuntur, sive ex schedis alienis describuntur, adulterari dissimilesque sibi ipsis fieri soleant. Ut unum commemorem, Schraderi, lapsum, Schraderus Emendat. p. 27. Cul. 307. *saevi dos* esse in Petaviano, et in eo, quem alterum Vossianum dicit, hoc est in Thuaneo, tradit; idemque Friesemannus refert. Nos *seuiduos* esse in libris illis docuimus Vossii auctoritate, Diss. III. p. 314. Adscripsit etiam Is. Vossius exemplari illi suo coniecturas nonnullas, quarum eas, quae ad Diras spectant, commemoravi suis locis.

Hi sunt, Petavianus et Thuaneus, qui Heinsio ad Diras simpliciter *duo scripti*, vel *Gallicani* dicuntur: cf. Epistola eius ad Iac. Gronovium apud Burmann. Epist. ad Hoppium p. LIV. Alios libros scriptos antiquos non habebat. Thuaneum autem, ut ex Epistolis in Sylloge Burm. T. III. colligo, contulerat quum secundum Parisiis esset, a. 1651. Vel etiam fuit inter eos codices bibliothecae Thuaneae, quos Bullialdus Syll. Burm. T. V. p. 604. delatum iri, iussu Thuani, ad Heinsium in Hollandiam significat. Ego ad Diras triplicem habui Codicis Thuanei collationem: unam Heinsii Burmannique, alteram Is. Vossii in exemplari illo, tertiam a Lasseno factam. Ut iam satis constet de hoc praestanti libro. Interpunctionem ille, quod monet Lassenus, nullam habet nisi in fine singulorum versuum. Specimina e Culice protulimus non pauca Diss. III.

Restat ut de memorabili Opusculorum inscriptione dicam, atque id semel absolvam hac opportunitate. Culici in Thuaneo inscriptio praeposita haec est, diserte testantibus Is. Vossio et Lasseno: POETARVM SAPIENTISSIMI PVBLII VIRGILII MARONIS CONDISCIPVLI OCTAVIANI CAESARIS (Lassen. *Cesaris*) AVGVSTI MVNDI IMPERATORIS IVVENALIS LVDI LIBELLVS INCIPIT CVLEX PVBLII VIRGILII MARONIS INCIPIT. Prorsus eadem in Petaviano, ut diserte monet Is. Vossius, eademque in nostro Augustano; in aliis incertum utrum eadem inscriptionis longitudo, an sit in brevius contracta, ut in veteri libro manuscripto apud Scaligerum, in quo ita conceptum fuisse titulum Scaliger ad Culicis init. scribit: IVVENALIS LVDI LIBELLVS INCIPIT. cf. mox de Parisino IV. at in Bembino prorsus eamdem fuisse quae est in Petaviano, Thuaneo, et reliquis, putaverim. Negligenter scriptam, ac male contractam librariorum errore, in Mediceo Plut. XXXIII. Cod. xxxi. T. II. Catal. c. 125. si ibi omnia recte Bandinius, et in Parisino IV. habes. In Mediceo: *P. Virgilii Maronis condiscipuli Octaviani Caesaris Augusti Mundi Imperatoris Iuvenalis ludi Libellus Culex.* in Parisino IV.: *Maronis virgilii Iuuenilis ludi incip̃ culex.* Hi enim non intellexerunt veterem inscriptionem, et *iuvenilem ludum* solum dici Culicem existimaverunt.

## *Parisinus II.*

No. 7927. *Codex Membranaceus, olim Colbertinus. Ibi continentur: 1mo. Virg. Maronis Eclogae, Georgic. et Aen. Praemittuntur eiusdem poemata supposititia; nonnulla folia manu recentiore suppleta. 2do. Fragmentum, in quo de rebus ad historiam Francorum spectantibus. Is codex decimo saeculo videtur exaratus.* Haec e Catalogo. Ordo carminum, Lasseno referente, hic est. *Culex. Dirae. Copa. Versiculi eiusdem* (P. V. M.) *deest et nõ incipiunt. De institutione boni viri. De rosis. Moretum. Carmen Octav. Augusti Caesaris de laudanda arte ac sublimanda per secula Publii Uirgilii incip̃. Incipit Tetrastichon Ouidii Nasonis carmen. Carmen Bucolicon in quo Theocritum vicit incipit. Georgica. Aeneis.*

## *Parisinus III.*

No. 8093. *Codex Membranaceus olim Colbertinus.* Additur in Catalogo: *Huiusce Codicis pars nono, pars decimo, nonnulla decimo quarto saeculo videntur exarata.* Vix est quod moneam parum

me tribuere his de aetate iudiciis. Continet varia opera vel opuscula, numero duo et viginti. Loco decimo octavo Opuscula Virgilii, Lasseno referente, haec: Diras praecedunt Culex, et post Culicem, carmen illud: *Ergone supremus potuit vox improba verbis*; hac inscriptione: *Incipiunt Octaviani Caesaris Augusti de laudanda ac adfirmanda arti P. Virgilii Maronis post mortem illius.* Sed est et hoc carmen, et ante Culex, alia manu scriptum, quam Dirae, et charta alia. Diris initium deest: incipiunt a versu 33. *Ipse cades* etc. Diras excipiunt Copa, et alia adscripta Virgilio carmina minora.

## *Parisinus IV.*

No. 8205. *Codex partim Membranaceus, partim Chartaceus, olim Colbertinus. Ibi continentur P. Virg. Maronis Bucolica; ad eadem subiiciuntur carmina eiusdem supposititia. Is codex decimo quinto saeculo videtur exaratus.* Codex parvus, festinanter et vitiose scriptus, ex parte difficilis lectu, atque ut videtur, recens: cuius tamen accuratam collationem Lasseni et Donndorfii opera apud me esse gaudeo. Est enim ex libro satis antiquo descriptus, ut iam inscriptio Culici praeposita arguit. Mirus in locis nonnullis consensus eius cum Mediceo. Et uno saltem loco duo hi, Parisinus IV. et Mediceus, soli sunt inter libros scriptos, qui iam per se probabilem scripturam Mutinensem Aldinamque sua auctoritate commendant atque communiunt: Dir. 41. Cf. Dir. 43. ubi *aura* solus Paris. IV. cum Mut. et Ald. Inscriptiones et carmina in Parisino IV. haec sunt: *Maronis virgilii Iuuenilis ludi incip̃ Culex. Dire Maronis Virgilii. Incipit Copa Virgilii maronis publii ad alibidam. Incipit libellus de rosa Virgilii. Incipit papeia Virgilii.* Denique *Bucolica*, sed ea ab alia manu ac meliore scripta. Igitur Opuscula non subiecta Bucolicis, ut est in Catalogo, sed praeposita sunt. Dubito ubi Priapeia posita sint; semel enim annotatum reperio incipere ab iis codicem: sed puto eo loco esse, quo a me sunt posita.

*Puteanei*, quem Burmannus ad Dir. 41. 152. laudat, nullum vestigium repperi. An est unus ex his meis Parisinis? Quae ex eo locis illis Burmannus affert, multis codicibus communia sunt. Quaerat etiam aliquis, an forte erratum ibi sit apud Burmannum, *Putean.* pro *Petaviano.*

## *Anglicanus.*

*Harl. Manuscr. No.* 3963. *folio. cod. membr.* in Museo Britannico. Hunc quoque, de quo mihi quidem plane nihil constabat, protraxit, et diligentissime contulit Lassenus. Scilicet Londini commoranti quum editionum Romanarum, quas ei praecipue commendassem, copia non esset facta: eas enim postea demum, Parisiis, meum in usum contulit: hanc mihi egregiam compensationem dare voluit. Liber est, ut iudicabat Lassenus, non valde antiquus, sed scriptura luculenta conspicuus; compendia scripturae perpauca; interpunctio frequentior, quam in aliis libris, e. g. Augustano. Inesse puto maiora Virgilii opera omnia: certe Aeneidem inesse diserte monuit Lassenus. Aeneidem haec sequuntur, et hoc ordine. *De rosis Publii Maronis Virgilii Parthenias Mantuani libellus feliciter incipit. Legas felix. De duabus monosillabis. Moretum. Priapeia. De uiro bono et sapiente. Dirae. Maronis. Virgilii incipiūt. Versus Virgilii Nocte pluit tota* etc. *Culex. Supplicatio et Versus Cornelii Galli ad Cesarem de non comburenda Aeneide incipiunt. item Supplicatio et Versus Valerii Martialis*: *vel ut quidam dicunt Sulpicii Carthaginensis de non comburenda Aeneide incipiunt feliciter. Responsus et Versus Octaviani Augusti de non cōburenda Aeneide feliciter incipit. Meonium quisquis romanus nescit homerum* etc. *Rumpitur invidia* etc. *Epitaphia Virgilii distica. Epitaphia Virgilii Tetrastica. De speculo et aqua. De aqua conversa in gelu. De Vride. De signis duodecim.* Atque hic finis est codicis.

Sunt praeterea in Museo Britannico, ut refert Lassenus, multi codices ms. Virgiliani, inter quos insignis unus, in quo etiam carmina Virgilii minora, Cat. Harlei. Manuscr. No. 2534. at non insunt Dirae. neque alius ibi Lasseno se obtulit, in quo Dirae essent, praeter hunc, quem descripsi. Est autem huius nostri singularis quaedam similitudo cum Aldinis, v. 28. cum Parisino IV. et Mediceo, v. 117. 166.

Lugdunum Batavorum ut sanctitate loci memoriae meae se infixit in perpetuum, aemulosque antiquae laudis viros doctos, supra quam sperare poteram, comes, officiosos, benevolos mihi ostendit, ita quod libros scriptos attinet, spem meam fefellit quodammodo. Non quod nihil inde boni ac novi retulerim: habui utilissima, quae iam commemoravi partim, partim commemoraturus sum. At Dirarum codicem scriptum, praeter eum, quem Vossianum II. appello, non magna utilitate librum, nullum inveni. Et quid de eo dicam, quod ne illos quidem codices, quos Bur-

mannus laudat ad Diras, reperire potuerim? Ita tamen est. *Vossianum* quidem quem dicit Burmannus, detexi, nisi omnia fallunt. *Leidensem* quem dicit, neque ego potui, dum Leidae versabar, reperire, neque Geelius, qui pro amicitia nostra, quam ibi contraxeramus, onus sibi ulterius quaerendi imponi passus est, eaque in re laboravit diligentissime, potuit. Considerabimus singulos.

## *Vossianus I.*

Ita appello eum, qui Burmanno ad Diras *Vossianus* audit simpliciter. At Vossianum quo iure dixerit, statim apparebit. Eodem iure Petavianum et Thuaneum *Heinsianos*, vel hos, quos ego contuli, *Naekianos* diceres. Asservatur in Bibliotheca Leidensi exemplar editionis Aldinae 1534. (Catalog. B. V. L. B. p. 255. oct. Hist. 849.) in quo Is. Vossius, nitida atque conspicua manu sua, multa carmina cum vetere codice contulit. Hic est ille, quem Burmannus ad Diras et Catalecta Virgilii *Vossianum* dicit. Intellexi quum annotata ab Is. Vossio ad Diras, et ad multos Catalectorum locos, quae rogatus a me Geelius accuratissime exscripsit, cum iis contuli, quae ad eosdem locos Burmannus ex *Vossiano* affert. Quis autem codex, et ubi fuerit, quando collatus ab Vossio, plane ignoratur: Burmannus cum *Vossianum* dixit, parum proprie; semel, ad Anth. Lat. lib. II. LXV. 1. accuratius ita: *in vetusto Codice ab Is. Vossio collato.* Caeterum quisquis fuit codex ille, insignis fuit eo, quod Catalecta Virgilii continebat integra, etiam illud tam suave: *Si mihi susceptum* etc. et *Superbe Noctuine*, et illud *Iacere quod alta non possim putas*, integra. Perraro inveniuntur Catalecta Virgilii in libris scriptis antiquis: ego nullum novi praeter hunc, quem Vossius contulit. Primum carmen Catalectorum, hoc erat: *Priapus. Vere rosa* etc. ut in vetustis editionibus. Notabo carmina, ad quae codicem illum contulit Vossius in exemplari Aldino, omnia. Sunt igitur haec: *In Priapum. Quid hoc novi est* etc. *Catalecta*, vel ut in codice: CATHELEPTON. *Copa. Rosae* (in codice: *Rosetum*). *Dirae. Moretum. Solis ortus. Surgit ab Oceano* etc. *De aetatibus animalium ex Hesiodo. Hortulus. Adeste Musæ* etc. Ad Cirin, et Elegiam in Maec. ob. nihil adscripsit Vossius; neque ad Culicem, sive non fuerit in eo codice, sive non libuerit Vossio conferre Culicem.

Hactenus bene se res habet. Dedimus suis locis accuratam, eaque, quae apud Burmannum est, hic illic veriorem atque auctiorem collationem huius codicis, ex illo ipso exemplari Aldino desumptam: ex quibus

illa plenam fidem habent, quae diserte testatus est Vossius, ut quum Dir. v. 13. *flumina* esse in codice, non *flamina*; v. 15. *condamus*; v. 20. *Hinc*; v. 21. *pinxit* esse annotavit. Ea sic laudavi simpliciter: *Voss. I.* Aliis multis locis cum Aldina consensisse Vossianus I. censendus est propter silentium Vossii. Et in his quidem locis non ubique anxie commemoravi Vossianum I. Poterat hoc divinandum lectoribus relinqui, videri ibi cum Aldina convenisse Vossiano I. Quae autem commemoravi ex eo genere, commemoravi cum hac nota: *Voss. I. si f. s.* hoc est, si fides silentio Vossii. Sunt enim loci nonnulli tam singulari modo concepti in Aldina, ut iures nullum inveniri scriptum codicem, qui adstipuletur Aldinae; Vossius tamen nihil e codice illo varietatis annotavit. Ut Dir. v. 8. *dicat* est in Aldina; nihil annotavit Vossius. v. 35. *flagrabunt* Aldina: nihil monuit Vossius. v. 88. *campos nec adire l.* in Aldina: silet Vossius. Quid igitur iudicabimus de his locis? Aberravisse Vossium, atque oblitum esse annotare dissensum codicis sui? Non videtur, quum ea diligentia instituerit collationem, ut vitia manifesta, et minutias orthographicas annotare non dedignatus sit: cf. Dir. 111. 154. 183. 140. 141. An fuisse *dicat*, *flagrabunt*, et *nec adire* in codice Vossii, ut est in Aldina? Ita videtur. Ac multum crescit fides Aldinae huius codicis Voss. I. consensu. Tamen quum res non prorsus certa sit, eiusmodi locis notam, quam dixi, *si f. s.* addidimus.

Deinde si quando non commemoravi Vossianum I. ubi tamen commemoratur *Vossianus* a Burmanno, aut si de eo prorsus contraria iis, quae ex eodem tradidit Burmannus, retuli, id quoque, ne quis miretur, ipsius auctoritate Vossii factum sciat. Nempe quae Burmannus ex suo Vossiano profert, haud raro aperte refragantur collationi Vossii ipsius in exemplo Aldino. Ut quum Dir. 15. *sulcis*, v. 46. *fiat*, v. 48. *nostris*, v. 88. *audire*, v. 149. *insparsa*, in Vossiano esse Burmannus tradit: contraria potius in eo fuisse statuendum est e silentio Vossii, *sulci*, *fiant*, *vestris*, *nec adire*, *inspersa*, nam sic in Aldina, cui nihil contrarium ex codice annotavit Vossius iis locis. Quomodo autem factum sit, ut Burmannus Vossiano ea affinxerit, quae ipsius Vossii, qui eum codicem contulit, testimonio repugnant, coniectura, ut mihi videtur, admodum probabili, non illa obiter excogitata, sed diligenter perpensa, ac deliberata cum Geelio, explico. Burmannus exemplar illud Aldinae, in quo collatio Vossii, non ipsum inspexit, sed aliud exemplar habuit, in quod ea collatio ab alio viro docto, fortasse a Tollio, translata erat ex illo exemplo Aldino. Idem vir doctus alius cuiusdam codicis, vel aliorum codicum, lectiones addiderat, atque intermiscuerat. Burmannus vero ista omnia ad unum codicem Vossianum retulit. Is alius codex

qui fuerit, fortasse divinari potest: certe illa, quae Burmannus ex *Vossiano* profert, quum tamen non sint in collatione Vossii, fere omnia reperiuntur in eo, quem Vossianum II. appello, ac sunt omnia, qualia a Vossiano II. exspectes, trita ac vulgaria. Sunt autem haec: *fiat* 46. *nostris* 48. *hinc miles* 73. *c. audire l.* 88. *viterula* 115. *Hei male* 125. *nonnumquam* 132. *nostri* 145. *celebrabit* 146. *Minoidis* 152. *factus* 166. Praeterea haec falso *Vossiano* attribuit Burmannus: *sulcis* v. 15. *ardet* v. 52. *libebit* v. 103. *insparsa* v. 149. *et* v. 183. quae aut ex errore nata, aut ex alio quodam sunt derivata codice. Quo etiam pertinere videtur, quod tamquam ex Vossiano Burmannus refert de inscriptione Dirarum. De Tollio quod dixi, videri notitiam Vossiani I. ad Burmannum venisse a Tollio, partim aliunde probabile est, quum Burmannus hic illic notata quaedam Tollii ex aliis codicibus ad manum sibi fuisse significet: Anth. Lat. lib. II. CLXXV. CXCIII. CXCIV. cf. idem Burmannus ad Diras v. 7. 10. 76. tum vero, quod mihi confirmavit Geelius, quem codicem Vossianum Burmannus ad Copam pag. 707. b. laudat, *cuius excerpta Tollius notaverat ad ed. Scalig.* haud dubie ille ipse est, quem Vossius in exemplo Aldino contulit.

Haec de Vossiano I. dudum conscripta erant, neque unquam quicquam me de eo certius accepturum esse putabam, quum praeter spem, et ex eo loco, unde minime exspectaveram, aliquid ad notitiam Vossiani I. novi accipio. Non pertinet res ad Diras, sed digna est, quam exponam. Igitur me iam locupletatum, per humanitatem benevolentiamque Passovii, duorum codicum Vratislaviensium, qui Diras continent, notitia, quos codices paullo post descripturus sum: cupido cepit etiam illum pernoscendi bonum et antiquum Vratislaviensem, eumdemque Rehdigeranum, codicem, quo, Passovii ope usi sunt in Aetna Frid. Iacob, in Statii Silvis Silligius; et ex quo Silligius se Cirin paullo, quam nunc legitur, emendatiorem editurum promisit. Diras quidem non legi eo in libro statim me docuerat Passovius: ego vero illud cupiebam scire, quae praeter Cirin et Aetnam inessent carmina Virgiliana. Atque ibi a Passovio, qui alterum tertiumque mihi operam praestare haud recusavit, primo, quod statim valde memorabile mihi fuit, Catalecta inesse integra, tam integra, quam in Vossiano I. fuere; deinde specimina e Catalectis accipio ea, quae facile persuadeant obiter intuenti, unum eumdemque librum esse Vossianum I. et Vratislaviensem III. nam ita hunc appello, quum illos, in quibus Dirae insunt, primum et secundum nuncupaverim. Ac primo inscriptio statim eadem est: *Vergilii catalepton* in Vratisl. III. CATHELEPTON in Vossiano I. Deinde satis inter se consentientes Vossianum I. et Vratislaviensem III. vidimus Diss. III. p. 308. Et hic quoque, quum ferat occasio, exemplis demonstrare,

illa plenam fidem habent, quae diserte testatus est Vossius, ut quum Dir. v. 13. *flumina* esse in codice, non *flamina*; v. 15. *condamus*; v. 20. *Hinc*; v. 21. *pinxit* esse annotavit. Ea sic laudavi simpliciter: *Voss. I.* Aliis multis locis cum Aldina consensisse Vossianus I. censendus est propter silentium Vossii. Et in his quidem locis non ubique anxie commemoravi Vossianum I. Poterat hoc divinandum lectoribus relinqui, videri ibi cum Aldina convenisse Vossiano I. Quae autem commemoravi ex eo genere, commemoravi cum hac nota: *Voss. I. si f. s.* hoc est, si fides silentio Vossii. Sunt enim loci nonnulli tam singulari modo concepti in Aldina, ut iures nullum inveniri scriptum codicem, qui adstipuletur Aldinae; Vossius tamen nihil e codice illo varietatis annotavit. Ut Dir. v. 8. *dicat* est in Aldina; nihil annotavit Vossius. v. 35. *flagrabunt* Aldina: nihil monuit Vossius. v. 88. *campos nec adire l.* in Aldina: silet Vossius. Quid igitur iudicabimus de his locis? Aberravisse Vossium, atque oblitum esse annotare dissensum codicis sui? Non videtur, quum ea diligentia instituerit collationem, ut vitia manifesta, et minutias orthographicas annotare non dedignatus sit: cf. Dir. 111. 154. 183. 140. 141. An fuisse *dicat*, *flagrabunt*, et *nec adire* in codice Vossii, ut est in Aldina? Ita videtur. Ac multum crescit fides Aldinae huius codicis Voss. I. consensu. Tamen quum res non prorsus certa sit, eiusmodi locis notam, quam dixi, *si f. s.* addidimus.

Deinde si quando non commemoravi Vossianum I. ubi tamen commemoratur *Vossianus* a Burmanno, aut si de eo prorsus contraria iis, quae ex eodem tradidit Burmannus, retuli, id quoque, ne quis miretur, ipsius auctoritate Vossii factum sciat. Nempe quae Burmannus ex suo Vossiano profert, haud raro aperte refragantur collationi Vossii ipsius in exemplo Aldino. Ut quum Dir. 15. *sulcis*, v. 46. *fiat*, v. 48. *nostris*, v. 88. *audire*, v. 149. *insparsa*, in Vossiano esse Burmannus tradit: contraria potius in eo fuisse statuendum est e silentio Vossii, *sulci*, *fiant*, *vestris*, *nec adire*, *inspersa*, nam sic in Aldina, cui nihil contrarium ex codice annotavit Vossius iis locis. Quomodo autem factum sit, ut Burmannus Vossiano ea affinxerit, quae ipsius Vossii, qui eum codicem contulit, testimonio repugnant, coniectura, ut mihi videtur, admodum probabili, non illa obiter excogitata, sed diligenter perpensa, ac deliberata cum Geelio, explico. Burmannus exemplar illud Aldinae, in quo collatio Vossii, non ipsum inspexit, sed aliud exemplar habuit, in quod ea collatio ab alio viro docto, fortasse a Tollio, translata erat ex illo exemplo Aldino. Idem vir doctus alius cuiusdam codicis, vel aliorum codicum, lectiones addiderat, atque intermiscuerat. Burmannus vero ista omnia ad unum codicem Vossianum retulit. Is alius codex

qui fuerit, fortasse divinari potest: certe illa, quae Burmannus ex *Vossiano* profert, quum tamen non sint in collatione Vossii, fere omnia reperiuntur in eo, quem Vossianum II. appello, ac sunt omnia, qualia a Vossiano II. exspectes, trita ac vulgaria. Sunt autem haec: *fiat* 46. *nostris* 48. *hinc miles* 73. *c. audire l.* 88. *viterula* 115. *Hei male* 125. *nonnumquam* 132. *nostri* 145. *celebrabit* 146. *Minoidis* 152. *factus* 166. Praeterea haec falso *Vossiano* attribuit Burmannus: *sulcis* v. 15. *ardet* v. 52. *libebit* v. 103. *insparsa* v. 149. *et* v. 183. quae aut ex errore nata, aut ex alio quodam sunt derivata codice. Quo etiam pertinere videtur, quod tamquam ex Vossiano Burmannus refert de inscriptione Dirarum. De Tollio quod dixi, videri notitiam Vossiani I. ad Burmannum venisse a Tollio, partim aliunde probabile est, quum Burmannus hic illic notata quaedam Tollii ex aliis codicibus ad manum sibi fuisse significet: Anth. Lat. lib. II. CLXXV. CXCIII. CXCIV. cf. idem Burmannus ad Diras v. 7. 10. 76. tum vero, quod mihi confirmavit Geelius, quem codicem Vossianum Burmannus ad Copam pag. 707. b. laudat, *cuius excerpta Tollius notaverat ad ed. Scalig.* haud dubie ille ipse est, quem Vossius in exemplo Aldino contulit.

Haec de Vossiano I. dudum conscripta erant, neque unquam quicquam me de eo certius accepturum esse putabam, quum praeter spem, et ex eo loco, unde minime exspectaveram, aliquid ad notitiam Vossiani I. novi accipio. Non pertinet res ad Diras, sed digna est, quam exponam. Igitur me iam locupletatum, per humanitatem benevolentiamque Passovii, duorum codicum Vratislaviensium, qui Diras continent, notitia, quos codices paullo post descripturus sum: cupido cepit etiam illum pernoscendi bonum et antiquum Vratislaviensem, eumdemque Rehdigeranum, codicem, quo, Passovii ope usi sunt in Aetna Frid. Iacob, in Statii Silvis Silligius; et ex quo Silligius se Cirin paullo, quam nunc legitur, emendatiorem editurum promisit. Diras quidem non legi eo in libro statim me docuerat Passovius: ego vero illud cupiebam scire, quae praeter Cirin et Aetnam inessent carmina Virgiliana. Atque ibi a Passovio, qui alterum tertiumque mihi operam praestare haud recusavit, primo, quod statim valde memorabile mihi fuit, Catalecta inesse integra, tam integra, quam in Vossiano I. fuere; deinde specimina e Catalectis accipio ea, quae facile persuadeant obiter intuenti, unum eumdemque librum esse Vossianum I. et Vratislaviensem III. nam ita hunc appello, quum illos, in quibus Dirae insunt, primum et secundum nuncupaverim. Ac primo inscriptio statim eadem est: *Vergilii catalepton* in Vratisl. III. CATHELEPTON in Vossiano I. Deinde satis inter se consentientes Vossianum I. et Vratislaviensem III. vidimus Diss. III. p. 308. Et hic quoque, quum ferat occasio, exemplis demonstrare,

et quanta sit Vratislaviensis III. cum Vossiano I. similitudo, et omnino quo fere habitu circumferantur in libris veteribus Catalecta, placet. Similitudo illa statim in iis carminibus cernitur, quae rursus addenda esse Catalectis Virgilii docui Diss. I. Nam in carmine *Ego haec ego arte,* quod est apud Burmannum Priap. LXXXV. vs. 3. *stantem* pro *tute* uterque codex, Voss. I. et Vratisl. III. at praeter hoc Vratisl. *Agellum* et *sinistre,* quae non sunt e Vossiano I. annotata. *tute* iam in vulgatis, qua appellatione codicem Basileensem, Venetas Rubei et Iensoni, Vicentinam, et Vossianum II. comprehendo. vs. 18. *Parata neque crux aestate ementula* uterque codex. vulgati : *P. namq; cr. est arte m.* v. 20. *cum* et v. 21. *Fuit* uterque. *Fuit* etiam vulgati. praeterea v. 21. Vratisl. *capta.* In carmine quod sequitur, apud Burmann. Priap. LXXXVI. *Hunc ego iuvenes locum* etc. versu 1. *ego* omittitur in utroque, ut omittitur in vulgatis; et versus 2. ita conceptus : *Tectam munimine iunco carisq; maniplis* in utroque, in Vratisl. cum interpunctione post *munimine* : et post *iunco.* Vulgati : *Tectam uimine iunceo carisq; m.* vs. 17. *quis* Vratisl. et sic haud dubie in Voss. I. erat, non ut in Ald. *queis.* et *quis* vulgati, praeter Vicentinam et Vossianum II. ubi *quibus. Priape* Vratisl. cum vulgatis, quod non annotatum e Voss. I. vs. 18. *Praestare et domini vineam hortumq; tueri* in codice utroque. *hortulum vineamq;* vulgati. versum 20. codex uterque ita : *Vicinus* (Vratisl. *Vicimus*) *prope est negligensq; Priapus.* omisso vocab. *dives*, quod iam restitutum in vulgatis. versum postremum Vratisl. ita : *Inde sumitte semitam : haec deinde v. f. i.* ubi e Vossiano I. nihil annotatum. *semitam* etiam vulgati. Catalect. carm. I. ed. Heyn. versum 1. Vratislaviensis ita scriptum habet : *De qua saepe venit : sed tucca videre tibi* et versum 3. *De qua saepe non tibi venit adhuc mihi namq;* Ignoro quid e Vossiano I. annotatum sit. *De qua sepe tibi venit sed tucca videre* v. 1. cod. Basil. Caeteri vulgati : *De qua saepe tibi venit sed saepe v.* v. 3. *De qua saepe tibi non venit adhuc mihi namq;* vulgati omnes, nisi quod in cod. Basil. *se* pro *saepe.* Catalect. III. ed. Heyn. v. 5. *percinat* in utroque. vulgati *pertinet.* ibid. v. 1. memorabile est, quod Voss. I. et cum Voss. I. codex Basil. *beat* habent; caeteri, etiam Vratisl. plene *beate* v. 2. *Generq; noctu impudicum caput* Vratisl. cum vulgatis; de Voss. I. nescio. v. 3. *Tuq; nunc puella talis et tuo* vulgati. *Tuoq; tunc p. t. et t.* Vratisl. de Voss. I. nescio. v. 4. *Stupore pressa* (*praessa* Vrat.) *rus habitet mihi* vulgati cum Vratisl. sed cod. Bas. *habitat* de Voss. I. nescio. Catalect. IV. ed. H. v. 1. *Superbe noctu repuditum caput* in utroque; Vratisl. autem *S* omittit in voc. *Superbe. Superbe noctu repuditum caput* etiam vulgati, praeter Vicent. et Voss. II.

in quibus *S. noctui et recutitum caput.* v. 8. *nocturnus hyrneam* Vratisl. ubi Voss. I. si fides silentio Vossii, cum Ald. *Noctuinus hirneam. nocturnus hernia* Vicent. et Voss. II. De versu 9. supra dictum Diss. I. p. 231. Catalect. V. ed. II. vs. 1. *Iacere me quod alta non possim putas, me* omittunt uterque, et omittit Vicentina cum Vossiano II. *alto* Vratisl. *alte non possum* Vicent. et Voss. II. v. 19. *Nonne*, vel *Non ne, vocabis* codex uterque, et versu extr. *cocytia* Vratisl. versum 32. Vossianus I. ita: *ossusq; labissanus* et Vratisl. *Hossusq; labissanus.* Catalect. VI. ed. II. vs. 1. *i* (omisso *S*) *mihi suspectum fuerit d. m.* Vrat. v. 7. *Corniger hos aries*: *humilis et maxime taurus* idem. v. 9. *Marmoreosq; tibi* idem, reliqua ut Ald. *aut digne coloribus ales.* Quid e Vossiano I. annotatum sit in hoc carmen, non habeo compertum. Catalect. IX. ed. H. vs. 1. *Scilicet* codex uterque, ut vulgati. ibid. *Vari* codex, ut videtur, uterque. *varo* cod. Basil. et Voss. II. *uarro* Ven. Rub. Iens. Vicent. Catalect. X. 1. *Sironis* et v. 4. *tritius* uterque. *scironis* et *tristius* vulgati. Praeterea v. 1. Vicent. et Voss. II. vitiose *Villulaq;* v. 5. *Comendo primisq; patrem tunc eris et illi* Vratisl. et *primisq;* et *tunc eris illi* Voss. I. *Commendo*: *primisq; p. tu nunc eris illi* vulgati. v. 6. *quodve* Voss. I. *quodq;* Vratisl. ut vulgati, praeter Vicent. et Voss. II. in quibus *quoq;* vitiose. Catalect. XI. Eleg. ad Messal. v. 3. *Victoria est* v. 6. *conides* v. 29. *multum* pro *volucrum,* v. 30. *gravidae quod* v. 32. *similis* pro *Eleis,* in utroque codice, atque consentiunt vulgati, praeterquam quod v. 6. *Enides* habent, vel *aenides.* ad v. 31. nihil e Vrat. III. et Voss. I. annotatum, quod ab Aldina scriptura *Saepe animam generi pro qua pater impius hausit* recedat, nisi quod in Voss. I. *ipsius* fuit pro *impius. Saepe animam proh quam pater impius hausit* versu imperfecto cod. Basil. Ven. Rub. et Iens. Vicentina et Vossianus II. ita: *Saepe animam generi proh quam pater imp. h.* versum 33. omittunt duo codices illi: Vratislaviensis ita, ut tamen litteram versus initialem *R* exhibeat; Vossianus, ut ne hanc quidem. Vulgati, excepta Vicentina, prorsus ut Vratislaviensis, *R* litteram exhibent, etiam Vossianus II. Supplementum Vicentinae vid. in descriptione huius editionis. v. 35. *Non obcuus r. p. l. p.* Voss. I. *Non obvius* etc. Vratisl. praeterea in Vratisl. *rapti,* non *raptum. Non ocius* (*ocyus* Ven. Iens.) *raptum* vulgati. v. 51. *periuria* uterque. *periure in* cod. Bas. *periturae in* caeteri vulgati. Catalect. XII. 1. *quem video* uterque, cum vulgatis, praeter cod. Basil. in quo solo *valido* exstat. Catalect. XIII. 2. *Pangere quas* uterque; atque ita cod. Basil. et, nisi quid erraverim, Veneta Iens. *Pangere qua* Veneta Rub. Vicent. Voss. II. v. 5. *Cui convenit ante*

*alios . . . . . . sorores* Voss. I. *Cui cum venit ante alios . . . . . que furores* Vratisl. Tenendum est, sicubi lacunae signa pono, de Vratislaviensi III. referens, lacunam intelligendam esse veram, consulto relictam a librario. Id de codice Vratisl. admonuit me Passovius; neque alias puto Vossiani I. lacunas fuisse, quas Vossius punctis notare solet: atque ita ego facio. Hoc loco iam suppletam habent lacunam vulgati: *Conuenit ante alios diui diuumq; furores.* v. 6. *multa* codex uterque, cum vulgatis. Praeterea vulgati, praeter cod. Basil. in quo recte *indigno*, vitiose *indigna* habent. Catalect. XIV. 1. *Quis deus optavit* : et v. 2. *Dicuntur animo* uterque. praeterea v. 2. *meo* pro *mero* Vratisl. Quorum illud, *Q. d. optauit*, etiam vulgatos obsedit omnes; alterum iam emendatum in vulgatis: *Dicunt a nimio* v. 3. *Vobiscum si* (*sic* Vrat.) *est culpabili* codex uterque. *Vobiscum si est culpabilis* cod. Basil. cum Vicent. et Voss. II. sed in cod. Basil. vitiose *cupabilis. Vobiscum si est culpa bilis* nescio an consulto Venetae Rubei et Iens. v. 4. *Fata quidem menti crimen habere . . .* deficiente versu, uterque, nisi quod in Voss. I. *Facta* erat. Suppletus versus in vulgatis: *Facta quidem meriti crimen habent cyathi.* versum 5. imperfectum habent cod. Bas. Venetae Rub. et Iens. *Scripta quidem tua nos multum mirabimur.* supplent Vicent. et Voss. II. *et te* atque sic, nisi fallor, Vratisl. De Voss. I. nihil habeo compertum. Addam alia, ex iis locis, ubi a Vossiano I. discrepat Vratisl. III. ut quum carminis, quod est Priap. LXXXV. apud Burmannum, versum 1. Vratislaviensis III. ita inchoat, cum damno metri, *aec ego arte*, ubi Voss. I. cum vulgatis plene *Ego haec ego arte.* et ibid. v. 5. Vratisl. *malaq; furis arceo manu.* Voss. I. si omnia recte notavit Vossius, *malaque furibus arceo manus* ubi vulgati: *malasq; furis arceo manus.* ut Catalect. V. ed. Heyn. v. 31. *docte* Vratisl. ubi *dote* in Voss. I. ut Catalect. VIII. 10. *nequis torion* Vratisl. *nequis orion* vel *Orion* cod. Bas. Venetae Rub. et Iens. *nequis otion* Vicent. et Voss. II. at in Vossiano I. si fides silentio Vossii, *nequa sordidum* fuit. ut Catalect. XI. 32. *fulsit* Vratisl. ubi *fluxit* Voss. I. cum vulgatis. ut Catalect. XII. 5. *tibi iam tibi Roma ferebat* et sic Vicent. cum Voss. II. *tibi iamiam Roma ferebat* Voss. I. *tibi iam tibi Roma minatur* cod. Bas. Ven. Rub. et Iens. Sed iam taedet. Facile ipsi Lugdunum Batavorum et Vratislaviam invenient, si qui omnia nosse de Vossiano I. aut Vratislaviensi III. cupient. Hoc omnes, nisi fallor, docuimus exemplis nostris, diversum a Vratislaviensi III. codicem Vossianum I. fuisse, sed familiae eiusdem: quae quidem familia codicum eo excellit, quod Catalecta Virgilii habet, si numerum spectes carminum, integra: si verborum integritatem, codices huius familiae non solum illi codici,

vel illis codicibus, ex quibus Aldina fluxit, sed etiam illi mutilo ac misere habito codici, ex quo primum edita Catalecta, locis non paucis posthabendi sunt. Et haec quidem de Catalectis. Similem Vratislaviensi III. codicem penes Pomponium Laetum fuisse conieci Diss. I. p. 241.

## *Leidensis.*

Hic est ille qui reperiri nulla opera potuit. Inquisivi ipse non incuriose; post me Geelius quicquid librorum huc videretur pertinere posse, congessit, iterum iterumque pertractavit, examinavit: nonnulla eruit feliciter ac probabiliter, omnia extricari posse desperat. Ac primo tenendum est, quum codicem *Leidensem* in Anthologia Latina saepe laudet Burmannus, non ubique unum eumdemque codicem intelligendum esse: habuit ille ad alia carmina alios, quos cunctos parum accurate communi appellatione *Leidensis* designat. Eorum codicum partem ipse manibus tenui in Bibliotheca Leidensi, partim indicatos a Geelio habeo. Sic quem Burmannus Epist. ad Hoppium p. LII. describit, codex Ausonianus, haud dubie, Geelio monente, est Vossianus N. 111. Catalog. p. 376. Quod Burmannus Anth. Lat. lib. III. CLXXIII. v. 6. p. 618. b. e cod. Voss. affert. *fore,* id Geelius repperit in libro Advers. Vossiano N. 15. Catal. p. 400. ubi etiam inscriptio eius carminis illa, quam Burmannus p. 618. a. ex veteri Vossii codice profert, nisi quod pro *quem* scriptum est *quae.* Deinde, quod idem primus monstravit Geelius, et quod partim a Geelio persuaderi mihi idoneis indiciis passus sum, partim ipse persuasi, unus liber est, de quo Burmannus ad Eleg. in Maec. ob. p. 251. a. *ut in Codice Bibliothecae Leidensis Vossiano titulum inveni*; ad Rosas p. 701. b. *in alio Bibliothecae Leidensis codice inveni*; ad Copam p. 707. a. *quomodo et ipse in Leidensi inveni*; ad Virum bonum T. II. p. 417. a. *in cod. Leidensi, quem excussi.* Est autem is Vossianus N. 96. Catal. p. 390. chart. forma minima. Aliquoties eum, quem ego Vossianum II. dico, adhibitum esse a Burmanno, animadvertit Geelius, ut Anth. Lat. III. LI. 16. Cf. quae infra moniturus sum de eo libro. De libris, quos ad carmen Est et Non laudat Burmannus, supra dixi Diss. I. ubi etiam alia habes ad Vossianum N. 96. spectantia. Praeterea ita sentimus ego et Geelius, non esse Burmannum in his codicibus conferendis ea diligentia usum, ut semper fidem mereat, et ut plana sint omnia. Nam, ut exemplo utar, in Vossiano N. 96. partim, de quo Geelius me admonuit, male legisse videtur locos aliquot; partim, quod praecipue ad perturbationem lectoris factum est, non accurate

distinxit librum istum ab aliis libris, vel potius ipse, quum animadversiones suas conscriberet, et varietatem scripturae ex variis libris diverso tempore collectam concinnaret, atque in ordinem redigeret, non distinctum ab aliis habuisse videtur. Hinc est, quod ad Rosas, ad Copam, ad Virum bonum, codicem istum appellat *Leidensem*: non satis accurate, nam *Vossianus* est. Ad Elegiam in Maecenatis ob. eumdem, ut observavit Geelius, nunc *Vossianum* appellat, nunc *Leidensem*: et sane communicatae mecum a Geelio Vossiani N. 96. in eo carmine lectiones nunc cum *Vossiano* Burmanni, nunc cum *Leidensi* eiusdem conspirant. Qui autem sit alter *Vossianus*, sive *Leidensis*, quem ad Elegiam illam adhibuit Burmannus, ignoro. Ne quis temere fieri putet, quod Burmannum male legisse aliquot locos diximus, bonam atque utilem Geelii observationem ex litteris eius ad me datis inseram. Eleg. in Maec. ob. versu 39. Burmannus pro *impiger* esse in Vossiano *ingere* monet. Geelius: *ni vehementer fallor, eundem Voss. 96. significat: ibi enim sic scriptum est* inge *cum signo compendii in littera* e, *et medio vocabulo superscriptum* te, *unde ego efficio* integer. *Sed illud superscriptum, quidquid est, fere evanuit, adeo ut Burmanni oculos fallere potuerit.*

*Diras* neque in illis codicibus, quos dixi, neque in aliis, ubi latere posse videbatur carmen illud, invenimus. Eminet inter alios Vossianus membr. N. 81. Catal. p. 389. cuius et Diss. I. aliquoties mentionem, et saepius feci Diss. III. Dirae non insunt. Evolvi etiam codices Virgilianos, hoc est, maiorum Virgilii operum, qui plures sunt in Bibliotheca Leidensi: in nullo Dirae, praeter eum, de quo seorsum dicetur infra, Vossianum II. Ut de codice *Dirarum Leidensi*, qui fuerit, an Leidae fuerit, unde notitiam eius habuerit Burmannus, nihil habeam quod dicam, nisi hoc unum: videri mihi hunc Leidensem non verum codicem esse, sed tantum umbram atque εἴδωλον codicis. Suspiciosum me illud fecit, quod Leidensem Burmanni fere ubique consentire cum Thuaneo animadvertebam. Itaque hic idem accidisse Burmanno coniicio, quod eidem Burmanno in aliis carminibus, et Schradero, Friesemanno, accidisse dixi. Enotaverat aliquis ex illo exemplo Append. Scalig. 1573. quod Leidae asservatur, collationem codicis Thuanei, ab Is. Vossio factam: eum codicem quum Thuaneum esse ignorarent, coeperunt *Leidensem* appellare, quia collatio Leidae reperta fuerat. Haec si vera sunt, delendus atque exterminandus ubique ex ordine codicum totus codex Leidensis. Nos tamen, quum res in coniectura sit posita, quae ex Leidensi protulit Burmannus, religiose repetimus omnia, sed ut fidem omnem penes Burmannum esse iubeamus.

## *Excerpta Heinsii.*
## (*Pierii cod.*)

In his Excerptis expertus sum, quam facile codex fiat ex nihilo. Erat apud N. Heinsium, et post Heinsium, apud Burmannum, exemplum editionis Virgilii Iunt. Florent. cuius marginibus aliquis homo litteratus, tum in maioribus operibus, tum in Diris, variantes lectiones adscripserat. Eum virum litteratum Burmannus ad Diras Pierium esse Valerianum, lectiones autem illas variantes ex vetere codice Pierii sumptas esse statuit: cf. Burm. ad Dir. v. 31. 145. 151. 152. 157. 158. 160. 171. et alibi, ubi simpliciter laudat *MS. Pierii*, vel *cod. Pierii.* Quae omnia quam audacter, ne dicam temere, statuat Burmannus, cuivis iudicare licebit, qui conferre volet, quae aliis locis Heinsius et Burmannus hac de re disputant. Sunt loci hi: Heinsius ad Virg. Ecl. VII. 19. Burmannus Praef. Virgil. p. * * * * 3. et Epist. ad Hopp. Anth. Lat. T. I. p. xxxiv. Omnia coniectura nituntur, parum firma, sed quae eundo crevit, et confidentiam cepit. Nam primo Pierium Valerianum esse, qui illa adscripserit, opinio quaedam Heinsii est, non confidenter prolata, sed cum multa dubitatione: alio tempore Heinsius opinabatur aliud. Deinde etiamsi concedamus partem lectionum variarum eam, quae est ad opera Virgilii maiora, ex codicibus Pierii illis petitam esse, quibus Pierius in suis Castigationibus scribendis usus est, non intelligo quid inde in Diras sequatur, praesertim quum non constet aliunde, Diras fuisse in uno ex illis Pierii codicibus. Denique ne hoc quidem certum est, ex codice ms. illa esse. Si enim Burmannus passim ita scribit: *Pierius ex MS. adnotavit*, *ex v. c. enotaverat*, *ex v. c. Pierius notavit*, nihil hoc videtur esse nisi coniectura Burmanni: in exemplo illo editionis Iuntinae ipso lectiones variantes sine ulla nota adscriptas fuisse colligo ex aliis locis, ut quum Burmannus ad v. 31. 144. 151. 157. ita scribit: *Pierius* — succidet *adlevit*, tui *in marg. adscripsit Pierius*, fuerat *manus Pierii adlevit*, vittam *adscripserat Pierius.* Quod paullo ante monebam, ipsum non semper idem de his Excerptis iudicasse Heinsium, Heinsii annotatione ad Dir. 147. comprobo, ubi de iisdem haud dubie Excerptis ita disserit: *Habeo penes me alia excerpta ex codice Bembino, ut videtur, nam in plerisque cum Aldo consentiunt.* Quae ipsa coniectura est non melior illa de Pierio, codicibusque Pierii. Certe quod in Dir. 147. offerebant Excerpta ista, *Pana*, et v. 148. *nostis*, ut in iis libris scriptis, qui nunc exstant, non inveniri spondeo, ita neque in Bembino, neque in ullo alio libro

scripto unquam fuisse probabile est. Ego has lectiones omnes ex libris editis conquisitas, maxime ex Aldinis, quibuscum mirum in modum consentiunt, censeo. Retinui tamen, ac repetii post Burmannum, totam farraginem: at nomen retinere non potui. Itaque pro *cod. Pierii*, vel *MS. Pierii*, plerumque posui *Excerpta ap. Heinsium*, vel *Excerpta Heinsii.* Eadem Excerpta haud dubie significat Heinsius ad v. 31. his verbis: succidet *vetustus codex cum Aldo.* et v. 151. ubi: fuerat *tamen alii codices.* Nam eamdem utrobique scripturam, *succidet*, et *fuerat*, Burmannus ex suo Pierio profert.

## *Augustanus.*

Ita hunc praestantem librum appello meo, vel potius civitatis illius iure. Quid enim Augusta Vindelicorum, quamvis merito laudata civitas habet, cur sola *Augusta*, codicesque eius *Augustani* appellentur? Antiquitatem? monumenta? Nihil antiquius ab hac parte Alpium, nihil quod antiquitatem suam tot et tam amplis monumentis tam cumulate testetur, quam *Augusta Trevirorum.* Deinde codices si non eo numero, quo Augusta altera, tamen perinsignes habet, ut vel hic unus documento est, eosque, quod auget admirationem, magnam partem unius viri opera atque industria, Hugonis Wyttenbachii, conquisitos. Quantum autem gaudium meum illo die fuisse putas, quum mihi inter delicias Trevirensium versanti Wyttenbachius, cui iam ante innotueram, et quid cupidissime librorum expeterem, significaveram, primo habere se aliquid mihi iucundum repositum indicavit, mox ipsum codicem illum ostendit. Neque solum ostendit, sed in manus tradidit, et defluxit mecum ad Rhenum pretiosus liber illo uno omnium amoenissimo Mosellae flumine.

Liber est totus in membrana scriptus, forma maxima. Priórem partem, et quidem longe maximam partem libri, occupat Servius in Virgilium. At deest initium. Quod nunc primum relictum folium est, ita incipit: *fiat ut ſeruuſ dicit. areuicinorum ſepeſ dū ? remotuſ habeteſ quae ſemp adeſſe ſolent. hibleiſ. hibla. monſ in ſicilia uellocuſ in attica ubi mel optimum naſcitur. uel ciuitaſ hiſpaniae. depaſta. id ē depaſcere. ſalicti. uirgulti genus eo qd ſalit cito. et ſurgit. hibleiſ apibus. id. ē aptū ē hoc loco apibus hibleis ſalicti florem depaſcere. Saepe leui* (correctum *leuiſ*) *etrtq; hic prouocat ruſticum ad delicias quaſ amat. Susurro animal qd de apibuſ naſcitur. nā tria ſunt genera fondatorū* (sic) *frondator qui arboreſ amputant.* etc. Priora non satis expedio, sed apparet explicationem esse versus 54. Eclogae I. Praeterea ex hoc ipso loco apparet esse Servium in codice Augustano vehementer interpolatum;

sed est etiam contractus ac decurtatus, nam paullo post desunt Ciceronis in Elegia, et Plauti, et Varronis ad v. 66. testimonia. Initio Eclogae VI. postquam alia praefatus est, ita pergit Augustanus: *In hac egloga uirgl ſe ſilenum fingit qui canebat ut quidam. Cromen autem et mnaſilum pollionem et uarum. uel cornelium et tuccam. qui poſtulauerunt bucolica ſcribi. Seruiuſ uero dicit ſironem ſub perſona ſileni qui uarum ſectam epicuream docuit.* ubi in marg. ab alia manu *ſilo* adscriptum est. Vides de *Servio* Augustanum loqui tamquam de alio quodam teste, non tamquam de eo, in quo describendo versatur. Mox ad v. 13. Servii verba Augustanus habet, ut sunt in libris editis: *pergite pierideſ. hortatur muſaſ ad ea referenda quae ſilenus cantauerat pueriſ. nam uult exſequi ſectam epicuream quam didicerant. tam uirgiliuſ quā uaruſ docente ſirone et quaſi ſub pſona* etc. Quantum exciderit incertum est. Ego nihil putaverim praeter Praefationem Servii in Bucolica, et commentarium in Ecl. I. usque ad locum illum v. 54. quae foliis comprehensa duobus fuerint. Itaque folia puto excidisse duo. Caeterum ita truncatum codicem non nuper esse, sed multo tempore antequam in Bibliothecam Publ. Trevirensem inferretur a Wyttenbachio, nota quaedam manus satis antiquae in fronte folii eius, quod nunc primum est, posita ostendit: quae nota etsi evanuit ex parte, tamen tantum restat, ut intelligas locum, quo olim asservatus fuit hic codex. Ergo iam tum mutilus erat codex. Rursus folium excidit, quod continebat commentarium in Eclogae VII. partem posteriorem inde a v. 19. et in partem priorem Eclogae VIII. usque ad v. 69. Sed iam satis de Servio, quem totum perlustrare non placuit. Hoc tantum addam, graeca Servii nunc litteris concepta latinis exhiberi, ut est in Praefatione ad Georgica: *Ergakaiemeras*; nunc graecas imitari librarium, ut ad Georg. I. 17. *aΠOTΩM NaaΩN*; nunc graeca omitti, ut versus Homeri ad extr. Aeneid. Adscribam etiam titulos Eclogarum praefixos commentariis ad singulas Eclogas, eos quidem qui aliquid singulare habent. INCIPIUNT EGLOGA SECUNDA DEMORE PUER. L. R. INCIPIT EGLOGA TERTIA DE PASTORIB; INCIPIT EGLOGA QUARTA NOUI SAECULI INTER PRAETATIO I. E. SEXTA DE TRANSFORMATIONE FAUNORUM SILENORUM SATYRORUM DELECTATIO I. E. NONA DEQUESTIONE POETAE DE AMISSO AGRO I. E. DECIMA DE DESIDERIO GALLI CIRCA UOLUMINIAM CYTHEUDEM MERETRICEM QUA LYCORIDE DICIT et paullo post brevior hic: CONQUESTIOCUGALLO DE AGRIS. Ad Georgica et Aeneidem breviores sunt inscriptiones huiusmodi: INCIPIT PRIMUS LIB SUPER AENEIDORU EIUSDEM TRACTATUS et simil. Absoluta Aeneide: EXPLICIT EXPOSITIO SERVII GRAMMATICI. IN BVCOLICON. ET LIBRIS GEORGIORGICON ATQVE AENEADVM. Sequuntur PRISTIANI GRAMMATICI

PARTITIONES UERSUUM DUODECIM AENEIDOS PRINCIPALIUM folia tredecim integra, sed folium decimum tertium finitur in his verbis (Vol. II. ed. Krehl. p. 358.) *latinigena quomodo truiugena graiugena. ſed meiſ geminatio. v. mutauit ſequen* nihil amplius: ut desit conclusio libri. Quare hic quoque folium aut unum excidit, aut plura. Et omnino coniicias Prisciani opus non semper coniunctum cum Servio, sed diu seorsum habitum fuisse: est enim prima pagina Prisciani multo magis, quam paginae quae praecedunt Servii, flava ac sordida. Operis Prisciani paginae priores multis glossis obsitae sunt. Denique folia quinque, quae et ipsa non semper coniuncta cum Prisciano fuisse existimo. In iis primo loco Vita Virgilii, quae etiam in aliis libris scriptis, ut in Monacensi, exstat. Incipit ita, magnis litteris capitalibus: PUBLIUS UIRGILIUS MARO. Subscriptum: UITA UIRGILII FINIT. Tum: UERSUS OUIDII NASONIS DE UIRGILIO INCIPIUNT VIRGILIVS MAGNO QVANTVM —*praepoſuiſſetibi* (Burm. Anth. Lat. lib. II. CXCII. p. 377. neque differt Augustanus a Burmanno quicquam. Sequitur illa iam nota nobis ex Petaviano et Thuaneo inscriptio: POETARUM SAPIENTISSIMI PUBLII UIRGILII MARONIS CONDISCIPULI OCTAUIANI CAESARIS AUGUSTI MUNDI IMPERATORIS IUUENALIS LUDI LIBELLUS INCIPIT CULEX P. U. M. INCIPIT *Luſimuſ octauipromunerereddit* LIBELLUS QUI NOMINATUR CULEX UIRGILII MARONIS. FINIT EIUSDEM MARONIS DIRAE INCPNT *Batta recioneaſ — oculiſ cognoſcere poſſiſ* P. U. M. DIRE FINIUNT. COPA. EID. M. INCIPIT *Copaſ iraſca* (correctum *i*) *capud greca — Morſ auremuellēns uiuite ait uenio* P. U. M. COPA FIN UERSICULI EIUSDEM DE EST ET NON INCIPIT *Eſt etnoncuncti — duoquā monoſillaba uerſant* P. U. M. UERSICULI DE EST ET NON FIN EID. DE INSTITUTION UIRI BONI INCHOANT *Vir bonuſ et ſapienſ — praemia rectiſ* P. U. M. EGLOS FIN. EIUSD DE ROSIS NASCENTIB: EGLO INCIPIT *Ver erat — ſicproperaretuum* P. U. M. EGT DE ROSIS FIN EID MURETUM IN CI PIT *Iam nox hiber niſ quinque peregerat horaſ — et terre condit aratrum* vel *aratra*, sed puto *aratrum*: pagina extrema, in qua haec leguntur, paullo difficilior lectu est, et detritae sunt litterae nonnullae. Absoluto Moreto in columna huius paginae altera: nam totus codex columnas, quas dicimus, binas in singulis paginis habet, aliquantum spatii reliquum erat: id librarius sive alius sive idem qui reliqua scripserat, sed alia litterarum forma usus et atramento recentiori, implevit excerptis quibusdam, BENEDICTIORVBEN, et BENEDICTIOSIMEON, quae partim in Genesi latina cap. XLIX. reperio, partim explicatio verborum biblicorum esse videntur. Lepida etiam in fronte huius paginae extremae annotatio est clerici cuiusdam, qui hoc codice aliquando pro missali usus est: *habui p̄ missali de . . . . . . . . . . sed restituā eidē mōsterio.*

Est totus liber, vel, quum partes libri non semper eo ordine compactas fuisse dixerim, quo nunc compactae cernuntur, sunt omnes partes libri, nisi biblica ista in fine, et glossas, quas Prisciano additas in marginibus dixi, excipias, ab una eademque manu scriptae. Variat quidem manus hic illic nonnihil, sed nihil quod non quaevis manus variet in opere tam longo. Manus autem est simplex, facilis lectu, praeter paginam primam, et de qua iam dixi, paginam extremam, quae tritae sunt atque expalluerunt, antequam tegumento tutae essent; compendia et rara, et quae sunt, non difficilia; scriptura tum omnino satis grandis et conspicua, tum vero litterarum capitalium, quibus in titulis inscriptionibusque, et, ubi sunt versus, in versuum initiis, in Servio etiam hic illic ad distinguenda poetae verba utitur librarius, duo genera sunt, unum parum conspicuum ac diligentiae non multae, at alterum, quo saepius utitur, valde luculentum atque accurate elaboratum. Eae litterae capitales plerumque rubro colore sunt. Praeterea in Servii commentariis ad Georgica atque Aeneidem ad initia librorum litterae initiales pictae variisque coloribus distinctae sunt. Magis memorabile illud est, quod codex tam saepe, in versibus maxime, coniunctas, quae disiungendae erant, et rursus disiunctas, quae iungendae erant, syllabas habet : ut Dirar. initio : *Batta recioneas* et multa alia, ex quibus ea tantum annoto ad Catonem, quae alia de caussa memorabilia. cf. Diss. III. p. 303. 314. Interpunctio in Augustano, in Opusculis Virgilii, nulla est. Quam similis autem Petaviano, et maxime Thuaneo sit, ea quidem parte, quae Opuscula continet Virgilii, in Catone docet collatio, et ex parte ostendunt, quae narravi hoc loco. Addam de ordine, quo scriptae sint diversae codicis Augustani partes, coniecturam meam, quae talis est : primo scripta fuisse folia quinque, in quibus Opuscula Virgilii : ea olim appendix erant codicis ab eodem librario scripti, opera Virgili maiora complectentis. Adiecit idem librarius Servium, et post Servium librum Prisciani. Verum quum Opera Virgilii maiora nescio quo casu ablata fuissent, factum est ut reliquae partes eum in ordinem compingerentur, quem nunc cernimus. Quod praestantiam libri attinet, ego neque inter hos, quorum notitiam habeo, meliorem esse, neque facile alibi inventum iri meliorem Augustano censeo. Id quo certius constaret omnibus, curavimus Diss. III. ubi ad locos Culicis non paucos Petavianum, Thuaneum, Augustanum, cum Vossiano 81. et cum libris vulgatis contulimus.

## *Monacensis I.*

Monachii codices Virgilianos esse, et duo quidem, in quibus etiam Dirae, ab Heynio De Virg. Codd. Ms. Vol. V. p. 452. didiceram. Adii popularem meum, qui Monacensem et Academiam et Universitatem ornat, apud quem aliquam mei memoriam ex temporibus ante actis superesse confidebam, Thierschium, et impetravi ut ipse sua manu ac diligentia conferret duo illos, et descriptionem utriusque libri adderet. Quod plus erat, quam petieram, sed eo magis gratum: ego hoc tantum petieram, ut uni ex discipulis suis eam curam demandaret. Praeterea Thierschius, quum insigniter auctam esse post Hardtii tempora Bibliothecam Monacensem constet, inquisivit ulterius, sed nullum invenit tertium, in quo Dirae essent.

Cod. CCCV. de quo apud Heynium Ignatius Hardt ita: *membranaceus, in folio, titulis et initialibus miniatis, charactere longobardico nitidissimo, usu tritus, cum glossis* etc. At Thierschius eum non Saeculi XI. sed ad summum Saec. XIV. esse monet: fol. mai. folia 233. Insunt haec, quae eadem accuratione refero, qua Thierschius usus est; addo numeros, ne quis diversa confundat. 1. *De Origine Troianorum* (breve caput, incipit: Origo Troianorum Dadanus fuit, qui ex Iove — finis: ex quo Anchises editus est, qui Aeneam filium procreavit.) 2. *Incipit prologus Daretis frigii et Hystoria de devastatione Troiae a Cornelio Nepote in latinum sermonem translata.* (Cornelius Nepos Sallustio crispo suo salutem. Cum multo ago athenis curiose. inveni historiam Daretis frigii ipsius manu conscriptam — Fol. 14. Asaricus genuit capin. capis Anchisen. anchises eneā eneas ascanium.) 3. Fol. 15. *Vita Virgilii breviter descripta.* (Publius Virgilius Maro genere mantuanus dignitate eques romanus natus idibus octobribus — amicitia usus imperatoris augusti et aliorum complurium probatissimorum virorum.) 4. Eodem folio 15. vers. usque ad Fol. 18. *Virgilii Maronis Publii descriptio vitae.* (Publius Virgilius Maro Mantuanis parentibus natus modicus fuit Natus est Gn. Pompeio — exorto civili bello cremonenses cum ceteris eiusdem studii adversarios augusti cesaris adiuverunt.) 5. eod. fol. 18. Servii, qui tamen non nominatur, praefatio in Bucolica sed tantum pars prior. (Bucolica ut ferunt inde sunt dicta a custodia boum id a ΠωTON BVBALωN — quam legem Teocritus vehementer astruit.) 6. eod. fol. 18. vers. *Versus Octaviani Cesaris augusti de laudanda ac affirmanda arte Publii Virgilii Maronis* (versus 36. Ergone supremis potuit vox ultima verbis Tam dirum mandare nefas. ergo ibit in ignes — Laudetur vigeat placeat relegatur ametur.) 7. Fol. 19. *Versus*

*Ovidii Nasonis* (Virgilius magno quantum concessit homero — Livoris titulum prē posuisse tibi.) 8. *Carmen tetrastichon Ovidii Nasonis* (Qualis bucolicis quantus tellure domanda.) 9. 10. 11. Fol. 19. vers. usque ad Fol. 218. Bucolica, Georgica, Aeneis, cum multis glossis ac scholiis. Sed ea desinunt cum Aeneide. 12. Fol. 218. *Incipit Moretum Virgilii* (Iam nox hibernas bis quinque peregerat horas — Atque agit in segetes et terrae condit aratrum.) 13. eadem pag. versus octo hi, sine inscriptione: Ut belli sonuere tubae violenta peremit Yppolite theutranta lice clonon oebalon alce etc. octavus: Argolicus theutras mesus clonus oebalus arcas. 14. ibid. versus sex, sine inscriptione: Sus iuvenis serpens casum venere sub unum. sextus: Sed corpus gelidum perficit ac calidum. 15. Fol. 217. *Incipit Mecenas* (Defleram Iuvenis tristi modo carmine fata — Te venus in patrio collocet ipsa sinu.) 16. Fol. 219. vers. usque ad Fol. 222. *Incipit* DIRA MARONIS 17. ead. pagina fol. 222. *Incipit Priapeia Maronis* (Quid hoc novi est. quid ira nunciat deum. Silenti nocte candidus mihi puer — Venus iocosa molle ruperit latus.) 18. Fol. 223. *Incipit Copa Virgilii* (Copa furisca caput greca redimita mitella — Mors autem vellens vivite ait venio.)

Facile reperiet haec carmina, qui disputata a me de aliis codicibus adire voluerit. Sic quod num. 13. commemoravi epigramma, illud est quod in Thuaneo sub nomine Traiani Imperatoris legitur, Anth. Lat. lib II. CCLVIII. Quod commemoravi num. 14. *Sus iuvenis serpens*, vulgo *de morte trium*, vel *mors trium*, idem in Thuaneo est: ac videntur in Monacensi, ut in Thuaneo, duo tantum disticha esse, nam ultimum in Monacensi distichon, unde versum *Sed corpus gelidum perficit ac calidum* apposui, alio argumento esse patet.

Bonus liber, hoc est, in multis cum iis qui sunt optimi, consentiens: valde memorabilis eo, quod in locis difficilioribus aliquoties correctiones atque coniecturas exhibet. Quid enim indicabimus aliud in v. 31. ubi *in platanis*, et v. 73. ubi *spinas*, et v. 82. ubi *parcarum* legitur? Cf. v. 116. 158.

## *Monacensis II.*

Cod. CCLXI. chartaceus, fol. magn. folia 285. In folio, quod tegumento agglutinatum est, inscriptio legitur: *Liber Doctoris Hartmanni Schedel de Nuremberga* eadem manu, quae codicem scripsit ipsum: unde observat Thierschius fortasse codicem totum ab ipso scriptum esse Schedelio. Quo etiam faciunt quae monuit Thierschius, manum esse

saeculi XV. aut XVI. et Schedelium vixisse saeculo XV. exeunte. Deinde, quo laus libri multum imminuitur, animadvertit idem totum codicem, quantum quidem Virgilium attinet, videri ex eo transcriptum esse, quem Monacensem I. diximus. Et sane ita videbitur omnibus, qui collationem in animadversionibus nostris ad Diras inspexerint; sed non raro peccavit Schedelius, in transcribendo. Praeteriit autem ea, quae in Monacensi I. sunt num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. ita ut incipiat Monacensis II. a tetrasticho, quod dicitur, Ovidii. Post Aeneidem, Fol. 254. usque ad Fol. 265. Moretum, et omnia ea, eodemque ordine, quae retulimus ex Monacensi primo: Dirae quidem Fol. 260. usque ad Fol. 263. vers. Denique: *Incipit Egregium carmen Homeri In Yliadon. Iram pande mihi* etc. Apparet Pindarum esse, qui vulgo dicitur, Thebanum. Finitur ita: *Egregium Homeri Carmen Homeri Pindari in yliadon egregium carmen explicit. Laus deo.* Non expedio, cur Hardtius ap. Heynium folia codicis numeret 242, quum Thierschius diserte 285 esse testetur.

## *Vratislaviensis I.*

Praeteriturus eram Vratislaviam, a qua, maxime post specimina unius codicis Vratislaviensis ab C. Putschio exhibita, nihil in Catonem praeclari, nihil quod non iam ante alii me docuissent libri, exspectabam, quum reputavi, quam facilis mihi illuc aditus pateret, ubi virum esse scirem et doctum, et voluntate a me non aliena. Rogavi Passovium, isque supra omnem spem meam paratus atque officiosus duorum codicum Vratislaviensium, in quibus Dirae insunt, collationem sua manu diligentissime factam misit. Atque ibi in eo de duobus, quem etiam Passovius vetustiorem ac praestantiorem esse monebat, Vratislaviensem I. dicimus, si nihil novi, at rem tamen prorsus inexspectatam vidi. Vratislaviensis I. ita similis ac geminus Monacensi I. est, ut nisi certum esset, unum Monachii, alterum asservari Vratislaviae, facile unum eumdemque esse librum conliceres. Ea similitudo iam eo cognoscitur, quod Vratislaviensi I. ea omnia, quae in illo, eoque ordine, qui est in illo, continentur. Id partim ex iis, quae mihi Passovius scripsit, partim intelligitur ex notitia eius codicis apud Alb. Wachlerum: nam hic est codex, ut mihi indicavit Passovius, quem nuper Alb. Wachlerus libello de Thoma Rehdigero eiusque bibliotheca p. 57. descripsit. Virgilium praecedunt, ut Wachlerus monet, notitia *de origine Troianorum*, et *Daretis Phrygii hist. de vastatione Troiae*: prorsus ut in Monac. I. Proxima quae sint, etsi annotatum non habeo, non dubito tamen quin

eadem sint, quae in Monac. I. media inter Daretem et tria Virgilii opera leguntur. Quae autem sequuntur Aeneidem, accurate numeravit atque indicavit Passovius: Moretum, *Ut belli sonuere tubae*, *Sus iuvenis serpens casu venere sub unum*, in obitum Maecenatis, Dirae, *Quid hoc novi est*, Copa, prorsus eadem, eodemque ordine, quae in Monac. I. Hac tantum differentia, quod epigramma *Ut belli sonuere tubae* septem versibus, et illud *Sus iuvenis serpens* versibus hexametris sex et pentametro uno constare Passovius scribit; et quod desunt his carminibus omnibus inscriptiones sive tituli. Deinde consentire Vratislaviensem I. cum Monacensi I. ubique observabitur in Catone: non quod nihil differant, sed pauci sunt loci, ubi differunt, si conferantur cum illis, ubi consentiunt; qua in re illud maxime memorabile est, quod consentiunt etiam in locis coniectura interpolatis. Num igitur Vratislaviensem ex Monacensi aut Monacensem ex illo descriptum existimabimus? Non puto. Communis codicis utriusque fons fuit, codex unus emendationibus nescio cuius hominis interpolatus: quam ille antiquus, frustra quaero. Monacensem I. ad saeculum XIV. referri posse, Thierschio iudice, diximus; Vratislaviensem I. Passovius, etsi non totum ab eadem manu scriptum putat: nam in Aeneide aliam manum agnoscit quam in carminibus minoribus: tamen totum saeculo XIII. exeunte, vel saec. XIV. ineunte, scriptum coniicit, et Wachlerus l. l. eumdem saec. XIII. ab Arnoldo Placido in Italia scriptum, emptum vero Veronae 13. Febr. a. 1441. tradit. Compendia scripturae in Vratisl. I. pauca, ut neque in Monac. I. multa sunt. Omnino quantum illi laudis tribuimus, tantumdem fere Vratislaviensi I. impertiendum est. at semel vehementer aberravit librarius: v. ad Dir. 65. sqq. et simili modo lapsus est v. 7. cf. ad v. 177. (74.)

Hi sunt quindecim, vel, si Monacensem II. non numeramus, et excludimus, ut videntur excludenda esse, Excerpta apud Heinsium, et Leidensem Burmanni, duodecim libri scripti antiqui. Antiquos dico respectu eorum qui sequuntur. Nam praeter illos partim ab amicis meis, aut a me ipso, partim ante me collati sunt quatuor recentissimi: Basileensis, Vossianus secundus, Vratislaviensis secundus, Helmstadiensis. Quorum tres priores non ex codicibus scriptis, sed ex primis Virgilii editionibus, Romanis, aliis, descriptos arbitror. Mira res, et quae multis incredibilis videatur: sed tamen id de uno, Basileensi, tam certa demonstratione probabitur, ut probabile fiat etiam de caeteris. Et per se quidem nihil hac in re quod incredibile sit, codicem scribi ex libro edito; poteritque et aliis exemplis, si opus sit, demonstrari, factum id esse nonnunquam, et cur factum sit, probabiliter coniici. Veluti fieri

potuit, ut qui Virgilium aliumve scriptorem pro mercede scribendum in se recepisset, cum ex libro edito, quod multo facilius, quam ex libro scripto, mallet scribere. Id accidisse suspicor in Guelpherbytano Catulli, Tibulli et Propertii codice, 65. 2. Mss. quem codicem quum a Gallis asportatum Parisios in Bibliothecam tunc Imperialem, cum Langero diu ac vehementer doluissem, postea, dum receptum ac restitutum Bibliothecae Guelpherbytanae examino, elegantem ac valde nitidum esse intellexi, at re vera duobus aliis codicibus, Nr. 283. Gud. et Nr. 332. Gud. quos tum Galli reliquissent Guelpherbyti, multo deteriorem. Quippe tam similis est editioni horum poetarum Brixianae (1486.), ut aut ex hoc codice editio Brixiana expressa esse, aut, quod multo probabilius, codex descriptus ex Brixiana esse debeat. Igitur quum uni e scriptoribus, quos multos Matthias Corvinus in Italia, et maxime Florentiae, alebat, ut locupletaret Bibliothecam Budensem: nam eam originem videri huius codicis esse docuit me Langerus: igitur quum uni e scriptoribus istis impositum fuisset, ut Catullum, Tibullum et Propertium scriberet, ille non, quod exspectabat Rex, ex veteri exemplo scripto, sed ex editione Brixiana poetas eos descripsit, at operam dedit, ut nitide describeret. Haec quidem de Guelpherbytano illo coniectura est mea, quae vera esse nequit, si illud verum sit, quod nunc Ebertus libro de Codicib. Bibliothecae Guelpherbyt. p. 43. tradit, esse eum codicem a Clemente Salernitano saeculo XV. medio scriptum. Sed graecos etiam codices exstare, ex editis exemplaribus scriptos, nisi iam animadversum esset ab aliis, sponte crederem: cf. Welcker. ad Theognid. Proleg. p. cxxv. Idem cur putem in Virgilio accidisse, et de quibus codicibus putem, semel dicam hoc loco. Ac primo unum magnum omnique dubitatione exemtum documentum codex Basileensis est. De Vossiano II. et Vratislaviensi II., in quibus non sunt tam certa, quam in Basileensi, indicia, ita argumentor. Inter codices manu scriptos Virgilianos, quotquot vel nunc exstant, vel quorum ad nos pervenit notitia, nullus, quantum scio, antiquus inventus est, qui Opusculorum carminumque minorum collectionem tam plenam habeat, qualis est in editione Romana secunda; nedum qui talem, qualis in Venetis Rubei et Iensoni. Antiquum hic dico eum, quem ante inventam artem typographicam scriptum esse constet. Nullus qui praeter reliqua complectatur etiam Cirin, Aetnam, Catalecta. In Romanam II. ipsam non ex uno quodam codice ista confluxisse omnia, sed ex variis codicibus, congesta esse constat. Eodemque modo editiones, quae auctam, post Romanam secundam, collectionem continent, haud dubie non ex uno codice, qui illa continuerit omnia, sed ex variis codicibus, quorum unus haec, alius alia contineret, auctam habent. Itaque qui codex et collectionem carminum ei, quae

est in editionibus antiquis, simillimam, et carmina ipsa ita constituta atque scripta habet, ut fere consentiat cum editionibus antiquis, eum, nisi scriptum esse ante inventam artem typographicam demonstrari queat indiciis externis atque testimoniis, ex editionibus descriptum antiquis arbitror.

## *Basileensis.*

Cum codice Basileensi ita coniuncta est apud me Broemmelii memoria, ut hunc prius salutare debeam, antequam exponam de codice. Non tantum enim gaudeo, quod collatum habeam codicem, quantum eo gaudeo, quod habeo a Broemmelio meo collatum, et ea quidem diligentia atque insuperabili industria collatum, quae mihi prisci amoris amicitiaeque nullo tempore imminuendae praeclaro modo testes fuerunt. Modum excessimus uterque, ego petendo, quaeritando; ille conferendo, describendo, respondendo. Quod eo maius, quum Broemmelius quamvis probe exercitatus in his studiis, tamen alium honoris campum sibi elegerit, in quo elaborat industrie atque ingeniose. Utinam recuperet patria virum sollertissimum. Utinam mihi coeptam Halis inter collegas familiaritatem repetere aliquando atque continuare detur.

Inter codices Virgilianos, qui Basileae in Bibliotheca publica exstant non pauci, ex parte satis, ut videtur, antiqui, unus est qui praeter Opera continet etiam Opuscula et carmina minora. Scriptus est in papyro, fol. med. non ab una manu, sed a duabus, inter se diversis: una scriptura grandis, luculenta, pura; altera, quae ubi incipiat statim indicaturus sum, compressior, multo minus luculenta. In Bucolicorum libro, et in singulis Georgicorum atque Aeneidos libris litterae librorum initiales in imaginibus positae sunt, diligenter pictis; in carminibus minoribus pictae quidem variis coloribus et artificiose inflexae sunt initiales, sed nullae imagines. Ad Bucolica, Georgica, et Aeneidem variantes lectiones in margine adscriptae reperiuntur; ad carmina minora omnino nullae. Iam hic liber, quem Broemmelii mei labore ac beneficio tam bene novi, quam si ipse contulissem, aut totus aut longe maximam partem descriptus est ex editione Romana II. Id ut omnibus pateat, indicabo quae in codice Basileensi continentur omnia, titulos, et ubi opus sit, initia et conclusiones carminum, omnia non ex praefixo codici Indice, sed ex ipso libro exscripta: addo numeros. 1. Io. Andreæ Epiſcopi Aleriensis in Cyrno: idest Corſica insula: in primam Virgilii impressionem, ad Paulum II. Pontificem Max. Epiſtola Incipit. (Eloquentiæ ſplendore — foeliciſſimamque perpetuitatem exoptent. Vale.)

2. Io. An. etc. in Secundam Virgilii impressionem, ad Pomponium infortunatum fuum : Ep̃ta; (Hucusque epistolam clauseram — fedulitate tua effecifti. Vale;) 3. P. Virgilii Maronis vita. (Virgilius Maro: natus Idibus octobris etc. in fine est epigramma: Mantua me genuit — pascua: rura: duces.) 4. Alcinius poeta : de laude Virgilii (De numero uatum — quifque fecundus erit.) 5. Cornelius Gallus poeta: de Aeneide Virgilii. (Temporibus lætis — cæsaris ora dei.) 6. P. Virgilii Maronis Hortulus. (Adeste musæ maxumi proles Iouis — multiforme gaudium.) 7. Argumenta XII librorum Aeneidos. (Aeolus immittit uentos iunone precante — Palantea necem misero dant cingula turno.) 8. P. Virgilii Maronif Culex : ad Octauium. 9. P. Virgilii Maronif: Dire, idest carmen execratorium: ad Battarum. 10. P. Virgilii Maronif: Copa. 11. P. Virgilii Maronis : Est & Non est. 12. P. Virgilii Maronis: Vir bonuf. 13. P. Virgilii Maronif: Rofæ. 14. P. V. Maronif: Moretum. 15. P. Virgilii Maronis : Versiculi ad Cæsarem. De eius deificatione. (Nocte pl. t. r. sp. m. — cum Joue Cæsar habes.) 16. Pro mercede fuscipienda a Cæsare. (Hos ego uersiculos feci tulit alter honorem S. u. n. u. mellificatis apes — uellera fertis oves — fertis aratra boues — nidificatis aues.) 17. De pulchritudine Cæsaris Augusti. (hic unus versus: Natus es o pulcher pene puella puer.) 18. P. Virgilii Maronis : in Baliftam latronem distichon. (Monte fub hoc l. t. B. fepultus Nocte : die tutum c. u. i.) 19. Versus P. Ouidii Nasonis in Argumenta librorum Georgicon Virgilii. (versus quatuor : Qualis bucolicis — lege carmina nostra.) 20. Summa Virgilianae narrationis in tribus fuis operibus precipuis; (Pastorum mufam uario — moesta fub umbras.) 21. P. Virgilii Maronis Bucolica. 22. Georgica. 23. Aeneis. De argumentis P. Ovidii Nasonis, quae Georgicorum et Aeneidos libris praeposita sunt, fortasse alibi monebo. Praeterea Georgicis octo Ovidii, ut perhibetur, versus praemittuntur, quorum primus: Tityrus agresti modo lectus carmine ruris; ultimus: Contineat quæ quifque liber: lege carmina nostra; et Aeneidi haec praemittuntur: P. Ouidii Nasonis metrica praefatio in Argumenta librorum Aeneidos P. V. M. (Virgilius magno quantum concessit Homero — Liuoris titulum præposuisse tibi;) P. O. N. Argumentum in totum opus Aeneidos P. V. M. (versus duodecim: Primus habet libycam — Turni nec finem;) Denique versus quatuor: Ille ego qui quondam — At nunc horrentia martis, seiuncti a reliquis, et initio Aeneidos ipsi praepositi sunt, cum hac inscriptione : Carmina P. V. M. principio Aeneidos per Varum & Tuccam detracta. 24. Incipit Argumentum in Tertiumdecimum a Mapheo Vegio fup̄additum. (versus tres: Victori Aeneæ subdit fe — regnat: tum fidera fcandit. Tum sequitur liber Maphei ipse: Turnus ut extremo — Indigetem appellat: templisque imponit honorem.) 25. De extrema

Virgilii uoluntate Versus Sulpicii Carthaginiensis. (Iusserat hæc rapidis — Troia cremata rogo.) 26. Exclamatio Cæsaris Augusti in iussum Virgilii pro Aeneide comburenda. (Ergone supremis potuit — placeat relegatur ametur.) Post hoc carmen incipit manus altera. 27. Epitaphia Virgilio ab illustribus viris edita. (versus triginta, quorum primus: Conditus hic ego sum, cuius modo rustica Musa; ultimus: Parthenope cecini pascua, rura, duces. Igitur Epitaphium *Mantua me genuit* etc. bis legitur in hoc codice. Adfuit enim iam supra n. 3. in Vita Virgilii.) 28. Musarum nomina & officia (versus quindecim, sed quorum tantum undecim priores versus sunt proprie, quatuor postremi prosa sunt, prorsus ut in Veneta Rubei.) 29. Incerti autoris Elegia. (Defleram iuuenis tristi — collocet ipsa sinu.) 30. P. Virgilii Maronis Aethna quæ ab aliquibus Cornelio tribuitur. (Aethna mihi ruptique — domus & iura piorum.) 31. P. Virgilii Maro. Ciris ad Messalē. 32. P. Virgilii Maronis Catalecton. Priapus loquitur (Vere rosa autūno — Datur tibi puella quam petis datur.) Comparentur haec cum descriptione nostra Romanarum I. et II. patebit simillimum, ac geminum esse codicem Basileensem Romanae maxime secundae, vel potius natum ex illa. At vix opus comparatione. Conficit rem hoc unum, quod insunt in cod. Basileensi Epistolae Ioannis Andreae Episcopi ad Paulum II. et Pomponium. Addo insuper aliud. Quum primum inspexissem collationem codicis Basileensis, mirans vidi lacunas esse in Ciri nonnullas, et plures etiam in Catalectis. Inquisivi; easdem cognovi in Romana II. esse. Quodsi quis descriptionem Romanarum nostram non prorsus consentire cum hac descriptione codicis Basileensis, v. c. diversas esse inscriptiones multorum carminum, animadverterit, is cogitet descriptionem Romanarum, quam exhibeo, non ex ipsis libris ductam, sed ex praefixa iis libris Tabula esse. Sic versus quos commemoravi num. 16. 17. eodem loco legi in Romanis coniicio, quo in cod. Basil. leguntur, sed omissos esse in Tabula propter brevitatem. De Maphei libro dubito utrum insit in Romanis, an non insit. Si insit, facile explicabitur, cur nulla eius mentio fiat in Tabula: nimirum quod alienum erat ad Virgilium additamentum. De Aetnae, Dirarum, Elegiae in Maecen. ob. titulis paullo post monebitur in Romana II. Vel sic tamen non expedio omnia, et quaeri posse hic illic video, an praeter Romanam II. vel praeter Romanam utramque, alium fontem habeat codex Basileensis. Animadvertimus in Catone aliquoties discedere codicem Bas. a Romanis: sed haec fortasse omnia eiusmodi sunt, ut librarii, qui Basileensem scripsit, aut negligentiae aut emendandi studio tribui queant. Verum quid de eo dicemus, quod versus 22, Aeneid. lib. II. 567. usque ad 588. adsunt in utraque Romana, desunt in codice Basileensi? Coniicias

hoc saltem loco aliam editionem vetustam ad manum fuisse librario. Nihil exputo quod probabile sit. Ad Epistolam Episcopi Aleriensis post verba *in primam Virgilii impressionem, ad Paulum II. Pontificem Max.* haec inserta sunt in cod. Basileensi, sed a manu negligenti, et quae codice ipso recentior est: *circa annum christi* 1465. Quae coniectura est de anno editionis Romanae I. infelix, ut infra demonstrabitur.

Codicis Basileensis, vel potius virorum doctorum in eo codice singularia fuere fata. Primam eius mentionem in Epistola N. Heinsii ad I. G. Graevium T. IV. Syll. Burm. p. 148. reperio; cf. ibid. p. 236. Est haec statim parum accurata loquutio, qua etiam Burmannus Epist. ad Hoppium p. LV. utitur, *codex Catalectorum Virgilianorum Basileensis*: quis enim qui hoc legerit, codicem omnia Virgilii opera atque opuscula complectentem exspectat? Ex eo codice excerpta ad Cirin Heinsio miserat Io. Rodolph. Wetstenius, Bibliothecae Basil. tum praefectus. Eadem ex schedis vel ex aliquo exemplari Heinsii, communicante Burmanno, Schraderus habuit: cf. Schraderi Emendationum liber p. 31. 54. 56. alibi. Rursus ex margine libri alicuius, in quem ea coniecerat Schraderus, eadem H. Friesemannus, sed iam non eadem. Quantum enim longa via, dum ex una manu in alteram traduntur, lectiones codicis Basileensis, nescio utrum aliqua Wetstenii an Heinsii culpa, sed magis puto Schraderi, et maxime Friesemanni culpa ac negligentia, immutatae ac deformatae fuerint, vix dici verbis aut credi oculis potest. Non dico usitatam multis, qui libros conferunt, negligentiam, vulgares errores: ita illae immutatae sunt, ut saepe de eo, quod in codice Basileensi scriptum esse Friesemannus dicit, saepe nec vola nec vestigium appareat in codice Basileensi. Sic quod Schraderus Emendat. p. 56. scribit in Ciri v. 218. codicem Basileensem *nictantia* habere in margine, omnino falsum est: Basileensis in versu ipso *nutantia* habet ita scriptum, ut etiam *nictancia* legere possis, nam *t* et *c* litterae, diserte monente Broemmelio, in hac posteriore codicis parte valde sunt inter se similes, et vix ubique dignoscendae; in margine nihil. Friesemannus in Basileensi ad Cir. v. 14. et rursus ad v. 148. ad v. 294. ad v. 321. aliquid adscriptum esse tradit: at, quis credat? re vera nihil quippiam ad hos locos adscriptum in Basileensi. Igitur haec immanis quaedam perturbatio atque confusio est, sed facile explicanda. Collationi codicis Basileensis, quam ante oculos habebat Friesemannus, aliae aliunde lectiones, etiam coniecturae, adspersae erant atque intermixtae, quas ille cunctas secure ad Basileensem retulit. Et fortasse ea confusio iam a Schradero et Heinsio incepit: cf. Heinsii ad Graevium Epist. p. 420. T. IV. Syll. Burm. Melior apud Heynium collatio, ex schedis Heinsii non ipsius, ut videtur, sed accurate, descriptis a Schradero, quamquam

ne haec quidem satisfacit. Defungar uno exemplo. Ad Cir. 66. haec est de codice Basil. observatio Heynii: *in ms. Basil. ad verba* sed siue Erechthei *est superscriptum* Ipse — matrem. Ita Heynius. Quid codex? Non cogitavit bonus librarius de superscribendo: scripsit versum qualem reperiebat in Romana sua:

*Ipſe . . . matrem ſed ſiue erichthei*

Verum huic errori ansam haud dubie dedit ipse, qui contulit codicem, Wetstenius. Aliud insigne exemplum supra Diss. II. vidimus, ex Ciri v. 303. Cf. quae passim e cod. Basil. refero, supra in descriptione Vossiani I. et Diss. III. Accurate haec exposui, ut fidèm conciliarem iis quae de confusione simili disputavi in Thuaneo, et in Vossiano I. Cf. quae eamdem in rem statim atque certa dicturus sum de Vossiano II. et quae paullo post de exemplari Oudendorpii.

## *Vossianus II.*

N. 78. Catal. Bibliothecae Publ. Universitatis Lugd. Bat. pag. 374. scriptus in papyro, fol. sed primum folium pergamenum est. In hoc libro quo plus temporis atque operae consumpsi, eo nunc ero brevior. Prorsus persuasi mihi esse hunc quoque librum ex editione vetusta descriptum: tam similis est editionibus vetustis, et quidem iis, in quibus iam plena est Opusculorum carminumque minorum collectio, Venetis Rubei, Iensoni, Vicentinae. Ordo tantum diversus est. Nam incipit codex, ut Veneta Iensoni: Pub Virg Ma Vita. (Donati) Alcinii versus. Cornelii Galli versus. Pub Virgi Ma Hortulus. De Vino et Venere. De liuore. De Cantu Sirenarum. Eiuſdem (Clarus inoffenso —) De fortuna. De Orpheo. De se ipso (Mellifluum quisquis — singula. trina mihi.) et rel. carmina minora; Opuscula vero quae dicimus, haec: de institutione boni viri, de Rosis, Moretum, Est et Non, Copa, Ciris, Catalecton, Ad Priapum, (Carminis incompti lusus et reliqua Priapeia, etiam illud *Rusticus ærari quondam nunc uilicus orti*, et hoc *Quid hoc noui est — ruperit latus*) Culex, Dirae, Aetna, Elegia in Moecenatis obitu, et de Signis Caelestibus (Primus adest aries. — et piscis vltimus ordo;), inter Georgica et Aeneidem inserta sunt. Ac sunt eo loco, ante Aeneidem, plures paginae vacuae relictae, fortasse quod plura carmina additurus erat librarius, si invenisset. Quae ultimo loco commemoravi, hexasticha de Signis Caelestibus, in Catalogo l. l. p. 374. parum accurate *Epigrammata* dicuntur. Sunt sane in hoc codice epigrammata nonnulla, quae frustra quaeras in Venetis illis, et in Vicentina: verum ea ab eodem quidem librario, sed, ut scriptura atramen-

tumque arguere videtur, alio tempore, iam absoluto codice, inserta. Sunt autem haec. In Vitam post versus Sulpicii Carthag. inculcavit illud, quod in Anth. Lat. Burm. lib. II. CXCVI. *Diruta que flammis olim — dignior ultor erat*; cum hac inscriptione: *Quidam alius.* Praeterea ibid. paullo post (§. 58. ed. Heyn.) carmen Augusti, quod dicitur, inculcavit integrum: *Ergo non supremis — placeat. relegatur. ametur.* Deinde in paginam, quae proxima est ante initium Aeneidos, quam paginam antea vacuam reliquisset, haec coniecta sunt a librario: *Laus Virgilii* (Alter homerus ero. — si potero. Anth. Lat. lib. II. CLXXIX.) *Virgilius in laudem homeri* (Meonium quisquis — cultus ager. oblitus erat librarius se hoc iam scripsisse, et quidem uno disticho plenius, sub titulo *De se ipso*: v. paullo ante.) *Alexandreis* (quod carmen integrum apponam, quum non statim reperiam alibi: *Arbitror augmentum quod tantum tantus habere Post obitum meruit praeconemque hector homerum O utinam nostros resoluto corpore tantis Laudibus attollat non inuida fama triumphos*;) Adduntur ibidem pauca quaedam, prosa oratione, ad historiam belli Troiani pertinentia, ut de tempore atque annis eius belli, ex Darete Phrygio, et Genealogia troianorum, quae sic incipit: Phrigia in minori est asia etc. Haec igitur propria Vossianus II. habet, nescio unde ducta. Verum ego neque illud definire audeo, quam editionem vetustam librarius in Operibus Virgilii et reliquis, quae habet cum editionibus vetustis communia, carminibus expresserit. Coniicias plures librario editiones ad manum fuisse, ita ut in uno opere hanc, in alio aliam, vel etiam in eodem opere nunc hanc nunc illam sequutus sit. Omisit librarius versus 22, Aeneid. II. 567. usque ad 588. apposuitque in margine admonitionem: Hic constat esse detractos versus quibus continebatur eneam voluisse helenam interfecisse. quod turpe viro forti esse videbatur. At in Veneta Rubei, et haud dubie Iensoni quoque, et in Vicentina 1479. adsunt versus illi. Viro bono haec inscriptio in Vossiano II. praeposita est: *de institutione boni viri.* et Rosis haec: *Carmen de Rosis Nascentibus seu de labilitate vitæ humanæ ad modum Rose incipit*: quas ego in nulla editione vetusta, praeterquam in Lovaniensi, repperi. At in his carminibus, Viro bono et Rosis, ipsis scriptura Vossiani II. inter Lovaniensem et Venetam Rubei Vicentinamque fluctuat ita, ut propius ad has quam ad illam accedat. Ego quum omnia considero, nullam invenio, quae magis Vossiano II. similis sit, in Opusculis quidem, quam Vicentinam. Id de Catalectis iam persuasum puto ei, qui supra a me in descriptione Vossiani I. disputata legerit: ubi saepe Vossiano II. mirum in modum convenire, etiam in rebus minutis, vitiisque, cum Vicentina convenire contra alios libros vidimus. Ut unum, idque magnum, commemorem, commune Vos-

siano II. cum Vicentina est supplementum septem versuum in carmine in Noctuinum (Catalect. IV. ed. Heyn. Anth. Lat. lib. II. CCXLV.), et sedecim versuum priorum carminis quod sequitur (Catal. V. ed. Heyn. Anth. Lat. lib. II. CCXLVI.) Quo loco etiam in scriptura convenit fere ubique Vossiano II. cum Vicentina, his exceptis, quae sunt in Vossiano II. meliora: carm. IV. ed. Heyn. vs. 9. *Thalasio thalasio,* non, ut in Vicentina, *Thalasio thalasso.* carm. V. vs. 8. *quid* vs. 14. *per somnium* vs. 15. *inscio,* ubi Vicentina: *quin, personum, ruscio.* Deinde praeter ea, quae in descriptione Vossiani I. protulimus, alia sunt Vossiano II. cum Vicentina communia. ut Catalect. I. ed. Heyn. v. 5. *Venerit aut tibi sed iam mihi nuncius iste* Voss. II. cum Vicent. ubi in cod. Basil. et Ven. Rub. *Venerit aut ibi* etc. *tibi* annotavi etiam ex Veneta Iens. Catalect. VIII. ed. Heyn. v. 4. *præterite* Vicent. *praeteritæ* Voss. II. ubi *præterire* in caeteris vulgatis. ibid. v. 18. contra metrum *dextra* et v. 20. *dies* Vicent. et Voss. II. ubi caeteri vulgati *dextera* et *deis.* Catalect. XI. ed. Heyn. v. 45. *Immoderata pati iam frigora iamq; calores* Voss. II. et sic Vicent. nisi quod retinet Vicentina *patri*, vitium reliquorum librorum vulgatorum, codicis Basil. Venetarum Rub. et Iens. in quibus *patri iam sydera* (*sidera* Basil.) *iamq; c.* Non tamen ubique consentiunt Vicentina et Vossianus II. Differunt in Catalect. carm. II. ed. Heyn.; neque Catalect. XI. 33. Vossianus II. illud Vicentinae supplementum agnoscit. Et omnino quum simillimum Vicentinae 1479. dico Vossianum II. esse, non hoc volo, descriptum esse Vossianum II. ex Vicentina 1479. Hoc statuo, usum esse librarium, qui hunc Vossianum scripsit, editione vetusta, quae sua praeiverit Vicentinae 1479.

Apud Burmannum libri huius hic illic mentio fit ad Anthologiam Lat. Verum hic quoque est quod vehementer caveas: confudit enim Burmannus hic quoque diversos Vossianos eum in modum, nemo ut expedire se queat, nisi ad fontes rursus adscenderit. Anth. Lat. lib. II. CXXX. qui ad versum 10. Burmanno laudatur *MS. Voss.* fortasse est noster Vossianus II. Ibid. CCXLII. qui ad versum 1. *liber papyrac. Vossii,* haud dubie noster est Vossianus II. qui ad versum 4. *Cod. MS. Vossianus,* is quem nos Vossianum I. diximus. Ibid. CCXLIII. qui ad vs. 2. et 13. laudatur Burmanno, *cod. Vossianus*, Vossianus I. est; ad versum 11. nihil omnino veri de Vossianis Burmannus: nam re vera in Vossiano I. ita fuit: *Ite hinc Camoenæ vosque limite sene.* in Vossiano II. ita: *Ite hinc c. nam nos quoque limite fœuæ* ut in cunctis editionib. vetustis, quas ego habui. Cod. Basileensis: *Ite hinc camene nam nos quoque lamite fene.* Ibid. CCXLIV. qui ad versum 2. et 4. laudatur *cod. Vossii*, Vossianus II. est; at vs. 5. in uno tantum Vos-

siano I. *percinat* fuit, in Vossiano II. *pertinet* ut in editionib. vetustis et codice Basil. Ibid. CCXLV. vs. 1. Vossianus I. cum cod. Basil. et Venetis Rub. Iens. *repuditum*; Vossianus II. cum Vicentina *Superbe noctui et recutitum c.* Versus ultimus eius carminis in Vossiano II. ita: *Thalasio thalasio,* in Vossiano I. ita: *Talafio Tutafio* conceptus erat. Ibid. CCXLVI. quae usque ad versum 16. afferuntur a Burmanno, partim ex Vossiano II. partim ex Vossiano I. videntur esse; quae ad posteriorem partem carminis, ea ex Vossiano I. esse certum est, ut vs. 19. *Non ne* v. 31. *dote* v. 32. *offusque labiffanus* Eadem alibi res est. V. c. excerptis Vossiani I. quibus Burmannus ad Priap. LXXXIV. LXXXV. LXXXVI. usus est, admixtum est aliquid ex Vossiano II. scilicet *quibus* LXXXVI. 17. Sic Vossianus II. cum Vicentina. Vossianus I. quum nihil ad eum locum annotaverit Is. Vossius, *queis* habuisse, ut Aldina, vel potius *quis,* ut Veneta Rub. et Iens. cum cod. Basileensi, putandus est. Haec qui reputaverit, illud, quod supra conieci de commixtis a Burmanno ad Catonem lectionibus Vossiani I. et Vossiani II. non ineptam esse coniecturam fatebitur.

## *Vratislaviensis II.*

Alb. Wachler. de Thoma Rehdigero eiusque Bibl. p. 40. Scriptus in papyro: folium primum pergamen. Recentiorem multo deterioremque Vratislaviensi I. esse, saeculo XV. scriptum, et Passovius monuit, et arguunt ea, quae insunt, Nicolaus de Valle, Leonardus Dathus: est autem codex totus ab una eademque manu scriptus, quod diserte testatur Passovius. Insunt haec. Calpurnius Siculus. Nicolai de Valle Interpretatio latina metrica Hesiodi Opp. et D. Brevis Virgilii Vita, prosa oratione: eadem haud dubie, quae est in cod. Basileensi. Iam sequentia ut breviter percurrere possim, felix Passovii industria effecit, qui et ordinem carminum, et quae sint carmina, indicavit accuratissime. Quare satis est comparationem instituere cum cod. Basileensi, et monstrare singula, ordinemque singulorum, numeris, quibus in cod. Basileensi usus sum. Igitur Vitam excipiunt haec: 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. (de versu qui in cod. Basil. est n. 17. Passovius nihil) 18. 19. 20. Tum post paginam vacuam: 30. 32. Sequuntur *Excerpta ex Priapeia*, et quidem haec quae sunt apud Burmannum 1—4. 6—14. 16—25. 27—52. 54—63. 65—83. Tum quae in cod. Basil. sunt: 25. 26. 27. (disticha quindecim, quorum riat postrema haec: Subduxit morti etc. Lucis damna nihil etc. Mantua me genuit etc.) 28. (prorsus ut in cod. Basil.) 29. Denique: *Leonardi*

*Dathi ad Gregorium Corrarum Venetum in quasdam fabellas Esopi prefatio,* et fabulae 40, distichis scriptae. Inscriptiones carminum nunc eaedem sunt, quae in cod. Basileensi, ut n. 9. 32. 28. 29. alibi, nunc differunt nonnihil. Commemorabo potiora. n. 4. *Alcinus* est, non *Alcinius.* n. 15. 16. simpliciter *P. V. M. versiculi.* n. 20. *Que contineantur in tribus operibus Virgilii.* n. 30. *P. Virgilii Maronis Aetna que a quibusdam Cornelio tribuitur.* et in fine: *P. V. M. Aetna finit. etsi nonnulli Cornelio tribuantur.* n. 26. *Octavii Augusti pro Virg. Aeneid. versus.* Post n. 20. τελῶς scriptum, et quae sequitur pagina vacua relicta est. Rursus post n. 32. *Finis* scriptum, et *Excerpta ex Priapeia* novam paginam incipiunt; rursus post haec Excerpta *Finis* scriptum, et n. 25. novam paginam incipit. Unde colligas statim ab initio non propositum fuisse librario, ut opuscula Virgilii et carmina minora scriberet cuncta, sed eum ex libro, quem ante oculos habebat, nunc hoc, nunc elegisse illud. Habuit autem ante oculos, nisi fallor, aut Romanam II. aut, quod malim, aliam vetustam ex Romana II. derivatam. Id quod et facies libri tota suadet, et in Catone persuadet collatio, qua, praeter vitia manifesta non multa et levem in rebus orthographicis varietatem, nihil proferri ex Vratislaviensi videmus, quod a Venetis Rubei et Iensoni discedat, si duo, v. 85. et 116. (13.) exceperis. quae correctioni, sed admodum infelici, tribuo.

Caeterum hic est, ut Passovius monet, *Cod.* 2. quem Frid. Iacob. Praef. in Aetnam p. IX. frustra a se esse quaesitum scribit: at semper fuit in Bibliotheca Rehdigeria. Similitudinem eius cum editionibus antiquis agnovit etiam Iacobus p. XIV. sq. Hoc tantum differt inter me et Iacobum, quod eam similitudinem explicamus diversis modis. Ego enim etsi illum codicem, ex quo primum edita Aetna fuit, similem fuisse huic nostro persuasissimum habeo, hunc tamen nostrum ipsum, ut dixi, expressum ex editione antiqua statuo.

## *Helmstadiensis.*

Nunc Guelpherbytanus: Ebert. Bibl. Guelpherbyt. Codd. Gr. et Lat. 917. pag. 174. olim Helmst. 332. Conf. quae de eo passim Wernsdorfius ad Poetas Minores, To. II. p. 257. To. III. p. LVI. p. 151. sq. To. IV. p. 31. et Heynius de Virg. Codd. Ms. Vol. V. p. 420. Prooem. in Culicem p. 12. in Cirin p. 102. Hunc, qui faciem libri, id est, eorum quae continet ambitum, consideret, deinde qui recentissimum esse, scilicet, quod Frid. Iacob. Praef. ad Aetnam p. VIII. docuit, a. 1470. et 1474. scriptum, non a. 1450. et 1454. quod antea tradebatur, re-

putet, facile, ut alios, ex editione descriptum esse vetusta coniiciat; sin ea, quae ex illo afferuntur singula perpendas, aliter statuendum erit. Non credibile est, quae ex Helmstadiensi ad Catonem Wernsdorfius, ad Culicem et Cirin Heynius, ad Aetnam Fr. Iacobus protulerunt, singularia ex parte, et a scriptura vulgata satis longe recedentia, in ulla editione antiqua fuisse omnia. Ad Catonem quae protulit Wernsdorfius, quae ego repetere satis habui, quum mihi ad Bibliothecam illam non amplius aditus pateat tam facilis, quam patebat Langero vivente, viro optimo et quasi paterna erga me benevolentia: ad Catonem, inquam, quae protulit ex Helmstadiensi Wernsdorfius, eo maxime memorabilia sunt, quod confirmare atque corroborare auctoritatem Aldinarum videntur, ut Dir. 78. Tamen non multum Helmstadiensi tribuendum, etiam consentienti cum Aldinis, censui, nisi alii libri accederent. Illud doceri velim, an ab eadem manu sint omnia. Duas cerni in cod. Helmst. manus Wernsdorfius Prooem. in Aetnam T. IV. p. 31. observavit, et saepius monet ad Aetnam Iacobus.

Alios codices Catalogi Bibliothecarum monstrabunt. Mediceos indicavi supra. A Bottario duo, in quibus Dirae, recensentur Praef. ad Fragmenta Cod. Virg. Vatic. p. XIII. et p. XX. Cod. Vat. 1586. et Cod. Urbinas 350. Omnino utile erit, si quis imaginem codicum eorum, in quibus Dirae et Opuscula Virgilii, quae dicuntur, alia inveniuntur, accuratam informare suo animo velit, perlustrare Praefationem Bottarii, Bandinii Catalogum, et qui alii Catalogi cum aliqua cura facti sunt. Animadvertet autem codices fere omnes carminum quae insunt numero similes esse his, quos ego descripsi. Sic, etsi hoc non pertinet ad carmina, mature coeperunt de origine Troianorum notitiam praefigere Aeneidi: vidimus in Monacensi I. et Vratisl. I. Cf. Cod. Alexandr. 1670. ap. Bottarium p. XIX. et ex tali quodam codice profecit is qui Vossianum II. scripsit. Iis libris, de quibus rumore tantum, eoque obscuro, constat, annumerandus Caesaraugustanus: Iac. Gronov. ad N. Heinsium Epist. Syll. Burm. T. III. p. 555.

Superest ut exemplaria librorum editorum nonnulla, in quibus aliquid scriptum a viris doctis annotationis repperi, recenseam. Atque in Leidensi quidem Bibliotheca praeter illa duo, de quibus in codicibus Petaviano Thuaneoque, et in Vossiano I. dictum est, alia duo versavi. Unum Appendicis Virgil. ed. Scalig. 1595. exemplar, ex Biblioth. Is. Vossii, Catal. Bibl. Univ. L. P. p. 275. Hist. 507. cui Is. Vossius tam in Diris quam in aliis opusculis carminibusque varias lectiones adscripsit. Verum sunt illae fere omnes, quod diserte monet Vossius,

ex edit. Ald. aliae ex editione Pithoei: ex MS. nihil, praeterquam ad carmina aliquot minora, ut pag. 86. ad carmen *Corinthiorum amator iste verborum*, et pag. 140. 141. 142. Adspersit etiam Is. Vossius coniecturas nonnullas suas, quas ad Diras religiose commemoravi: una iam erat apud Burmannum; haud dubie ex eodem exemplari, ut ex eodem Burmannus Anth. Lat. lib. I. LXIII. 9. coniecturam Vossii *insignicoloribus* habet, neque aliud exemplar, puto, significat Anth. Lat. lib. II. CXCVI. Magnam exspectationem movebat, quum primum conspicerem, exemplar editionis Scalig. 1617. totum refertum annotationibus, et maxime collationibus, a manu Oudendorpii. Videbam laudari MSS. ad Diras duo, V. 1. et V. 2. et sic ad alia carmina, v. c. ad Copam quatuor, V. 1. 2. 3. 4.; ad Moretum tres. Mox cognovi nihil inesse, quod non melius discere aliunde possem: nihil repperi collationis neque in marginibus, neque in schedis quae ei exemplari adiectae sunt, quod non ex ipsis opibus Bibliothecae Leidensis haustum sit. Sic statim quas ad Culicem collationes adscripsit Oudendorpius, descriptae sunt ex illo exemplo Vossiano editionis Scalig. 1573. Ad Diras V. 1. ex eodem exemplari, ille quem Thuaneum esse demonstravimus; V. 2. is qui nobis Vossianus II. est. Ad Cirin et Aetnam nulla collatio codicum, sed annotavit Oudendorpius, quod etiam ad Diras facit aliquoties, locos virorum doctorum, Nicolai Loensis, Barthii, al. Ad Moretum qui conferuntur tres, sunt Thuaneus ille Vossii, Vossianus II. noster, et Voss. membr. 81. Catal. p. 389. Ad Copam: Thuaneus ex illo exemplo Vossii, Petavianus ex eodem, Vossianus II. Vossianus membr. 81. et Vossianus 96. Catal. p. 390. Vossianum II. etiam ad Lusus in Priapum, et Catalecta adhibuit, ac praeterea usus est Vossiano 33. Catal. p. 379. et antiquo illo codice Ausoniano. Pag. 149. et 150. diserte annotavit: *Misi Burmanno* 15. *Maji* 1757. conf. Burmann. ad eos locos, Anth. Lat. lib. II. CXCII. et CXCIV. Non magis profuit ad Diras quod olim habui ex Bibliotheca Guelpherbytana exemplar editionis Scalig. 1595. cui ipse Frid. Lindenbruchius multa adscripsit. Indicaverat Lessingius, disputatione sua de Epigrammate et poetis epigr. (G. E. L. Sämmtliche Schriften, T. I. Berol. 1771.); nunc illud inter Codices Bibliothecae Guelpherb. retulit Ebertus p. 174. Moretum cum Ms. Florent. contulit ibi Lindenbruchius; cum eodem, vel cum alio, Priapeia, et in his quidem Ms. Lindenbruchii convenit fere cum Mediceis apud Burmannum, maxime primo, et cum Fabriciano primo apud eumdem Burmannum. Ad Culicem pauca, et tantum ad versus priores, adscripsit ex Ms. quem cognatum fuisse cum Petaviano, Thuaneo, Augustano, dicas. Ad Diras quod faciat nihil praeter ea, quae commemoravi suis locis.

Iam enumerabo atque describam libros editos, quibus ad Catonem usus sum, inde ab editione principe: accuratius, ut par est, antiquiores, atque antiquissimas; recentiores breviter. Quamquam ne in antiquissimis quidem omnia indicare, quae aut alii viri litterati attigerunt, aut post eos Heynius, cuius hac in parte utilissimus labor est, placuit. Earum, quae neque mihi visae, neque ab aliis sunt meum in usum inspectae, tum tantum mentionem inseram, quum utile videbitur aut necessarium.

## *Romana I. fol.*

### *Editio princeps.* 1469

*Eloquẽtie ſplẽdore*: & *rerũ dignitate*: *locupletiorẽ Virgilio Poetã*: *unũ fortasse Homerũ Graeci*: *nullum certe Latini inuenient*: etc.

Epistola Ioannis Andreae Episcopi Aleriensis ad Paulum II. Pontificem, sine inscriptione: etsi Lairius esse exemplaria, quae habeant inscriptionem, affirmat. Parisinum exemplar in Bibliotheca Regia nullam habet. Epistolam, quae tres implet paginas, excipit Index sive Tabula, cuius partem priorem exhibeo, qualem transcripsit meos in usus Lassenus, reliqua suppleo ex Lairio: nam haec est editio, quam Lairius Specimine Histor. Typographiae Romanae XV. Saec. pag. 147. describit. Cf. ut in iis consistam, quos accuratissime versatos in describendo libro rarissimo video, Guilelmi de Bure Catalog. Libror. Bibl. Ducis de la Valliere, P. I. To. II. n. 2432. pag. 78. sqq. Io. An. Episcopi Meriensis ad Paulũ. II. Venetum: Pont. Max. epistola. Eloquentiae. P. Virgilii Maronis. Culex. Lusimus. P. Virgilii Maronis. Diræ Battare. P. Virgilii Maronis. Copa. Copa. P. Virgilii Maronis. Est & Non Est & Non. P. Virgilii Maronis. Vir bonuſ & Sapiẽſ. Vir bonuſ. P. Virgilii Maronis. De Roſis. Ver erat. P. Virgilii Maronis. Moretũ. Ian Nox. Versiculi Virgilii. Nocte. Versus in balistam latronem. Monte Versus Ouidii. Qualiſ. Sũmma Virgilianae Narratiõis in tribus operibut Bucoliciſ. Georgiciſ. & aeneide. Pastorum. P. Virgilii Maronis. Bucolica (Ecloga p'ma.) Tantum Lassenus. Sequuntur, Lairio Burioque testantibus, haec, et hoc ordine: Georgicorum libri IV. Aeneidum libri XII Verſuſ Sulpitii Carthaginenſiſ. Iusserat. Carmina Caesariſ Augusti. Ergo ne. Epithaphia illustrium uirorum. Condituſ. Versus de Musarum inuentiſ. Clio. Elegia in Mecenatiſ obitu. Deflæram. Denique, post hanc, usitatum Conrado Arnoldoque epigramma, quod ego quoque huc transferam, ut communicatum mecum a Lasseno est ex hac Virgilii editione:

Afpicif illuftrif lector quicunq; libellof
Si cupif artificum nomina noffe: lege.
Afpera ridebif cognomina teutona: forfan
Mitiget arf mufif infcia uerba uirum.
Cōraduf fuueynheym: Arnolduf pānartzq; magiftri
Rome impreffernnt talia multa fimul.
Petruf cum fratre Francifco maxĭmuf ambo
Huic operi optatam contribuere domum.

vs. 5. apud Burium p. 80. *Cōrarduf* legitur, et vs. postremo pro eo, quod in hoc libro est *optatam*, in aliis operibus horum typographorum rectius, ut videtur, *aptatam* reperitur. Atque hic finis est operis. De anno editionis certum est, et iam Lairio l. l. p. 147. observatum, prodisse Virgilium ante Lucanum eorumdem artificum, quem anno 1469. editum esse constat. At vel sic quaeritur, quanto ante Lucanum tempore. Nam prodisse Virgilium eodem, quo Lucanum, anno, quam sententiam Audiffredus primus, quantum video, non utor enim libro ipso, Catalogo Romanarum editionum saeculi XV. enunciavit, atque commendavit aliis: non sequitur ex eo, quod de Lucano diximus. Quidni anno 1468. prodierit Virgilius? Mihi, quamvis αὐτοψίᾳ destituto, qui de tot Conradi et Arnoldi editionibus unam tantum, Statii Sylvas, cum commentariis Domitii in Sylvas, in Sappho Ovidii, etc. per Arnoldum Pannartz 1475. ipse viderim, ut brevi ante Lucanum tempore, eodemque anno 1469. factam esse Virgilii editionem cum Audiffredo censeam, persuaserunt aliorum ex officina illa operum descriptiones, quas multas satisque, ut puto, accuratas exhibent Lairius, G. F. de Bure in Bibliographia, Panzerus. Scilicet, ut ea taceam, quae ex monasterio Sublacensi emissa fuere, editiones Conradi atque Arnoldi Romanae, si recte observavi, ante annum 1469. omnes, et anni 1469. nonnullae, ut ipse Lucanus ille, subscriptum habent: *in domo Petri de Maximo*, vel *in domo magnifici uiri Petri de Maximo*, praeposito plerumque epigrammate isto, quod appono, ut legitur in editione Lucani: *Hoc Conraduf opuf suueynheym ordine miro Arnoldufq; fimul pannartf una aede colendi Gente theotonica: romae expediere fodalef.* In aliis vero anni 1469. primum comparet epigramma octo versibus: *Afpicif illuftrif lector* etc. quae inde dominatur per annum 1470. et 1471. Rursus alia mutatio cernitur in voluminibus quinque Nicolai de Lyra, quorum primum anni 1471. quatuor reliqua anni 1472. sunt, et in caeteris a. 1472. et 1473. haec, quod quaecumque editiones epigramma illud habent, habent autem non paucae, omnes ultimum distichon *Petruf cum fratre Francifco — domum* omittunt: aliae, eaeque antiquiores, ita, ut addant: *in domo Petri de Maximif*, aliae sine hoc additamento. Denique ultima classis

editionum est earum, quas solus impressit Arnoldus Pannartz, *in domo nobilis uiri Petri de Maximis*, in nonnullis cum additamento: *ciuis Romani*; vel, ut in Statio isto, *Ad Aedes Maximorum.* Et haec quidem postrema, sub finem anni 1472. Conradum Arnoldumque omittere *domum de Maximis* coepisse, anni autem 1473. fine solutam esse inter Conradum et Arnoldum societatem, iam observata sunt viris doctis. Verum illud quid sit, quod epigrammate, quo Conradus Arnoldusque uti anno 1469. coeperunt, continetur *Franciscus Maximus*, anni autem 1471. fine rursus excluditur, neque ab alio quoquam explicatum observatumve vidi, et ego aliis explorandum relinquo: id tantum teneo, nullum epigrammatis huius usum fuisse ante annum 1469. Unde sequitur, anno 1469. assignandum esse Virgilium. Ac fortasse primus fuit Virgilius, qui bello epigrammate illo, in quo haud dubie multum sibi placuere boni artifices Germani, condecoratus est.

Episcopi Aleriensis epistolam ex hac editione non habeo, sed legitur eadem, certe caussam non habeo, cur mutatum quicquam putem, in Romana altera, unde protulit Quirinus De optimor. scriptorum editionib. Rom. p. 162. sqq. ed. Schelhorn. integram. Ego eam, beneficio Broemmelii, etiam ex codice Basileensi cognovi, in quem et ipsum haud dubie e Romana altera translata est. Insunt memoria haud indigna. Ad historiam typographiae hoc, quod iam Lairius l. l. p. 147. observavit: Virgilium primum poetam latinum esse, quem vulgaverint Conradus et Arnoldus. Et quod scribit Episcopus, *nonnullos audio — in huiusmodi artificio* (libros imprimendi) *aut iam coepisse, aut non multo post pro virili coepturos laborare,* haud dubie ad Udalricum Han spectat. Deinde ubi de Opusculis Virgilii, et quae sint Virgilio tribuenda, quae non sint, disputat, de aliis non inepte bonus Episcopus, at de Culice praeclare ac verissime, mea quidem sententia, iudicat. Quo codice scripto, vel quibus quotve codicibus usus sit, non dicit. Pluribus usum esse, non ex uno illa edidisse omnia, haec indicant: *Ut autem in eo quoque velut perpetuam moris nostri servaremus rationem, quicquid Maronis scriptorum indepti sumus, quantum quidem fuimus intelligendo in tanta, tamque mendosa exemplariorum raritate, multorumque eiusmodi* (*huiusmodi* cod. Bas.) *prope desuetudine, immo vero internecione*, *in corpus unum omne compegimus.* Paullo post: — *ingrati erunt mea opinione Lectores, nisi quicunque veriora habuerint exemplaria*, *et ipsi sua in medium prompserint*: *qui vero acrius perspiciunt*, *ac doctius*, *quod* (*quid* cod. Bas.) *a mendo sit longius*, *nobis quoque communicaverint.* Culicis, Dirarum, fortasse unum tantum codicem habuit. Scribit enim: *Equidem Culicem Maronicum ingenue fateor vix me ad plenum intellexisse*, *iterata etiam*, *atque*

*etiam lectione: neque ob id modo, quod inemendatum habui exemplar: quae res plurimum obstare intellectioni solet: quinimo ob id quoque, quoniam dum id pangeret carmen, novicius adhuc Poeta* etc.

Huius primae editionis exemplaria exstant inter se diversa. Partim eo, quod Episcopi Aleriensis Epistola in aliis non habet inscriptionem, in aliis, teste Lairio, habet: de quo iam monui. Tum vero, quod gravius, *Lusus poetarum in Priapum* in eo exemplo, quod pag. 147. describit Lairius, non sunt additi, sunt additi, et occupant quinque folia, in eo, quod idem describit p. 148. De Parisino exemplo nihil habeo prorsus certi, sed videntur ab eo abesse. Hinc infelix nata Lairio p. 150. coniectura de tribus Virgilii editionibus Romanis ex eadem officina: una, quam descripsimus, altera cum Priapeiis, tertia ea, quae re vera secunda est. Multo veri similius est, quod aliis in mentem venit, atque ipsi ante animum Lairio p. 148. versabatur, primae statim Romanae destinata Priapeia, sed impressa iam absoluto opere, aliis exemplis adiecta fuisse, aliis non adiecta. Episcopus Aleriensis quae ad Paulum II. scribit de eo opusculo, etsi Virgilio illud tribuere non audet, ita scripta sunt, ut adiiciendum fuisse appareat. Scribit ita: *Priapeam illam quidem spurce nimium scriptam non inelegantem esse fateor. Sed an optimi atque modestissimi sit Vatis, quoniam nonnulli ambigunt, nequaquam asseruerim. Ea tamen si honesti tantum haberet, quantum latinitatis ostendit, forsitan posset operibus uigilantissimis* (sic in cod. Bas., ap. Quirin. *opibus vigilatissimis*) *comparari. Quae praeter haec Opuscula in nostro sunt Codice,* etc.

In exemplo Parisino, quod caeteroqui pulchrum est ac perbene conservatum, folium excidit, quo continentur extrema Culicis, et Dirarum initium. Finitur unum folium hoc versu: *Illi laude ſua uigeant. ego Ditiſ opacoſ.* Incipit alterum: *Nequicq̄ noſtriſ potiuſ deuota libelliſ.*

## *Romana II. fol.*

*Iohãnis Andree Epiſcopi Alerieñ in Cyrno ideſt Corſica Inſula in ſecundam Virgilii Impreſſionẽ ad Pomponium inſortunatũ ſuum Epiſtola.*

*Eloquẽtie ſplẽdore*: *& rerũ dignitate. locupletiorẽ Virgilio Poetã* : *unũ fortaſſe Homerũ Greci*: etc.

Haec editio est, quam ante oculos habebat Quirinus De opt. script. editionib. Rom. p. 161. sqq. ed. Schelh. et quam describit Lairius l. l. not. x. p. 148. sqq. Turbatum est, sive consulto, sive per errorem, in Epistolae inscriptione. Nam Epistola eadem est, quam vidimus in

Romana priori, datam ad Paullum II. Pont. Max. Verum huic ad Paullum II. epistolae subiecta est in hac secunda editione Epistola alia ad Pomponium, quam integram apponam, quum brevis sit. Legitur etiam apud Quirinum et Lairium. *Hucusque Epistolam clauseram, amantissime Pomponi, in superiore* (*superiori* cod. Bas.) *edenda impressione Virgiliana, in qua tu testis es optimus, nostros Artifices plus nescio quomodo quam communiter* (sic cod. Bas. Lairius et Quirin. omittunt *quam*) *solent*, *dormitasse. Dein ipse antiquitatis totius studiosissimus, Maronis tamen aliquanto amicior* (*amicicior* cod. Bas.), *dedisti operam, ut ex manibus tuis antiquissimum Virgilii exemplar, maiusculis characteribus descriptum, vix carptim possem euoluere. Erant in eo, quod meministi, minus prima Bucolicorum Eclogae, Georgica, Aeneisque absoluta. Praeterea nihil. Fateor aliquibus in locis & verbis codicem mihi vetustum illum iudicatum esse nostro veriorem. Et si fieri poterit, quod spero, ut possim diutius illum per dominum eius in meis manibus tenere, diligentissime curaturum me spondeo, ut tertia fiat impressio, ne quid omnino videatur ex Virgiliana a nostris maiestate desiderari. Tu tamen mihi etiam Aetnam Maronis, & Cirin, integras quidem, sed inemendatas, Catalecton vero etiam corruptius & imperfectum tradidisti. Vitam item diuini Vatis breuissime scriptam, & nonnullos summarios operis versiculos: eos quoque qui Hortuli nomine inscribuntur. Quae ego omnia diligentia tua, ut debui, mirum in modum oblectatus, adscribi huic nouae impressioni curaui, tali tamen conditione, ut si quid imprimendo nostri artifices errarint, tua sit etiam emendandi cura, qui ut haec legi a pluribus possent, sedulitate tua effecisti. Vale.* Mirum haec legere Lairium, et tamen de tribus cogitare editionibus potuisse. Tam diserte Episcopus Aleriensis hanc secundam esse editionem dicit. Optat, ut tertiam curare liceat. Id vero numquam factum est. Deinde Lairius, ut errorem error trahit, hanc secundam, quae ipsi tertia est, posteriorem Bibliis Lyranis, quae anno demum 1472. absoluta sunt. facit. Nunc nemo, puto, dubitat, quin anno 1471. prodierit secunda Virgilii editio. Verum, nisi fallor, liquidius hoc demonstrare, quam memini a quoquam factum esse, ac menses etiam anni 1471. quibus absoluta est, indicare licebit. Nempe non esse anno 1471. posteriorem, eo evincitur, quod comprehensa est notissimo indice impressorum a Conrado Arnoldoque operum, quem indicem una cum supplici petitione eorumdem typographorum obtulit Sixto IV. Episcopus Aleriensis. Ea petitio quum quinto volumini Nicolai de Lyra, quod die 13. Martii 1472. absolutum est, inserta, et ipsa sit die 20. Martii 1472. data, non credibile est, primis eiusdem anni mensibus, quo tempore officinam illorum quam maxime

occupatam in spisso Nicolai Lyrani opere fuisse probabile est, depro-peratum esse Virgilium; multo magis credibile est, factam esse Virgilii editionem ante primum volumen Nicolai de Lyra, quod die 13. Novemb. 1471. absolutum esse constat. Altera parte, quominus ad initia anni 1471. aut ad annum 1470. referamus Virgilium, obstat verissima Lairii observatio: quum apud Paullum II. male exceptus fuerit Pomponius, non fuisse Io. Andream Episcopum Aleriensem adeo impudentem, ut Paullo adhuc vivente communem uni et alteri dedicatoriam epistolam fronti Virgilianae editionis praefigeret. Haec igitur observatio apud Lairium illud efficiebat, ut ad annum 1472. detruderet Virgilium: nos tantum ei tribuimus, ut Virgilium aut totum, aut partem eius postremam, aut saltem Epistolam Episcopi Aleriensis post d. quintum Cal. Aug. 1471. impressam esse censeamus. Nam eo die mortuus est Paullus II. Atque sic egregie explicatur, cur in inscriptione huius editionis eo modo, quem dixi, turbatum sit. Turbatum est consulto. Quum de proferenda altera editione Virgilii ageretur, Paullus autem Pontifex, cui prior editio inscripta fuerat, interea decessisset, Episcopus Aleriensis, qui neque Pontificis iam defuncti nomen praeponere novae editioni, neque omittere mentionem vix mortui patroni vellet, mediam quamdam viam ivit: repetiit Epistolam ad Paullum II. sed auxit eam additamento et quasi continuatione ad Pomponium, atque sic auctam inscripsit totam Pomponio. Timidum fuisse Episcopum Aleriensem, potentiorumque fortasse supra modum observantem, ipsa verba eius arguunt, quae ex Epistola ad Sixtum, primo volumini Nicolai Lyrani praemissa, protulit Quirinus lib. laud. p. 235.

Porro apparet fere ex epistola ad Pomponium, quae in hac secunda editione accesserint nova. Quo id apertius appareat, et neminem ut lateat, quid differat a priori, Tabulam operis, quam integram mihi transcripsit Lassenus, collatam cum descriptione Romanae I. exhibebo. Unde intelligetur, quae nova addidit Episcopus Aleriensis, partim post Epistolam inserta esse, partim adiecta in fine operis. Incipit Tabula ita: Io. An. Episcopi Aleriensis ad Paulum II. Venetum: Pot. Max. Epistola. Eloquentie. Eiusdẽ Epiſtola ad Pōponiũ ĩfortunatũ Hucuſq; Virgilii Vita. Aluinu (Alcinii) Versus. De numero. Cor. Galli Verſus. Temporibus. Virgilii hortulus. Adeſte. Argumenta duodecim libr. Eneid. Ibi sequitur haec ipsa Tabula, in qua describenda versamur. Tum: P. Virg. Maronis. Culex. Lusimus. P. V. M. Dirae. Battare. Et quae sequuntur, omnia prorsus ut in editione priori. At post Versus de Musarum inuentis ita pergit Tabula: Elegia in Mecenatis obitu. que dicitur Virgilii. cum non sit. Defleram. Priapeia. Carminis. Virgilii Aetna. Etna mihi. Eiusdem Ciris. Etsi me. Eiusdem. Cantalecton.

(sic Tabula) Vere rofa. Obiter moneo non semper convenire inter carminum inscriptiones eas, quae in Tabula recitantur, et illas, quae carminibus ipsis praefixae sunt. Ac Romana prior plane nullas praefixas ipsis carminibus inscriptiones habet, certe in his Opusculis. In Romana altera Culex hanc praepositam habet: P. uirgilii Maronis ad Octauium Culex. Dirae longam illam, sero inventam, quam suo loco vidimus. Vir bonus: P. Virgilii Maronis. Vir bonus. Carmen de Rosis: P. Virgilii Maronis. Rofe. Carmen de Musis non: de Musarum inventis, ut est in Tabula, sed: Musarum nomina & officia. Aetnae inscriptionem esse eamdem coniicio, quae est in cod. Basileensi: P. Virgilii Maronis Aethna (vel Aetna) quae ab aliquibus Cornelio tribuitur. quippe facta ea inscriptio, ut ista in Diras, et fortasse aliae, videtur ab Epifcopo Aleriensi: et haec quidem in honorem Pomponii, cuius ista sententia fuit, esse Aetnam Cornelio Severo tribuendam. Ad Epifcopum Aleriensem refero etiam titulum, quem modo vidimus, Elegiae in Maecen. ob. atque hanc fuisse propriam Episcopi dubitationem censeo: ad quam postea accessit Domitius Calderinus, qui: *non desunt,* inquit, *qui Lactantii Firmiani opus dicant.* Pomponius eam Elegiam Virgilio tribuebat. In cod. Basil. aliis verbis, quam in Romana secunda, sed tamen sensu eodem: Incerti autoris Elegia. Quam commemoravi Vitam Virgilii, non dubito quin prorsus eadem in Romana II. sit, quae in codice Basileensi: quae tota ex Probo. cf. Epifcopi Aler. Epist. ad Pomponium; fuisse Probum Ms. penes Pomponium ex Commentariis, qui dicuntur, eiusdem in Virgilium constat. Typographorum epigramma, idem illud, quod ex Romana I. dedimus, in Romana II. Quirino p. 169. testante, post Elegiam in Maecenatis obitu legitur, ut in Romana I. Lassenus illud, in Romana II. quidem, post carmen, cuius modo mentionem feci, de Musis, positum esse annotavit.

Exemplum Romanae II. quod Parisiis servatur in Bibl. Regia, olim Angeli Politiani fuit, et illustratum est ab eodem, ut perhibetur, scholiis. Nam scriptum est in fronte libri: *Angeli Politiani et amicorum.* ἀγγέλου τοῦ πωλιτιανοῦ κτῆμα καὶ τῶν φίλων. et ab alia manu: *Virgilio con Scholy Greci, e Latini di mano del Politiano.* Vix ut dubitare liceat, quin hoc idem illud exemplum sit, quod Quirinus tractavit: cf. Quirin. l. l. p. 165. Ad Diras nihil annotavit Politianus: certe nihil quicquam commemorant, qui pro me inspexerunt exemplar Parisinum, et Quirinus diserte intacta reliquisse Politianum Opuscula tradit, praeter pauculas ad Priapeia notulas.

Utramque Romanam in Diris accuratissime collatam habeo: primum a Lasseno, deinde rogatus meo nomine a viro praestantissimo C. B. Hasio, Donndorfius Ph. D. ex Romana I. totum carmen mihi descripsit,

versus 33 priores, qui desunt in exemplo Parisino Romanae I. supplevit ex Romana II. et ex eadem, quicquid a Romana I. differt, etiam minuta, diligenter annotavit. Differt autem Romana II. a Romana I. partim interpunctione; partim orthographia: nam pro eo, quod in Romana I. solet *æ* esse, ubique *e* habet, vf. 151. 155. *Conditio* pro eo, quod in Rom. I. est *Condicio*, vs. 172. *Mauors*, quum in Rom. I. sit *mauors*; partim compendiis scripturae, quae in Rom. II. multo plura sunt numero quam in Rom. I. tum vero locis, si recte numeravi, septemdecim: v. 54 (bis). 91. 98. 99. 105. 114. 117. 125 (bis). 126. 127. 143 (bis). 154. 161. 163. inter quos locos omnes nullus est, ex quo novum ad Romanam II. adhibitum esse codicem scriptum colligas: nihil quod non ex ingenio correxisse Episcopus Aleriensis, aut ex eodem codice, ex quo Romana I. expressa fuerat, diligentius inspecto, videatur; bis etiam manifesta vitia nova accesserunt, v. 117. *illeserit*, et *aureos* v. 143. Quod eodem versu 143. *excurrens* legitur in Romana II. pro *currens*, haud dubie additum a critico, qui metro metuebat, fulcrum est: fortasse ab Episcopo Aleriensi. Tractavimus supra duo Culicis locos, qui quum manifesto emendati aut interpolati circumferantur in libris vulgatis, inde a codice Basileensi, v. 118. *peneu*, et v. 385. *mentem aeger*, non inepte coniicias ab eodem Episcopo Aleriensi interpolatos esse. Sed hoc iam magis incertum, ac fortasse audacior est posterior certe emendatio, *mentem aeger*, quam ut illi tribui debeat. Versus Dirarum 102. deest in Romana utraque. Num plus novi Romana II. in aliis operibus offerat, alii viderint. Equidem fere totam repetitam, sine multis magnisve mutationibus, ex Romana I. putaverim, etiam propter Epistolam illam ad Pomponium, quae plane nihil magnifici pollicetur. Vel, ut multae sint mutationes, non ita putem graves esse, ut nova dici recensio queat. Aetna quidem, Ciris, et Catalecta in hac primum Romana II. publicata sunt e codicibus, vel ut supra Diss. I. suspicabar, ex uno codice Pomponii, sed eo corrupto lectuque difficillimo, vel etiam laeso hic illic, ut ostendunt lacunae non paucae. In maioribus Virgilii operibus e codice, quem commemorat Episcopus Aleriensis, Pomponii aut nihil aut parum profecisse Romanam II. credimus Episcopo diserte affirmanti. Et versus quod attinet duo et viginti Aeneid. II. v. 567. usque ad v. 588. vanam esse deprehendi coniecturam, quae mihi ex Heynio innotuit, Reviczkii, ex binis editionibus Romanis duas fluxisse editionum familias, e priore eas, quae carent versibus illis 22, ex secunda eas, quae habent versus. Leguntur versus illi suo loco in utraque Romana. Etsi non minus falsa est Heynii opinio, qui eos versus a nulla editione antiquiore abesse putabat: absunt enim a Mediolanensi Maittairii, a Mutinensi, a Lova-

niensi, a codice Basileensi, et a Vossiano II. Ut sane sint diversae editionum familiae vel classes: verum Romanae binae a parte stant una eademque; alteram praeit, quantum nunc quidem compertum est, Mediolanensis Maittairii, quamquam eam non primam omisisse versus istos, sed alia praeeunte antiquiore, probabile est.

Post binas Romanas ego ante Venetam Achat. 1473. nullam vidi, aut collatam ab alio habui. Prodierunt tamen eo temporis spatio, ut cognoscere ex Heynio, iisque quos sequutus est Heynius, licet, editiones Virgilii non paucae. Quae possunt omnes in tres describi classes. Sunt enim quae maiora tantum Virgilii opera tria continent: inter quas prima est, quae Romanam II. uno anno antecessit, Veneta 1470. per Vindelinum de Spira: eam Lassenus inspexit in Bibliotheca Parisina. Virgilii 1471. per Adamum, qui primus Aeneidi istum librum decimum tertium addidit, insigni pulchritudine ac magnificentia, exemplar possidet Bibliotheca Friburgensis in Brisgovia, quam notitiam Welckeris, viris amicissimis, debeo. Porro huc pertinet Veneta 1472. per Leonardum Achatem, cuius unum exemplar e bibliotheca Sunderlandii Comitis habuit, ac descripsit, variantesque lectiones inde excerptas exhibuit in editione Virgilii Londinensi 1715. M. Maittairius, unde easdem, saltem ex parte, in suam Virgilii editionem Burmannus transtulit; alterum in Bibliotheca Basileensi inspexit Broemmelius. Ea Vitam Poetae, et carmina de Aeneide duo, unum, quod Cornelio Gallo tribuitur, *Temporibus lætis tristamur* etc. alterum, quod Octaviano Aug. Caesari, *Ergo ne supremis* etc. subiecta Aeneidi habet. Altera classis addita habet Opuscula, sed illa tantum, quae insunt in Romana I. Cuiusmodi est editio a. 1471. quam describit F. G. de Bure Bibliographie Instruct. Bell. Lettres, T. I. p. 282. sq. n. 2661. Tertia classis, quae etiam Cirin continet et Catalecta. Sic, eodem Burio ibid. n. 2663. testante, Veneta Bartholomaei Cremonens. 1472. de qua aliquid addam, quum ad Romanam 1473. pervenero. Mediolanensem 1472, si tamen est Mediolani, et, quod vulgo statuitur, ab Antonio Zaroto impressa, utrum ad tertiam classem referam, an ad secundam, dubito, quum nusquam enumerata invenerim, quae ea continentur, Opuscula. Has omnes utile fuerit inspicere, non quod inexspectatam lucem emendationemque inde sperem Virgilio, et Opusculis Virgilianis, sed ut cognoscatur penitus, qui sint proximarum, quas descripturus sum, Venetarum veri fontes. Veneta enim Achatis 1473. ut hoc statim exemplo utar, quum neque ita videatur primis editionibus Romanis similis esse, ut ex alterutra earum expressam esse putes, neque ita recedat a Romanis, ut pro nova haberi recensione debeat, quid magis veri simile, quam expressisse

Achatem editionem binis Romanis, sive alterutri Romanae, similem, sed tamen non per omnia similem. Deinde ad unam, et fortasse alteram, harum, quae mediae sunt inter Romanas et Venetam Achatis 1473. editionum, novum esse codicum scriptorum auxilium adhibitum censeo. Sic hac aetate, in Veneta Bartholomaei Cremonensis, [ut coniicio, expletas esse maximam partem lacunas, quas in Ciri et Catalectis codex Basileensis cum Romana II. habet], probabile est. Quamquam id etiam serius factum esse potest, in Romana 1473. Certe in Venetis Rubei et Iensoni iam sunt expletae. At praeterea in hanc aetatem, vel proximam, incidere debet usurpatum a Paulo Leopardo *exemplar Vergilii antiquis typis excusum, e primis illis, suboriente iam Typographica arte,* ex quo nonnulla in Cirin valde singularia, et quorum neque in codice Basileensi neque in Veneta Rubei Vicentinaque vestigium reperitur, Iac. Nicolaus Loënsis protulit Misc. Epiphyll. VIII. xxiii. sqq. Tum hac primum aetate antiquos collatos esse libros scriptos, qui Aeneidos libro secundo versus 567. seqq. omitterent, persuasum mihi est. Scilicet quae primae inter meas versus eos omittunt, Mutinensis, et Mediolanensis Maittairii a. 1474. quae praciit Mutinensi, non primae omisisse, sed ex alia fluxisse antiquiore videntur. Deinde in Diris non potuit sine libro scripto restitui versus, qui deest in binis Romanis, aliis, 102. *Quamvis ignis eris, quamvis aqua, semper amabo*: restitutus autem cernitur in Mutinensi, praeeunte haud dubie Mediolanensi Maittairii. Mea coniectura est, fontem Mediolanensis 1474. et Mutinensis esse editionem a. 1472. eam, quam Mediolanensem appellavi ex plurimorum sententia. Certe aliquid esse in hac editione praeclari praestitum, fidem facit editoris, quisquis ille fuit, subscriptio, quae ita sonat magnifice: *Lector, si Virgilii Vatis eminentissimi opera legere cupis: haec maiestatem antiquitatis redolentia perlege: nam quicquid in his emendandis corrigendis castigandisque operibus Romana Venetaque lima poliverit terserit et ad suum redegerit nitorem perspicuum est: sed diligens ista sedulitas: et criticorum censura discedat: cessetque nimis affectata castigatio cum ab ipsis propriis Maronis exemplaribus: quae Romae in Æde Divi Pauli reposita sunt: integrum purum nitidumque opus hoc effluxerit natumque sit.* et q. seq. Verum est, haec magis de operibus Virgilii maioribus quam de Opusculis, intelligenda esse, sed credibile tamen est, qui Opera e codicibus manu scriptis correcta exhibuerit, eumdem etiam in Opusculis aliquid non male novasse.

## *Veneta Achat.* 1473. *fol.*

Hanc, de qua aliquid ab Heynio traditum ex obscuro rumore legeram, sponte obtulit mihi, quo primum die ad Bibliothecam Leidensem accessi, Geelius. Liber a litterarum forma typorumque aequalitate non valde laudandus, sed antiquitate ac raritate commendabilis. Nunc etiam per Putschium innotuit, qui exscriptas ex ea lectiones ad Catonem proposuit p. 120. seqq. Cum Putschio illam communicaverat Handius. Ea editio, quod opera Virgilii maiora attinet, repetitio est Venetae Achat. 1472. vel potius eadem esse editio videtur; mutavit tantum annum librarius, et adiecit Opuscula. Nam et descriptio editionis 1472. quam exhibuit Maittairius, tota etiam quadrat in editionem a. 1473. et quos in editione 1473. locos Eclogarum, Georgicorum, Aeneidos, inspexi atque annotavi, annotavi autem satis multos, in iis omnibus conspirare editionem 1473. cum lectionibus editionis 1472. quas excerpsit Maittairius, intellexi. quae quidem lectiones ex parte valde singulares sunt.

Exemplar Leidense ab initio mancum est. Desunt Ecloga prima, et pars secundae maior: quod nunc primum est folium, incipit ab hoc versu: *Addam cerea Pruna: honos erit huic quoq; Pomo.* Ut hoc idem haud dubie exemplar sit, quod describit G. de Bure, Catal. Biblioth. Ducis de la Valliere P. I. T. II. p. 83. sq. n. 2434. Bucolica excipiunt Georgica, cum illis libri secundi, tertii et quarti inscriptionibus, quas ex edit. 1472. Maittairius dedit: DE ARBORIBVS. ET. VITIBVS. etc. Sequitur Aeneis, cum illa memorabili annotatione de quatuor versibus *Ille ego qui quondam* etc. quam ex edit. 1472. dedit Maittairius. Aeneidos libro duodecimo statim subiicitur: P. MARONIS. VIRGILII. VITA. EX: SERVIO. DONATO: QVINTILIANO: AGELIO. ET: RELIQVIS. ut apud Maittairium ex ed. 1472. Tum GALLI CORNELII. AD. OCT. DE. MORTE. VIRGILII. (Temporibus letis — Cesaris ora dei. versus quintus ut apud Maittairium ex ed. 1472.) OCT. AV. CE. RES. (Ergo ne fupremis — placeat: relegatur ametur. verfus 36.) Sequitur epigramma librarii:

Vrbs Bafilea mihi nomen eft Leonardus Achates:
Qui tua compreffi carmina diue Maro.
Anno chrifti humanati. M. cccc. lxxiii.
Venet. Duce Nicol. Marcel.

In edit. priori apud Maittairium, et testante Broemmelio, eadem inscriptio, sed annus est M. cccc. lxxii. et *Venet. Duce Nicol. Trono.* Iam hic finitur folium in ed. 1473. Incipiunt novo folio, litteris iisdem, Opuscula. Apponam inscriptiones, quae sunt omnes litteris capitalibus scriptae. *.P. Mar. Vir. Dift. in laude. Oct. Aug. Cefa.* (Nocte pluit

tota — Cesar habe.) *Eiusdem. Querella.* (Hos ego uersiculos — mellificatis apes. versus quinque.) *.P. Mar. Vir. diſt. in. latronem. Balistam. .P. M. Vir. Moretum. .P. M. Vir. Culex. ad Octa. .P. V. M. Dire Incepit. .P. V. M. Copa. De. Viro. Bono. .P. V. M. de. Rosis. .P. V. M. Set. et Non.* (sic, vitiose) Denique *.P. V. M. Pripeia.* (sic) Primum carmen: *Carminis incompti* — ultimum: *At non longa satis* — cuius versus ultimus: *Huc ades*: & *neruis tentis Priape faue.* ſub eo versu legitur:

Finis .M.CCCC.LXXIII.

In Diris ita conspirat cum Romanis, et maxime cum Romana priore, Veneta Achatis, ut aut ex Romana priore expressa, aut ex alia cum hac proxime cognata, videri debeat. Additus tantum cumulus vitiorum est. At vitia Venetae Achatis non solum in Diris, sed etiam aliis in Opusculis, et in operibus Virgilii maioribus, eiusmodi maxime, quae metro officiunt, tam sunt multa, ut ea neque e Romana repetenda, neque Achati tribuenda esse omnia credam. Quare Venetam Achatis non ex ipsa Romana priore expressam, sed aliam intercessisse inter utramque suspicor. Accedit quod a codice Basileensi, quem in plerisque convenire cum Romanis conieci, tam in Opusculis quam in operibus maioribus non raro recedit Veneta Achatis. Coniecerit etiam aliquis, Opuscula ex Romana priore, at Opera maiora ex alia editione expressa esse. Versus 22 in Aeneidos lib. II. habet.

Venetam Achatis proxime sequitur, quam non vidi, Romana *per Vdalricum Gallum & Simonem de Luca. Anno Domini* M. CCCC. LXXIII. *Die uero* IIII. *mensis Nouembris.* Ea quantum in Operibus Opusculisque, quae habet cum prioribus editionibus, Romanis et Veneta Achatis, communia, excellat, non dixerim, vel potius non multum excellere putaverim: sed excellit eo, quod plenior est. Etenim ut taceam inesse in ea Cirin et Catalecta, quae duo Opuscula, etsi iam Romana II. vulgata fuissent, abesse a pluribus editionibus Romana II. posterioribus vidimus, etiam reliquorum carminum minorum numerus auctus est. Nempe mature Virgilio varia epigrammata et carmina minora, partim ad Virgilium eiusque opera spectantia, partim alia, ut illud quod Hortulus dicitur, et de Musarum inventis, addere coeperunt. Eius collectionis initium iam erat in Romana I. factum; aucta est in Romana II. Rursus insigniter aucta est in Veneta 1472. per Bartholomaeum Cremonensem, et in hac editione Romana per Udalricum et Simonem, et aucta est ad eum ferme numerum carminum, qui reperitur in Venetis Rubei et Iensoni. Ut haec Romana, aut Veneta Bartholomaei Cremonensis, pro fonte ac fundamento

Venetarum Rubei, Iensoni, et caeterarum, quae Venetam Rubei sequutae sunt, omnium haberi possit. Et in Romana quidem quae insunt carmina, hoc loco ex Panzeri Annal. Typogr. Vol. II. p. 440, 122. indicabo. Eadem fere in Veneta Bartholomaei inesse coniicio, ac praeterea inest liber XIII. Aeneidos, qui abesse videtur a Romana. In principio operis: Poetae vita. Alcinoi et Galli versus de Virgilio. P. Virgilii M. Hortulus, de Vino et Venere contra ebrietatem et luxuriam, de Livore, de Cantu Sirenarum, die (sic) Die natali, de Fortuna, de Orfeo, de Scipso, de Aetatibus animalium, de Ludo, de Aerumnis Herculis; Argumenta XII. librorum Aeneidos; P. V. M. de Musarum inventis; Elegia in Moecenatis obitu, quae dicitur Virgilii, cum non sit; Epitaphia virorum illustrium in Virgilium, P. V. M. de Speculo, Versus de Herculis laboribus, de Litera y, de Coelestibus signis, Versiculi Virgilii, Versus in Balistam latronem; Versus Ovidii; Summa Virgilianae narrationis in Buccolicis, Georgicis et Aeneide; P. V. M. super libris XII. Aeneidos. Aeneidi subiunguntur: P. V. M. Moretum, Priapeia, Copa, Est et non, Vir bonus, de Rosis, Culex, Dirae, Aetna, Ciris, Catalecton. Dedi haec ut leguntur apud Panzerum, descripta ex Indice sive Tabula editionis Romanae; accuratam ubique descriptionem esse non praesto.

Sequitur Mediolanensis 1474. quae hanc in fine inscriptionem habet: *Mediolani Impressum per Magistrum Philippum de Lavagnia.* M. CCCC. LXXIIII. *die* XIV. *Iunii.* Valde memorabilis editio, quam acceptam a Sunderlandio Comite tractavit, descripsit, variantesque lectiones, sed tantum in maiora Virgilii opera, excerpsit, atque suae editioni Virgilii Lond. 1715. inseruit M. Maittairius, unde nonnulla in sua varietate lectionis ad Virgilium posuit Burmannus. Nos autem, de quo statim monebitur, geminam huic Mediolanensi editionem habuimus.

## *Mutinensis* 1475. *fol.*

Insignis tum raritate, tum pulchritudine, typorumque elegantia atque aequalitate, qua multum ante alias, ut Venetam Achatis, et Venetam Rubei, excellit, tum internis dotibus liber, cuius nos exemplum, quod est in Bibliotheca Regia Dresdana, plenum atque integrum, uno loco Culicis v. 298. 299. 300. 301. 302. excepto, qui versus omnes priore parte sua evanuerunt casu aliquo, sed deformatum multis in marginibus et inter versus scholiis glossisque, per benignitatem Beigelii iterum iterumque tractavimus, ac pertractavimus. De forma libri, et quae ad bibliographos attinent, iam dictum est accurate ab alio: cf.

Catalogus Codicum Saeculo XV. impressorum, qui in Publica Bibliotheca Magliabechiana Florentiae adservantur, auctore Ferdinando Fossio, To. II. col. 800. seqq. cui descriptioni etsi habeo quae addere possim, tamen ea non sunt valde gravia, et aliena ab hoc loco. Itaque consistemus in iis, quae sunt potiora.

Incipit liber ita:

P. Virgilii Maronis Bucolicon Liber.
Aegloga prima dicta Tityrus.
Collocutores
Meliboeus
Tityrus

Bucolica excipiunt Georgica, Georgica Aeneis, in qua hoc valde singulare est, quod libro I. versui 34. *Vix e conspectu* etc. praefixa legitur inscriptio:

Capitulum primũ in quo ostẽditur tempestas
quam Aeneas passus fuerit in mari ſiculo.

Versus quatuor *Ille ego qui quondam* etc. habet Mutinensis, sed spatio duorum versuum distinctos a sequentibus. In fine Aeneidos legitur: *Finis Summe Virgilianæ narrationis in tribus operibus Bucolicis Georgicis & Aeneide.* quod ita dictum est, ut verbis *Summa Virgilianae narrationis* haec ipsa opera, Bucolica, Georgica, Aeneis, significentur. Eadem subscriptio, eodemque loco, erat in editione anni 1471. ea, de qua refert Burius Bibliographie Instruct. Belles Lettres To. I. n. 2661. et in Parmensi 1479. ap. Panzer. Vol. II. p. 352, 13. Moneo propter alias, principes Romanas, Venetam Iensoni, et haud dubie Rubei, Vicentinam, Venetas 1480. 1482. Brixiensem, alias, et propter codicem Basil. in quibus eadem verba, sed alio loco, et significatione alia, leguntur. Ibi enim verba *Summa Virgilianae narrationis in tribus* etc. praefixa leguntur carmini *Pastorum musam* etc. quod est apud Burmannum Anth. Lat. lib. II. CLXXXVIII. apud Heynium Vol. V. p. 297. Pergo in describenda Mutinensi. *Incipit Decimustertius liber Mafei uægii laudẽsis. P. Virgilii Maronis Copa. P. Virgilii Maronis Partheniæ Moretum Incipit. P. Virgilii Maronis Diræ ĩcipiunt. P. Virgilii Maronis de est & non. Ir bonus & prudens qualem uix reperit unũ Millibus e multis* etc. sine inscriptione. *P. Virgilii Maronis de Rosis. P. Virgilii Maronis Culex Incipit.* Denique Priapeia, *Arminis ĩcompti* etc. sine inscriptione. Sub versu *Huc ades & neruis tente priape faue.* posita est inscriptio librarii:

Mutine Impreſſum per Magiſtrum Iohannem
Vurſter de campidona. Anno. D. M. CCCC. LXXIIII.
die Viceſimatertia menſis Ianuarii.

Hunc librum quum ante multos annos primum evolverem, statim admirationem quamdam cum dubitatione coniunctam mihi incutere memini. Deinde, dum crescebat admiratio, quo plures paullatim nanciscebar libros antiquitus excusos, quorum nullum Mutinensi similem, vel cognatum cum Mutinensi, videbam, crescente etiam dubitatione, et saepius se offerente, et quasi obtrudente, quaestione, unde tam singularia, et tam bona, tamque convenientia cum melioribus libris scriptis, e. g. ut unum commemorem, suppletus in Diris versus integer, pervenissent in Mutinensem: ulterius circumspicere, et, quum antea Diras tantum et reliqua Opuscula curavissem, maiora etiam Virgilii opera excutere aggressus sum, an forte vestigium fontis, unde hausisset editor Mutinensis, reperirem. Id peragenti obvenerunt hic illic singularia quidem, sed quae tamen iam legisse alicubi mihi videbar: in quae dum inquiro diligentius, primo convenire Mutinensi cum editione Mediolanensi apud Burmannum, quae est Mediolanensis 1474. Maittairii; mox postquam Virgilii editionem Maittairianam nactus eram, expressam esse Mutinensem ex Mediolanensi 1474. intellexi. Conveniunt omnia. Quam Maittairius dedit editionis Mediolanensis descriptionem, tota etiam convenit in Mutinensem: quam ex Mutinensi protulimus insertam Aeneid. I. ante versum 34. admonitionem, eamdem in Mediolanensi Maittairius; quam Aeneidos subscriptionem *Finis Summe* etc. eamdem Maittairius in sua Mediolanensi invenit. Versus 22 Aeneid. lib. II. 567. sqq. omissi erant in Mediolanensi Maittairii, et omissi sunt in Mutinensi. Deinde quas Maittairius ex Mediolanensi excerpsit Variantes Lectiones, permiras ex parte, et valde mendosas, ut Ecl. VI. 65. Georg. II. 196. Aen. V. 143. VIII. 144. IX. 685. X. 540. XI. 516. omnes in mea collatione editionis Mutinensis inveniuntur, aut tantum non omnes. Quin etiam orthographia editionis Mediolanensis, vitia manifesta, ac metrum turbantia, de quibus rebus singularem disputationem instituit Maittairius, eadem reperiuntur in Mutinensi, ut *ledit* Georg. II. 220. *hærbis* Ecl. II. 49. *rætia* Ecl. III. 75. *cædit* Ecl. V. 16. *edos* Ecl. IX. 6. *nehæram* Ecl. III. 3. *uiniq*; Georg. II. 469. *ſulapsa* Georg. I. 200. *hanelis* Georg. I. 250. *lunæ* Georg. IV. 340. *Vaſtorem* Aen. IX. 772. *lapidosaq*; Georg. II. 34. *arcenis* Aen. IX. 87. *Laurentia aduexerit* ibid. 100. *compræhendere* Georg. II. 104. De Opusculis ex Mediolanensi nihil tradidit Maittairius: sed tamen vix dubium est, quarum in Operibus tam unanimis consensus cernitur, easdem etiam in Opusculis conspirare; et ordo saltem, quo Opuscula recenset Maittairius, idem est in Mutinensi. Itaque Mutinensis haud dubie tota expressa est ex Mediolanensi: qua in re illud mirabile est, quam celeri industria popularis noster, Vurster de Campidona, industriam atque operam Philippi de La-

vagnia suam in utilitatem converterit: nam Mutinensem, quum diem Ianuarii a. 1475. vicesimam tertiam subscriptam habeat, maximam partem impressam esse sub finem anni 1474. recte observat Fossius, Mediolanensis autem Philippi de Lavagnia, ut supra vidimus, medio anno 1474. absoluta fuit.

De fonte editionis Mediolanensis, videri eam ad antiquiorem editionem a. 1472. referendam esse, quae ipsa ex libris scriptis fluxerit, supra coniecimus p. 385. Nobis Mutinensis instar boni libri manu scripti est, si tamen vitia permulta, sed manifesta, excipias: quae vitia partim ex libro scripto manare potuerunt, partim accesserunt in officinis Philippi de L. et Ioannis Vursteri. Caeterum praestantia libri Mutinensis per omnia Opuscula eadem est: non ut omnia recte habeat, sed ut multa; et, quod inprimis memorabile, nonnulla, quae corrupta in libris scriptis alias optimis, Petaviano, Thuaneo, Augustano, sola recte scripta praestat Mutinensis cum Aldina, et cum libris scriptis iis, quorum per se minor, quam trium illorum, auctoritas. Cf. Dir. 41. et Culicis locus v. 308. supra a me tractatus Diss. III. p. 313. De Dir. v. 103. utrum verum sit, quod sola Mutinensis praestat cum Aldina, dubia res est. Ne tamen ubique convenire Mutinensi cum scriptura Aldina putes, legantur supra scripta pag. 332. In Priapeiis solet Mutinensi cum Aldina 1517. vel cum libris scriptis apud Burmannum, e. g. Vaticano Orvillii, qui est Cod. Vatic. N. 1608. aut Mediceo primo Burmanni, convenire. Carm. II. 5. *iocum.* XII. 1. *Quedam iunior.* LXXIV. et LXXV. *Tutelam pomarii diligens priape facito, Rubricato furibus minare mutino. Quod mouear non est, quia fi furaberis ipse: Grandia mala tibi brachia macra dabo.* CXXVII. extr. deest versus *Mortales tibi L. d.* LXXIX. 5. *laudices.* LXXX. 1. *tenero.* Non dico vera haec esse omnia, sed sunt singularia.

Est exemplar Dresdanum, ut fuit exemplar Fossii, annotationibus ms. refertum, ab aliquo lectore: praecipue Eclogae, Georgicorum lib. primus, Aeneis; tum Moretum et Vir bonus. Verum eruditi in iis inveni nihil. Eadem manus, nam eadem est haud dubie, folio inserto supplevit versus illos 22 Aeneid. lib. II. cum hac observatione: *Duos et uiginti, qui sequuntur uersus, quidam ceu non genuinos, hoc loci obmittunt.* Sunt etiam hic illic variae lectiones adscriptae, sed vix dignae memoria. Ad Maphei librum, et ad Opuscula, praeter ea, quae dixi, Moretum et Virum bonum, nihil adscriptum est in exemplo Dresdano.

## *Veneta Rubei* 1475. *fol.*

Huius notitiam, et quod diu habere mecum, inque otio versare utilissimum librum licuerit, H. Wyttenbachio debeo, quo concedente eum mihi ex bibliotheca publica Trevirensi, cui acquisitus est anno 1823. industria ac diligentia Wyttenbachii, transmisit Vitus Loersius noster. Prima editio ex nostris, quae Servium habet. Exciderunt in exemplo Trevirensi prima folia, quibus, ut ex addita in fine operis Tabula intelligitur, *P. V. Maronis uita,* longa illa haud dubie, quae Donato tribuitur, et Bucolica usque ad versum 36. Eclogae III. continebantur. Vitae subiectam etiam fuisse Servii Praefationem in Bucolica putaverim, ut est subiecta in editione Vicentina; sed ipsa Vita num tam longa fuerit, ut vulgo exhibetur, incertum est. Ut nunc se habet exemplum Trevirense, folium primum incipit Eclogae III. versu 37. *F agina cælatum diuini opus alcimedontis*: et verbis Servii his: *Diuini opus Alcimedontis* : *laus ab artifice* : *Cicero* : *Polycleti* etc. Servii commentarius in marginibus, et quidem, ut olim mos fuit, non solum in margine inferiore, sed etiam in superiore, et exteriore. Sunt etiam in Eclogis, Georgicis, primo libro Aeneidos, et secundi initio glossae et scholia a manu partim inter versus inserta, partim in margine adscripta, sed nullius pretii. Finitur Aeneidos liber XII. in folio recto; quae sequitur pagina, vacua relicta est : incipit novo folio liber Maphei Vegii, sine nomine. Maphei librum statim excipiunt varia carmina minora, et Opuscula Virgilii. Ultimo loco Moretum, cui subiecta leguntur haec:

Omnia Hæc Volumina : Quæ Virgilius Maro
Vates Eminentissimus Composuit Vna Cum
Seruii Honorati Grammatici Commentariis Ac
Eiusdem Poetæ Vita Mira Quadam Arte Ac Di
ligentia Impressa Sunt Venetiis Per Iacobum
Rubeum Natione Gallicum. Anno Domini
.M. CCCC. LXXV. Menfe Ianuarii.
Petro Mozanigo Inclyto Duce Venetiarum.

Utilissimum librum dixi, non quod multum sua praestantia excellat, sed quod aliam editionem antiquiorem satis fideliter expressisse Rubeus videtur, et quod dux quasi atque antesignanus multarum aliarum editionum factus est. Nihil in Veneta Rubei externae speciei, quo se vehementer commendet, neque virtus interna cernitur eiusmodi, ut gravius quicquam mutavisse Rubeum dicas. Vitia sane nova habet, quae neque in Romanis, neque in illa tot aliis vitiis inquinata Veneta Achat. reperiuntur. *aduersi* Dir. 68. ubi illae priores recte *aduersis*. *diutius* v.

160. ubi illae recte *dulcius*. et ibidem post *foret* interpunctionem Rubeus neglexit, quae tamen est in illis. Illud quaerendum, quam ille editionem priorem sequutus sit. Equidem de Veneta 1472. per Bartholomaeum Cremon. cogito, aut de Romana 1473. per Udalricum et Simonem. Similis etiam, quod iam monui, Venetae Rubei Romana 1473. itemque, ut coniicio, Veneta Bartholomaei, collectione epigrammatum carminumque minorum est: nisi quod, quum Romana 1473. epigrammata et carmina minora praefixa Bucolicis, Opuscula vero subiuncta Aeneidi exhibeat, Rubeus, mutato ordine, carmina minora omnia et Opuscula subiunxit maioribus Virgilii operibus, atque insuper addidit, nescio unde, unum alterumque carmen. Certe carminum, Mira Virgilii Versus Experientia, Mira Virg. Experientia, De Quattuor Temporibus Anni, De Ortu Solis, quae insunt in Veneta Rubei, nulla fit mentio in descriptione Romanae 1473. quam supra dedi ex Panzero. Praeterea Rubeus quod in Romana 1473. primum est inter Opuscula, Moretum, ultimo loco posuit: quod tamen non consulto, sed negligentia puto Rubei factum esse, qui quum omisisset suo loco Moretum, postea, cognito errore, adiecit in fine libri. Inde a Veneta Rubei autem tota ista carminum minorum et Opusculorum collectio, mutationibus quibusdam exceptis, quum unus nonnihil ex ea omisit, alius inseruit aliud, alii ordinem mutaverunt carminum, eadem mansit in multis saeculi XV. et in editionibus saeculi XVI. multis, ut in Ascensianis, Lugd. 1529. Mogunt. 1549. in Basileensibus Brylingeri et ex offic. Henr. Petri in Lugd. et Antverp. 1556. usque ad Scaligerum, in nonnullis etiam post Scaligerum, ut in Antverp. 1580. Lugd. 1592. et saeculo XVII. in Francof. 1610. Deinde quod carmina ipsa usumque criticum attinet, simillimas Venetae Rubei esse editiones quae post eam prodierunt, et per multos annos post Rubeum aut parum aut nihil mutatum esse, certe in Diris, infra ostendemus in Vicentina iisque, quae Vicentinam sequutae sunt.

Specimina Venetae Rubei, collatae cum Veneta Iensoni, cum cod. Basileensi, et cum Vicentina Vossianoque secundo, satis multa proposui pag. 351. 371. Cf. quae mox daturus sum in descriptione Vicentinae. Alia multa vidimus Diss. III.

Versus 22. Aeneid. lib. II. cum editionibus primis Romanis et cum Veneta Achatis communes habet Veneta Rubei et familia eius.

## *Veneta Iensoni* 1475. *fol.*

Exstat Lipsiae in Bibliotheca Paullina. Veneta Rubei posteriorem esse eo efficitur, quod diem mensemque subscriptum habet nullum, Veneta autem Rubei absoluta est mense Ianuario. Ego diu repetitam ex Veneta Rubei Venetam Iensoni existimavi: tam sunt inter se similes. Nunc, mutata paullulum sententia, eamdem ab Rubeo et Iensono editionem vetustiorem expressam esse censeo, sed accuratius ab Iensono. Id ut censeam, effecit apud me ordo carminum, quem apud Iensonum plane eumdem esse deprehendi, qui est in editionibus antiquioribus, ut in Romana 1473. Ordo etiam Opusculorum prorsus idem est in Veneta Iensoni atque in Romana 1473. primo loco Moretum, tum Priapeia, Copa etc. Contra Rubeus ordinem mutavit eum in modum, de quo iam dictum est a me. Praeterea Iensonus Servium omisit. Haec non ita disputo, acsi ignotam fuisse Nicolao Iensono editionem Rubei putem: immo quam maxime notam fuisse, et hoc egisse inprimis Iensonum suspicor, ut superaret Rubeum, et emturientes ad suam tabernam alliceret. Ac re vera sunt Iensoni litterae aliquanto litteris Rubei elegantiores, si recte memini, impressio aliquanto purior atque exactior; et in verbis hic illic recedit a Veneta Rubei. Quamquam fatendum est ea nec multa neque gravia esse, neque bene ubique recedere Iensonum, iis quidem in carminibus, quae contuli. Contuli autem, vel potius exscripsi quam diligentissime Diras: tum contuli accurate Moretum, Copam, Catalecta. Differt Iensonus a Rubeo maxime orthographia. Sic litteras initiales maiores, quas Rubeus nullas habet nisi in versuum initiis, Iensonus passim, non constanter, intulit: *Diras*, *Trinacriae*, *Pampinus*, *Battare*, *Cereris*, *Veneris*, *Iuppiter*, *Cyaneo*, *Erebo*, *Neptūnus*, *Vulcanus*, *Iouis*, *Syrtis*, *Lydia*, *Baccho*, *Phoebe*, *Minoidis*, *Iunone*. Iensonus: *phystula*, *Aphricus*, et in Moreto *Aphra*, ubi Rubeus *fistula*, *Africus*, *Afra*; contra *imber*, *imbres*, ubi Rubeus *hymber*, *hymbres*. Iensonus: *foelicia*, *foelix*, *Infoelix*, ubi Rubeus *felicia* etc. Deinde Iensonus compendia scripturae minore numero, quam Rubeus, et interpunctionem hic illic habet meliorem, ut Dir. 59. 61. 177. Vitia ex parte Iensono sunt cum Rubeo communia, ut BATTAREM in titulo carminis. *terra* v. 23. *reuocasse* v. 54. *aduersi* v. 68. *amnis* v. 69. *Vnde lapſa* v. 79. *uiterula* v. 115. *declinarit* v. 117. *nostri* 145. *celebrabit* 146. *diutius* 160. *ergo* 179. Alia propria Rubeo sunt, ut *douota* v. 34. *terentia*, quo modo hoc verbum ubique scribit Rubeus, v. 56. *ferrum* v. 61. *In uicem* v. 143. *Diceret* v. 163. v. 117. Rubeus *illæserit*, Iensonus *illeserit*. v. 160.

Rubeus *lætum*, Iensonus *lethum*. Copae v. 12. *Et* Rubeus, *Est* Iens. Talia fere sunt, quibus Iensonus a Rubeo discrepat. Quae sunt omnia eiusmodi, ut commode in duas classes describi posse videantur. Nonnulla enim Iensonum ipsum, ex suo ingenio, vel eum quo correctore usus est Iensonus, intulisse probabile est. Alia esse ex editione antiquiore, quam Iensonus et Rubeus eamdem, sed Iensonus maiori cum diligentia pressiusque sequutus sit, coniicio. Eiusmodi discrepantiam, quae fontes arguat diversos, non memini me invenire ullam.

Finitur Veneta Iensoni in Catalectis, versibus his:

N unc superesse patri quod fuit inuidia.
S uperbe noctu repuditum caput.
D atur tibi puella quam petis datur.

quibus subiecta est subscriptio:

P. V. MARONIS OPERA FOELICITER FINI-
VNT VENETIIS INSIGNITA PER NICOLA
VM IENSON GALLICVM .M. CCCC .LXXV.

Non commemoravi, quae attendere bibliographi solent, folium vacuum inter Georgica et Aeneidem, et paginam vacuam relictam esse inter Aeneidem et Maphei librum. Graecas litteras, si recte memini, Iensonus nullas habuit: certe in Vita Donati §. 62. ed. Heyn. pro *κακοζηλίας* lacuna est; ibid. §. 63. omissum est *Ὁμοιοτελεύτων*; et §. 66. sunt tantum latina: *communia* etc. At in Veneta Rubei sunt graeca, ut in Servianis ad Ecl. 60. 105. alibi. Conspicuum etiam exemplar Lipsiense Venetae Iens. rubricatoris artificio est, inprimis in Bucolicorum initio.

Denique explicandum, quae sit, quam hic illic laudavi ad Catonem, *Gloss. V. I.* hoc est, Glossa Venetae Iensoni. Exemplar Lipsiense fere totum margines, et quae sunt inter versus spatia, glossis explicationibusque manu scriptis repleta atque obruta habet. Priore libri parte nullum carmen plures habet, quam Elegia in Maec. ob. at creberrimae ac densissimae sunt in Bucolicis, Georgicis, Aeneide: ad Maphei librum, ad Aetnam, ad Catalecta nullae sunt; ad Diras satis multae, neque omnes ineptae. Scriptae autem sunt, ut colligo ex duabus annotationibus, quas eadem manus in fine libri apposuit, in Italia, haud dubie Romae, circa annum 1498. Scilicet glossator, qui idem possessor fuit libri, in ultima pagina haec sibi annotavit, non pertinentia ad Virgilium: *Pomponius Letus* : *poeta laureatus* : *exquisitissimus antiquitatis indagator* : *lingue latine pater et musarum decus* : *anno etatis sue septuagesimo quarto in monte Caballino diem suum obiit Iunii die.* IX. *Anno* xpi. 1498. *Tumulum habet in arce celi. quod alias in ara celi dicitur.* Quo novo testimonio confirmatur, quod de anno

dieque mortis Pomponii Laeti Michael Fernus tradidit. Deinde: *Eodem anno Alexander papa* vi.*tus. hispanos pene trecentos : mares et feminas : qui sectam Marranorum profitebantur, quae fere cum hebreis consentit, ad fidem* xpi̅ *recepit. faties eorum certe tales erant : vt non quemquam Saturno satum esse negares. habitu cereo rubea cruce et in tergo et in pectore distincto, crucifixi signum alte prelatum sequentes a diuo petro ad Mariam Minerue sunt pleno ordine profecti, vbi vestem commemoratam deposuerunt Iulii die.* 29. Domitium Glossator novit, et aliquoties, ut Dirar. v. 1. ad *cygneas*, v. 10. 70. 86. 89. ante oculos habuit, et diserte nominat Domitium ad v. 9. At quid hoc est, quod Alcinii versibus paraphrasin Glossator adscripsit hoc titulo: *Summa Domitii Afri*? Eumdemne Domitium intelligit? Sed cur Afri? Pomponium non videtur novisse Glossator: certe ad Diras nullam glossam reperio, quae similis notatis a Pomponio certo dici queat. De Thorone Milieno, quem Gloss. V. I. tam saepe inculcat, dixi supra. Caeterum, quod Catonem attinet, hoc, praeter unum codicem ms. Mediceum, et praeter conamina Pomponii Domitiique, exemplum habeo tentatae in difficillimo poeta interpretationis, illa quidem aetate, unicum. Praeterea ille non ineptus homo, quum non recte procedere ubique interpretationem sentiret, et in universum recte pronunciavit: *battarus non est plene emendata*, quod sane verissimum de hac editione Veneta Iensoni, quam manibus tenebat Glossator, et ipse artem criticam factitavit, locosque non paucos, partim ex aliis libris editis, partim ex sua aliorumve coniectura, et unum quidem alterumque perbene, correxit atque refinxit: plerumque ita, ut editam ab Iensono scripturam deleverit, et pro ea reposuerit suam. Quae omnia diligenter indicavi.

Proxima eminet, eodem anno, quo binae istae Venetae prodierunt, edita, saltem ex parte, *Lovaniensis*, litteris gothicis sed iis non inficetis, et omnino satis accurate ac liberaliter impressa. Est opus illud, quod manibus teneo, illatum in Bibliothecam Universitatis Rhenanae cum libris Harlesii, bipartitum. Partis prioris, quae Bucolica, Georgica, et Opuscula nonnulla continet, initium: *Publii Uirgilii Maronis bucoli-* [illegible] *prima egloga Incipit feliciter Melibeus Titirus.* Georgicorum [illegible]gulis praefixa sunt Argumenta tetrasticha, in libro primo cum [illegible]vidii, in reliquis libris sine nomine auctoris. Libro quarto [illegible]am subiecta sunt Opuscula haec, et hoc ordine, et his in-[illegible]s: *Publii maronis virgilii carmen de copa incipit*; *Publii* [illegible]*irgilii carmē de est ē nō Incipit*; *Pub. maro. vir. de in-* [illegible]*boni viri Incipit* *Pub. maro. virgi. carmen de rosis nascen-*

*tibus. seu de labilitate vite humane ad modum rose Incipit*; *Pub. maro. vir. moretum Incipit feliciter.* Sub Moreto: *Presens bucolicor̃ georgicor̃ ẽ quorũdã tractatulor̃ op⁹ insigne virgilii poetar̃ principis: Ioãnes de paderborne ĩ vvestfalia alma in vniuersitate louaniensi residens suo pprio signo ↄsignando feliciter ↄsummauit Anno incarnationis dominice.* M. CCCC. LXXV. *mẽsis nouembris die vicesimanona.* Additum est signum. Et in folio verso index partim erratorum, partim diversitatum, quae examinandae lectori proponuntur. Parte altera continentur duodecim *eneidis* vel *eneidum* libri. Praepositum est libro primo *Argumẽtũ ouidii nasonis in libros eneidũ virgilii*; illud quod est in Anthol. Lat. Burmanni lib. II. CXC. *p Rimus habet libicã* etc. Deinde singulis libris argumenta ea, quae Burmannus ibid. CXCII. exhibet, praeposita sunt, sed semper aucta uno versu, dum praefigitur versus ad eum librum pertinens ex monostichis apud Burmann. l. l. CXCI. ita ut ubique versus sint undecim, praeterquam in libro tertio, ad quem decem tantum leguntur hi: *p Ost euersa frigũ regna fuga — drepanis. hic deinde quieuit.* Sunt autem haec argumenta inde a libro quinto Ovidio adscripta. In fine Aeneidos versus legitur: *Laus tibi sit christe virgilius explicit iste.* Tum librarius ita: *Solent qui libros imprimunt autoris laudes vel post libri finem vel ante initiũ collocare. sed cum omnium poetarum latinorum optimus orator quoq; maximus Publicus Maro Uirgilius nõ iniuria ab omnibus predicetur: curam hanc impresentiarum reiicere dignũ duxi. sufficit mihi maiorum testimonium. Hunc ego Ioãnes de Paderborne in Westfalia florentissima in vniuersitate louaniensi residens: q̃;uis non mihi vtilem in volumine magno ẽ multa materia diffusum impressi multorum peritorum instantia victus: qui sic pro quibusdam glosulis inter lineas inserẽdis saltem his qui nundum in eo initiati erãt opus esse aiebant: non parua data opera v́t eum aliis emẽdatiorem ẽ melius punctis distinctum reddere᷉. Finitum itaq; est opus istud per me Ioãnem prenotatum meo solito signo consignando anno ab incarnatione dominica millesimo quadringentesimo septuagesimosexto mensis aprilis die octaua.* Subiectum est signum. Denique duabus paginis index erratorum, quae quidem non pauca sunt, ac partim gravia, et diversitatum. In hac Lovaniensi adornanda codices esse scriptos non contemnenda antiquitate adhibitos multa sunt quae suadent. Certe mihi nulla editio antiqua innotuit, quae similis Lovaniensi sit; accedit ad Lovaniensem, sed in nonnullis tantum, Mutinensis: at libros scriptos qui adierit, ista quae singularia insunt in Lovaniensi, reperiet fere omnia. Singularia dico; non dico vera esse omnia. Sic statim singulares sunt, neque alibi facile nisi in libris scriptis inveniendae, inscriptiones carmi-

num, quas Lovaniensis habet: non solum illae, quas ex Opusculis attuli, sed etiam nonnullae Eclogarum: *Quarta egloga*; *Seculi nocia* (sic) *interp̄tatio*. *Decima egloga*; *Conq̄stio cũ gallo de agris*. In Aeneide hoc statim memorabile est, quod desunt libro primo versus quatuor *Ille ego qui quondam* etc. item desunt libro secundo versus illi duo et viginti. et hos quidem in fronte exempli nostri supplevit manus antiqua. Quo magis dolendum est, quod Dirae non insint in hac editione. Quamquam Ioannem Vestfalum, si tam bonum ad Diras codicem adhibendum habuisset, quam habuit ad Copam, Moretum, non omissurum fuisse Diras crediderim: at sane Copae et Moreti frequentiores codices sunt, quam Dirarum.

## *Vicentina* 1479. *fol.*

Communicata mecum perquam liberaliter ex Bibliotheca Gottingensi a Viro Celeb. Reussio, a quo hoc impetraverat L. Dissenus vir doctissimus mihique a longo inde tempore dilectissimus. Primo loco: MARONIS VITA. Sequitur Servii Introductio sive Praefatio in Bucolica. Tum praefatio Ioannis Calphurnii, quae tota est de Servio, quem emendatum a se atque expurgatum esse gloriatur. Exscripsi quae potiora sunt. *Ioannes Calphurnius Hieronymo Portensi uiro clarissimo & cõpatri amãtissimo. S. P. Non possum non admirari quendam nostri temporis hominem satis eruditum: qui tam celeberrimum scriptorem quibusdam ineptiis additis coinquinare sit ausus: non credo tamen eum uoluisse ut Serui scriptis insererentur: utcunq; sit una impressæ erant: — — fuerunt mihi duo exemplaria mire uetustatis quibus melius deprendi potuit. quid tollendũ: quid ue relinquendum foret: quod si quis aliter persuasisset legat queſo & perlegat que manu scripta sunt intelliget si mentior: — — bene uale: Sed aliter ualeant nonnulli pedagoguli qui antea Seruium duro ore & insulsissimis litterulis lacerare non dubitabant: si post hac idem factitabunt suam imperitiam omnibus ostendent.* Hic finis est praefationis: cui subiecta est nota librarii: *Hoc opus exactissima cura & eruditione Ioannis Calphurnii uiri doctissimi recognitum Leonardus de Basilea Vincentiæ diligentissime impressit Anno a natiuitate domini nostri Iesu Christi.* M. CCCC. lxxix. Hinc pedetentim ac perpetuo Venetam Rubei sequitur Vicentina, et carmina eodem ordine, iisdemque inscriptionibus omnia exhibet, usque ad finem, quae sunt in Veneta Rubei. Quid? quod tanta est inter Venetam Rubei et Vicentinam similitudo, ut in Operibus Virgilii maioribus plerumque pagina paginam referat; in Opusculis Vicentina

aliquantulum praecedere Venetam Rubei solet: habet enim, in Opusculis quidem, versus 48 in quavis pagina, Veneta autem Rubei versus 47. Vitia Venetae Rubei nonnulla correcta sunt in Vicentina, ut Cul. 212. (213.) *Erreptus tetris e cladibus*: ubi Ven. Rub. *Ereptus de terris e cladibus*. ut Dir. v. 61. 117. 143. utque *neptunus, neptune,* quod in Veneta Rubei *neptũnus, neptũne* est; alia fideliter retinet Vicentina, ut *ergo* Dir. v. 179. et ineptum illud *terentia, tereor, exteruit, deterendi, teribilis* pro *terrentia* etc.; denique nova vitia intulit magno numero, ac foedissima, ut Cul. 165. *montis orbes*. et Dir. 76. *montis hymbres*. Cir. 325. *mihi miseræ*. ibid. 512. *Non tibi thalamus tyrio fragrans accepit amomo*. Ab altera parte, quominus nihil nostram Vicentinam esse nisi negligenter factam Venetae Rubei repetitionem statuas, obstant loci, quos Vicentina aut melius scriptos, aut saltem a Veneta Rubei diversos habet non paucos. Igitur haec nova, et plerumque meliora undenam venisse in Vicentinam putabimus? Ipsumne ea sive ex ingenio sive ex antiquioribus libris intulisse Calphurnium? Id duobus post annis in Catullo et caet. egisse Ioannem Calphurnium scimus; in Virgilio idem factum esse ab eodem nego propter praefationem sive epistolam ad Hieronymum Port. quae tota, ut dixi, de Servio est: quodsi etiam Virgilio ipsi manum emendatricem admovisset, moniturus erat ea de re verbo. Deinde quam in universum tam negligenter, et parum speciose impressam esse apparet, ut repetita esse festinanter ex alia editione videatur, non credibile est locis nonnullis diligentem critici curam expertam esse. Itaque hanc Vicentinam ex alia quadam editione, inter annum 1475. et 1479. media, repetitam, ex eaque, quicquid haec boni ac novi habet, fluxisse existimo. Ea editio fortasse est Vicentina 1476. per Ioannem de Vienna, quam charactere nitidissimo expressam esse aiunt.

Quae bona esse ac nova dixi in Vicentina, partim in Operibus Virgilii maioribus inveniuntur, etsi ad haec non diligenter attendi animum. Annotavi obiter Aen. I. 518. ubi *cunctis* in Veneta Rubei, in Vicentina *cuncti* esse; Aen. III. 341. Ven. Rub. *Ecquæ tum p.* Vicent. *Ecqua tamẽ p.* Aen. V. 812. Ven. Rub. *mihi præstat*: Vicent. *mihi perstat*. Aen. XII. 630. Ven. R. *Nec uero inf.* Vicent. *Nec nũero inf.* Tum vero in Opusculis saepe atque insigniter discrepat a Veneta Rubei Vicentina. Ac nonnulla sunt, quae ex libris antiquis, hoc est e libris manu scriptis, petita esse manifestum est. Sic in Vicentina primum, quantum nobis quidem constat, comparuere carmen *Superbe Noctuine* integrum, sed vehementer corruptum, et cum hoc carmine coniuncti carminis *Iacere me quod alta non possim* versus sedecim priores, non minus corrupti. Alia utrum ex libris scriptis, an ex libris

editis Vicentina prioribus, an ex virorum doctorum coniectura illata fuerint, incertum est. In carmine *Corinthiorum amator iste verborum* quam Vicentina scripturam habet: *Chorynthiorum — britanus attice febres Thau gallicum enim & spinet male illi sit* fortasse e Quintiliano illata est. Quae alia ad cognoscendam Vicentinae proprietatem faciunt, supra a me collecta sunt in descriptione Vossiani I. pag. 351. et Vossiani II. pag. 371. ubi etiam de Vicentinae cum Vossiano II. cognatione monui. Restant pauca. Gravissimum hoc, quod Vicentina, ut versus complures, totasque carminum partes restituit, quae desiderantur in libris ante Vicentinam vulgatis, ita in versibus singulis priorum librorum lacunas explet aliquoties. In Catalectis ter. Duobus locis, de quibus supra relatum, Catalect. XI. 31. XIV. 5. Et in his quidem cum Vicentina convenit Vossiano II. At eadem Catalect. XI. versum 33. cuius in libris prioribus, itemque in Vossiano II. una tantum littera initialis *R* exstat, talem exhibet: *Raptato curru nimiumq; per æthera terræ*, nescio unde. Qui alii Catalectorum versus in libris vulgatis, codicem Basil. Venetasque Rubei et Iensoni dico, elapsis syllabis ac verbis corrupti imperfectique sunt, ii, quantum observavi, omnes eodem modo corrupti in Vicentina Vossianoque II. leguntur. Ut in carmine quod Priap. LXXXV. apud Burmannum, v. 2. *Ego arida viator* Vicent. et Voss. II. cum caeteris vulgatis: et sic in Vratisl. III. at in Voss. I. si fides silentio Vossii, *Ego arida o viator*. ibid. v. 13. *Grauem domum* nihil amplius, Vicent. et Voss. II. cum caeteris vulgatis. Priap. LXXXVI. Burm. v. 1. *Hunc iuuenes locum* iidem omnes, omiss. *ego*. ut taceam cod. Basil. in quo maior lacuna. v. 2. *carisq;* pro *caricisque* iidem omnes. v. 3. *formata* iidem omnes, praeter cod. Basil. in quo *formidata*. v. 6. *Pauperis tugurii pater filiusq;* nihil amplius, iidem omnes, etiam cod. Basil. v. 9. *Alter parva ferens semper munera larga* iidem omnes, omiss. *manu*. Catalect. I. ed. Heyn. v. 5. de quo monui p. 371. Catalect. III. ed. H. v. 2. 3. et 4. de quo carmine supra retuli p. 350. Catalect. X. 5. *primisque* pro *inprimisque*, de quo supra p. 351. Aetnae versus 208. (210.) in Venetis Rub. et Iens. ita conceptus: *E xigitur*: *uertit uasa . . . uertice sæuo*, itemque in cod. Basil. *Exigitur vertit uasa . . . vertice seuo*, suppletus in Vicentina: *E. uertit uasa omnia uertice s.* Vossianum II. non inspexi. In Ciri tres versus in Vicentina Vossianoque II. pariter atque in cod. Basil. et Veneta Rubei imperfecti: 12. *Quod si mirificum genus omnes*. 66. *Ipse gratinei matrem sed siue erichthei*: quo in versu etiam alia est maior lacuna codicis Basil. et Romanae II. 112. *Hospitioq;* (*Hospicioq;* cod. Bas.) *senis hypolidosa uicto*. Versum 102. Veneta Rub. cum cod. Basil. sic: *Actæos* (*Acteos* cod. Bas.) *inter colles & candida thes*

Plenus in Vicent. et Voss. II. *thefei.* Et haec quidem de lacunis versibusque imperfectis. Verum sunt etiam alii loci, quibus a Veneta Rubei recedit Vicentina. In Culice quidem, et in Diris non memini quicquam me invenire gravius, hoc est, nihil tale, quod non statim corrigere ex ingenio vir paullo peritior potuerit. Neque in Copa, Est et Non, Viro bono, Rosis. At vera lectionis varietas reperitur aliquoties in Aetna, Ciri, Catalectis, Moreto, et Elegia in Maec. obitu. Cf. quae mox de Pomponio. Vitia Vicentinae in Diris non annotavi, nisi quid memorabile visum fuerit.

Vicentinam sequitur longa editionum series, ita sibi inter se similium, ut unam expressam esse ex altera, et rursus ita similium Vicentinae, ut omnes a Vicentina, et per Vicentinam a Veneta Rubei, pendere appareat. Certe mihi apparuit in Diris. Enimvero quum editiones saeculi XV. exeuntis non paucas, quas statim enumerabo breviter, ad Diras diligenter contulissem, omnesque et inter se consentientes et cum vulgata per Rubeum, Iensonum, et per Vicentinam scriptura conspirantes vidissem, de reliquis carminibus quaerere, et plura huius aetatis exemplaria conquirere taedebat. Iste consensus iam in Tabula librorum cernitur. quam huius classis editiones habere solent ei, quae est in Veneta Rubei, simillimam, vel prorsus geminam. V. c. Tabulae editionis Norimbergensis 1492. et Venetae Pinc. 1499. prorsus ut Tabula Venetae Rubei, argumenta ista in Aeneidos libros, quae incipiunt *Aeolus* etc. inter *Summam Virgilianae narrationis* et *Priapeia* posita esse mentiuntur, quum in his ipsis editionibus non hoc loco, sed alio edita legantur. Non dico nihil quicquam has inter se, quas contuli, differre: sunt nonnulla in hac vel illa editione hic illic singularia, sed ea rara sunt, solitaria, casu illata, ut quum Dir. 166. in Brixiensi 1485. *furti* invenitur, exquisitissima lectio, quam in nulla editione antiquiore, praeter Mutinensem, repperi. In universum nihil mutatum est in Diris, si nova excipias vitia, inde a Venetis Rubei et Iensoni Vicentinaque usque ad Iod. Badium Ascensium et Aldum, iis quidem in editionibus, quas ego contuli. Quamquam ne haec quidem, quae Badius et Aldus novaverunt, multa sunt aut gravia. Versum 102. ego, excepta Mutinensi, in nulla vidi ante Aldinam 1517. Vitia autem non omnia, sed hic illic unum alterumque de multis commemoravi. Sic vitia Venetae Rubei *terentia* v. 56. *In uicem* v. 143. repetita esse in multis editionibus, non indignum observatione erat, quoniam hinc quoque apparet, quam arcte cum Veneta Rubei nexae atque cognatae sint editiones sequentes.

Sed antequam meas recenseam, indicabo quae Burmanno praesto fuerint. Habuit ille, laudavitque tum ad Catonem, tum ad multa alia poemata Anthologiae Latinae, et editiones antiquas ante Aldinas, vetustiores, vel adeo primas appellat, Vicentinam 1479. Brixiensem 1485. et Venetas duas, 1480. et 1487. Et de his quidem certa res est: laudat enim, cum indicio anni, Venetam 1480. ad inscriptionem Dirarum, Venetam 1487. ad Dir. 98. 100. et utramque saepius in Anthologia, e. g. ad Priapeia, de ortu solis Anth. lib. V. II. p. 300. de quatuor temporib. anni ibid. LII. p. 342. ad Virum bonum ibid. CXLI. p. 417. cf. eodem Tomo II. p. 314. b. p. 315. b. p. 344. a. p. 380. b. p. 407. a. p. 422. a. Et tres, Vicentinam 1479. Brixiensem 1485. Venetam 1487. tamquam ex apparatu Burmanni commemorat Io. Schraderus Emendat. cap. III. extr. In Tom. I. Anthologiae nullam Burmannus, si recte memini, editionem Venetam adhibuit praeter Venetam 1480. Cf. Epist. ad Hoppium p. XXXIV. Quae praeterea Burmanno laudantur, Veneta 1483. T. II. Anth. p. 381. b. Veneta 1484. To. I. p. 53. bis, T. II. p. 484. b. Veneta 1486. T. II. p. 347. b. bis, p. 348. a. eas obiter inspexit Burmannus, vel etiam laudavit post alios: cf. Epist. ad Hoppium p. LVI. nisi erratum est aliquid in annis. certe quod ad inscriptionem Dirarum Venetam 1485. laudat, errore puto calami aut operarum factum esse, quum Venetam 1487. dicere voluerit.

Non vidi Venetam 1483. per Baptistam de Tortis, in qua primum prodisse *Domitii Calderini Veronensis* Enarrationem vel Commentarios in Opuscula quae dicuntur Virgilii testatur Heynius ex aliis. Ego quae hanc Domitii opellam exhiberet, nullam habui antiquiorem Norimbergensi 1492. Est igitur Domitius, tempus si spectes, quo editi fuerunt eius commentarii, primus Opusculorum interpres; at, si de eo quaeritur, quando primum concepti fuerint, demonstravisse mihi videor Disputatione de Iulio Pomponio Sabino, Virgilii interprete, Bonnae 1824. edita, posteriorem esse Domitium Pomponio Sabino, de quo statim dicam ad annum 1487. Carmina autem, in quae scripsit Domitius, haec sunt: In Maec. obitu, Copa, Est et non, Vir bonus, Rosae, Culex, Dirae, Aetna, Ciris. Eadem sunt, quae Pomponius interpretatus est, praeterquam quod in Moretum nihil exstat a Domitio scriptum, Pomponius vero non attigit Aetnam. Elegiam in Maec. ob. Domitius interpretatur quidem, sed adscribi posse Virgilio negat; at Aetnam Virgilianum esse opus credit. Contra Pomponius Elegiam istam Virgilio tribuit, Aetnam existimabat a Cornelio Severo factam esse: cf. F. Ursini Virgilius coll. ser. gr. illustr. p. 315. ed. Valck. Non monuissem, nisi hoc quoque exemplo constaret, consuetum fuisse Domitio, obloqui tum aliis, tum

Pomponio. Quamquam hac in re aequa Pomponio culpae atque erroris pars est cum Domitio: non debebat enim neque Aetnam Domitius neque Pomponius elegiam illam tribuere Virgilio.

De commentariis Domitii, si hos appellare commentarios debeas, quam tenues sint, deinde videri imperfectos esse, et esse post mortem Domitii editos, dictum a me est Disputatione illa pag. 12. seq. Item de mirifica similitudine, quae est inter Domitium et interpretationem Pomponii: quam similitudinem ita esse explicandam statuo, ut Domitius nactus sit dictata Pomponii et inde multa in suas chartas derivaverit. Ut unum commemorem exemplum, Pomponius ad Copam docuerat: *Copas appellabant mulieres vagas. et Mecoenas servam habebat Copam.* Id quum legisset vel audisset Domitius, ex serva Maecenatis libertam fecit; de suo addidit summam opusculi esse, ut *hortetur Mecoenatem et socios ad voluptatem.* ut reliquam eius eruditionem praeteream. Addam duo locos, quibus Domitius perstringere Pomponium videtur. Eorum unus est in Diris v. 40. ubi Pomponius non male sic: *Aethere cyaneo*: *Cyanos color coelestis.* At Domitius: *cyaneo*: *non a colore caelesti, sicut quidam interpretati sunt, dixit*: *sed a Cyaneis petris in regione Ponti frequenter se moventibus epithetum traduxit* etc. Ad Cirin v. 204. Pomponius: *Calceius heros*: *Appositum nimis alte repetitum, a Calcide Locrorum urbe, ex qua profecti Pelasgi habitaverunt in Attica cum Ionibus. alii dicunt Lelegas, qui sunt Locrenses. Et Nisus fuit filius Pandionis regis Atticae.* Quid Domitius? *Chalcheius*: *Chalcis oppidum est Locrorum et in Euboea est. sed non propterea Nisus Megarensium rex Chalceius nominatus est*: *sed potius ab aureo capillo*: *nam χαλκος aes et metallum significat.* Pomponium itidem, nisi fallor, respicit Domitius ad Cir. 161. ubi de Tirynthe: *quidam dixerunt coli ibidem Cupidinem.* Tradit hoc, nescio unde, Pomponius. Codices Domitius nullos adhibuit. Ad Dir. 151. (48.) verba Domitii haec exstant: *Similis conditio. nam aureo saeculo nymphae secutae errabant per siluas & loca.* Hinc Putschius nuper diversam a vulgata versus 147. (44.) scripturam erui posse, quae fuerit in libro Domitii, coniecit: *Et quem* nympha *deum* in silvis *fama* secuta *est.* Coniectura parum probabili: maxime si reputes corrupta haud dubie esse verba Domitii, ut sunt supra a me apposita ex Norimbergensi 1492. In Ascensianis illa sic concepta exhibentur: *nam a. s. nymphae* securae *errabant per syluas et l.* quod multo aptius. Coniecturam Domitii in Diris unam tantum recordor, *pastos* v. 52. Si tamen hoc ipse coniecit Domitius, neque accepit ab alio.

Iam mihi editiones Virgilii, ante Ascensium, praeter illas anti-

## *Veneta Iensoni* 1475. *fol.*

Exstat Lipsiae in Bibliotheca Paullina. Veneta Rubei posteriorem esse eo efficitur, quod diem mensemque subscriptum habet nullum, Veneta autem Rubei absoluta est mense Ianuario. Ego diu repetitam ex Veneta Rubei Venetam Iensoni existimavi: tam sunt inter se similes. Nunc, mutata paullulum sententia, eamdem ab Rubeo et Iensono editionem vetustiorem expressam esse censeo, sed accuratius ab Iensono. Id ut censeam, effecit apud me ordo carminum, quem apud Iensonum plane eumdem esse deprehendi, qui est in editionibus antiquioribus, ut in Romana 1473. Ordo etiam Opusculorum prorsus idem est in Veneta Iensoni atque in Romana 1473. primo loco Moretum, tum Priapeia, Copa etc. Contra Rubeus ordinem mutavit eum in modum, de quo iam dictum est a me. Praeterea Iensonus Servium omisit. Haec non ita disputo, acsi ignotam fuisse Nicolao Iensono editionem Rubei putem: immo quam maxime notam fuisse, et hoc egisse inprimis Iensonum suspicor, ut superaret Rubeum, et emturientes ad suam tabernam alliceret. Ac re vera sunt Iensoni litterae aliquanto litteris Rubei elegantiores, si recte memini, impressio aliquanto purior atque exactior; et in verbis hic illic recedit a Veneta Rubei. Quamquam fatendum est ea nec multa neque gravia esse, neque bene ubique recedere Iensonum, iis quidem in carminibus, quae contuli. Contuli autem, vel potius exscripsi quam diligentissime Diras: tum contuli accurate Moretum, Copam, Catalecta. Differt Iensonus a Rubeo maxime orthographia. Sic litteras initiales maiores, quas Rubeus nullas habet nisi in versuum initiis, Iensonus passim, non constanter, intulit: *Diras*, *Trinacriae*, *Pampinus*, *Battare*, *Cereris*, *Veneris*, *Iuppiter*, *Cyaneo*, *Erebo*, *Neptūnus*, *Vulcanus*, *Iouis*, *Syrtis*, *Lydia*, *Baccho*, *Phoebe*, *Minoidis*, *Iunone.* Iensonus: *phystula*, *Aphricus*, et in Moreto *Aphra*, ubi Rubeus *fistula*, *Africus*, *Afra*; contra *imber*, *imbres*, ubi Rubeus *hymber*, *hymbres.* Iensonus: *foelicia*, *foelix*, *Infoelix*, ubi Rubeus *felicia* etc. Deinde Iensonus compendia scripturae minore numero, quam Rubeus, et interpunctionem hic illic habet meliorem, ut Dir. 59. 61. 177. Vitia ex parte Iensono sunt cum Rubeo communia, ut BATTAREM in titulo carminis. *terra* v. 23. *reuocasse* v. 54. *aduersi* v. 68. *amnis* v. 69. *Vnde lapſa* v. 79. *uiterula* v. 115. *declinarit* v. 117. *nostri* 145. *celebrabit* 146. *diutius* 160. *ergo* 179. Alia propria Rubeo sunt, ut *douota* v. 34. *terentia*, quo modo hoc verbum ubique scribit Rubeus, v. 56. *ferrum* v. 61. *In uicem* v. 143. *Diceret* v. 163. v. 117. Rubeus *illæserit*, Iensonus *illeserit.* v. 160.

Rubeus *lætum*, Iensonus *lethum*. Copac v. 12. *Et* Rubeus, *Est* Iens. Talia fere sunt, quibus Iensonus a Rubeo discrepat. Quae sunt omnia eiusmodi, ut commode in duas classes describi posse videantur. Nonnulla enim Iensonum ipsum, ex suo ingenio, vel eum quo correctore usus est Iensonus, intulisse probabile est. Alia esse ex editione antiquiore, quam Iensonus et Rubeus eamdem, sed Iensonus maiori cum diligentia pressiusque sequutus sit, coniicio. Eiusmodi discrepantiam, quae fontes arguat diversos, non memini me invenire ullam.

Finitur Veneta Iensoni in Catalectis, versibus his:

N unc superesse patri quod fuit inuidia.
S uperbe noctu repuditum caput.
D atur tibi puella quam petis datur.

quibus subiecta est subscriptio:

P. V. MARONIS OPERA FOELICITER FINI-
VNT VENETIIS INSIGNITA PER NICOLA
VM IENSON GALLICVM .M. CCCC .LXXV.

Non commemoravi, quae attendere bibliographi solent, folium vacuum inter Georgica et Aeneidem, et paginam vacuam relictam esse inter Aeneidem et Maphei librum. Graecas litteras, si recte memini, Iensonus nullas habuit: certe in Vita Donati §. 62. ed. Heyn. pro *κακοζηλίας* lacuna est; ibid. §. 63. omissum est *Ὁμοιοτελεύτων*; et §. 66. sunt tantum latina: *communia* etc. At in Veneta Rubei sunt graeca, ut in Servianis ad Ecl. 60. 105. alibi. Conspicuum etiam exemplar Lipsiense Venetae Iens. rubricatoris artificio est, inprimis in Bucolicorum initio.

Denique explicandum, quae sit, quam hic illic laudavi ad Catonem, *Gloss. V. I.* hoc est, Glossa Venetae Iensoni. Exemplar Lipsiense fere totum margines, et quae sunt inter versus spatia, glossis explicationibusque manu scriptis repleta atque obruta habet. Priore libri parte nullum carmen plures habet, quam Elegia in Maec. ob. at creberrimae ac densissimae sunt in Bucolicis, Georgicis, Aeneide: ad Maphei librum, ad Aetnam, ad Catalecta nullae sunt; ad Diras satis multae, neque omnes ineptae. Scriptae autem sunt, ut colligo ex duabus annotationibus, quas eadem manus in fine libri apposuit, in Italia, haud dubie Romae, circa annum 1498. Scilicet glossator, qui idem possessor fuit libri, in ultima pagina haec sibi annotavit, non pertinentia ad Virgilium: *Pomponius Letus*: *poeta laureatus*: *exquisitissimus antiquitatis indagator*: *lingue latine pater et musarum decus*: *anno etatis sue septuagesimo quarto in monte Caballino diem suum obiit Iunii die.* IX. *Anno* xpi̅. 1498. *Tumulum habet in arce celi. quod alias in ara celi dicitur.* Quo novo testimonio confirmatur, quod de anno

dieque mortis Pomponii Laeti Michael Fernus tradidit. Deinde: *Eodem anno Alexander papa* vi.*tus. hispanos pene trecentos : mares et feminas : qui sectam Marranorum profitebantur, quae fere cum hebreis consentit, ad fidem* xpĩ *recepit. faties eorum certe tales erant : vt non quemquam Saturno satum esse negares. habitu cereo rubea cruce et in tergo et in pectore distincto, crucifixi signum alte prelatum sequentes a diuo petro ad Mariam Minerue sunt pleno ordine profecti, vbi vestem commemoratam deposuerunt Iulii die.* 29. Domitium Glossator novit, et aliquoties, ut Dirar. v. 1. ad *cygneas*, v. 10. 70. 86. 89. ante oculos habuit, et diserte nominat Domitium ad v. 9. At quid hoc est, quod Alcinii versibus paraphrasin Glossator adscripsit hoc titulo: *Summa Domitii Afri*? Eumdemne Domitium intelligit? Sed cur Afri? Pomponium non videtur novisse Glossator: certe ad Diras nullam glossam reperio, quae similis notatis a Pomponio certo dici queat. De Thorone Milieno, quem Gloss. V. I. tam saepe inculcat, dixi supra. Caeterum, quod Catonem attinet, hoc, praeter unum codicem ms. Mediceum, et praeter conamina Pomponii Domitiique, exemplum habeo tentatae in difficillimo poeta interpretationis, illa quidem aetate, unicum. Praeterea ille non ineptus homo, quum non recte procedere ubique interpretationem sentiret, et in universum recte pronunciavit: *battarus non est plene emendata*, quod sane verissimum de hac editione Veneta Iensoni, quam manibus tenebat Glossator, et ipse artem criticam factitavit, locosque non paucos, partim ex aliis libris editis, partim ex sua aliorumve coniectura, et unum quidem alterumque perbene, correxit atque refinxit: plerumque ita, ut editam ab Iensono scripturam deleverit, et pro ea reposuerit suam. Quae omnia diligenter indicavi.

Proxima eminet, eodem anno, quo binae istae Venetae prodierunt, edita, saltem ex parte, *Lovaniensis*, litteris gothicis sed iis non inficetis, et omnino satis accurate ac liberaliter impressa. Est opus illud, quod manibus teneo, illatum in Bibliothecam Universitatis Rhenanae cum libris Harlesii, bipartitum. Partis prioris, quae Bucolica, Georgica, et Opuscula nonnulla continet, initium: *Publii Uirgilii Maronis bucolicorum prima egloga Incipit feliciter Melibeus Titirus.* Georgicorum libris singulis praefixa sunt Argumenta tetrasticha, in libro primo cum nomine Ovidii, in reliquis libris sine nomine auctoris. Libro quarto Georgicorum subiecta sunt Opuscula haec, et hoc ordine, et his inscriptionibus: *Publii maronis virgilii carmen de copa incipit*; *Publii maronis virgilii carmẽ de est ẽ nõ Incipit*; *Pub. maro. vir. de institutione boni viri Incipit Pub. maro. virgi. carmen de rosis nascen-*

*tibus. seu de labilitate vite humane ad modum rose Incipit*; *Pub. maro. vir. moretum Incipit feliciter.* Sub Moreto: *Presens bucolicor̃ georgicor̃ ẽ quorũdã tractatulor̃ op⁹ insigne virgilii poetar̃ principis*: *Ioãnes de paderborne ĩ vvestfalia alma in vniuersitate louaniensi residens suo pprio signo ↄsignando feliciter ↄsummauit Anno incarnationis dominice.* M. cccc. lxxv. *mẽsis nouembris die vicesimanona.* Additum est signum. Et in folio verso index partim erratorum, partim diversitatum, quae examinandae lectori proponuntur. Parte altera continentur duodecim *eneidis* vel *eneidum* libri. Praepositum est libro primo *Argumẽtũ ouidii nasonis in libros eneidũ virgilii*; illud quod est in Anthol. Lat. Burmanni lib. II. cxc. *p Rimus habet libicã.* etc. Deinde singulis libris argumenta ea, quae Burmannus ibid. cxcii. exhibet, praeposita sunt, sed semper aucta uno versu, dum praefigitur versus ad eum librum pertinens ex monostichis apud Burmann. l. l. cxci. ita ut ubique versus sint undecim, praeterquam in libro tertio, ad quem decem tantum leguntur hi: *p Ost euersa frigũ regna fuga — drepanis. hic deinde quieuit.* Sunt autem haec argumenta inde a libro quinto Ovidio adscripta. In fine Aeneidos versus legitur: *Laus tibi sit christe virgilius explicit iste.* Tum librarius ita: *Solent qui libros imprimunt autoris laudes vel post libri finem vel ante initiũ collocare. sed cum omnium poetarum latinorum optimus orator quoq; maximus Publicus Maro Uirgilius nõ iniuria ab omnibus predicetur: curam hanc impresentiarum reiicere dignũ duxi. sufficit mihi maiorum testimonium. Hunc ego Ioãnes de Paderborne in Westfalia florentissima in vniuersitate louaniensi residens: q̃;uis non mihi vtilem in volumine magno ẽ multa materia diffusum impressi multorum peritorum instantia victus: qui sic pro quibusdam glosulis inter lineas inserẽdis saltem his qui nundum in eo initiati erãt opus esse aiebant: non parua data opera vt eum aliis emẽdatiorem ẽ melius punctis distinctum reddere. Finitum itaq; est opus istud per me Ioãnem prenotatum meo solito signo consignando anno ab incarnatione dominica millesimo quadringentesimo septuagesimosexto mensis aprilis die octaua.* Subiectum est signum. Denique duabus paginis index erratorum, quae quidem non pauca sunt, ac partim gravia, et diversitatum. In hac Lovaniensi adornanda codices esse scriptos non contemnenda antiquitate adhibitos multa sunt quae suadent. Certe mihi nulla editio antiqua innotuit, quae similis Lovaniensi sit; accedit ad Lovaniensem, sed in nonnullis tantum, Mutinensis: at libros scriptos qui adierit, ista quae singularia insunt in Lovaniensi, reperiet fere omnia. Singularia dico; non dico vera esse omnia. Sic statim singulares sunt, neque alibi facile nisi in libris scriptis inveniendae, inscriptiones carmi-

num, quas Lovaniensis habet: non solum illae, quas ex Opusculis attuli, sed etiam nonnullae Eclogarum: *Quarta egloga*; *Seculi nocia* (sic) *interp̃tatio*. *Decima egloga*; *Conq̃stio cū gallo de agris*. In Aeneide hoc statim memorabile est, quod desunt libro primo versus quatuor *Ille ego qui quondam* etc. item desunt libro secundo versus illi duo et viginti. et hos quidem in fronte exempli nostri supplevit manus antiqua. Quo magis dolendum est, quod Dirae non insint in hac editione. Quamquam Ioannem Vestfalum, si tam bonum ad Diras codicem adhibendum habuisset, quam habuit ad Copam, Moretum, non omissurum fuisse Diras crediderim: at sane Copae et Moreti frequentiores codices sunt, quam Dirarum.

## *Vicentina* 1479. *fol.*

Communicata mecum perquam liberaliter ex Bibliotheca Gottingensi a Viro Celeb. Reussio, a quo hoc impetraverat L. Dissenus vir doctissimus mihique a longo inde tempore dilectissimus. Primo loco: MARONIS VITA. Sequitur Servii Introductio sive Praefatio in Bucolica. Tum praefatio Ioannis Calphurnii, quae tota est de Servio, quem emendatum a se atque expurgatum esse gloriatur. Exscripsi quae potiora sunt. *Ioannes Calphurnius Hieronymo Portensi uiro clarissimo & cõpatri amãtissimo. S. P. Non possum non admirari quendam nostri temporis hominem satis eruditum*: *qui tam celeberrimum scriptorem quibusdam ineptiis additis coinquinare sit ausus*: *non credo tamen eum uoluisse ut Seruii scriptis insererentur*: *utcunq; sit una impressæ erant*: — — *fuerunt mihi duo exemplaria mire uetustatis quibus melius deprendi potuit. quid tollendũ* : *quid ue relinquendum foret*: *quod si quis aliter persuasisset legat queſo & perlegat que manu scripta sunt intelliget si mentior*: — — *bene uale*: *Sed aliter ualeant nonnulli pedagoguli qui antea Seruium duro ore & insulsissimis litterulis lacerare non dubitabant*: *si post hac idem factitabunt suam imperitiam omnibus ostendent.* Hic finis est praefationis: cui subiecta est nota librarii: *Hoc opus exactissima cura & eruditione Ioannis Calphurnii uiri doctissimi recognitum Leonardus de Basilea Vincentiæ diligentissime impressit Anno a natiuitate domini nostri Iesu Christi.* M. CCCC. lxxix. Hinc pedetentim ac perpetuo Venetam Rubei sequitur Vicentina, et carmina eodem ordine, iisdemque inscriptionibus omnia exhibet, usque ad finem, quae sunt in Veneta Rubei. Quid? quod tanta est inter Venetam Rubei et Vicentinam similitudo, ut in Operibus Virgilii maioribus plerumque pagina paginam referat; in Opusculis Vicentina

aliquantulum praecedere Venetam Rubei solet: habet enim, in Opusculis quidem, versus 48 in quavis pagina, Veneta autem Rubei versus 47. Vitia Venetae Rubei nonnulla correcta sunt in Vicentina, ut Cul. 212. (213.) *Erreptus tetris e cladibus*: ubi Ven. Rub. *Ereptus de terris e cladibus.* ut Dir. v. 61. 117. 143. utque *neptunus, neptune,* quod in Veneta Rubei *neptũnus, neptũne* est; alia fideliter retinet Vicentina, ut *ergo* Dir. v. 179. et ineptum illud *terentia, tereor, exteruit, deterendi, teribilis* pro *terrentia* etc.; denique nova vitia intulit magno numero, ac foedissima, ut Cul. 165. *montis orbes.* et Dir. 76. *montis hymbres.* Cir. 325. *mihi miseræ.* ibid. 512. *Non tibi thalamus tyrio fragrans accepit amomo.* Ab altera parte, quominus nihil nostram Vicentinam esse nisi negligenter factam Venetae Rubei repetitionem statuas, obstant loci, quos Vicentina aut melius scriptos, aut saltem a Veneta Rubei diversos habet non paucos. Igitur haec nova, et plerumque meliora undenam venisse in Vicentinam putabimus? Ipsumne ea sive ex ingenio sive ex antiquioribus libris intulisse Calphurnium? Id duobus post annis in Catullo et caet. egisse Ioannem Calphurnium scimus; in Virgilio idem factum esse ab eodem nego propter praefationem sive epistolam ad Hieronymum Port. quae tota, ut dixi, de Servio est: quodsi etiam Virgilio ipsi manum emendatricem admovisset, moniturus erat ea de re verbo. Deinde quam in universum tam negligenter, et parum speciose impressam esse apparet, ut repetita esse festinanter ex alia editione videatur, non credibile est locis nonnullis diligentem critici curam expertam esse. Itaque hanc Vicentinam ex alia quadam editione, inter annum 1475. et 1479. media, repetitam, ex eaque, quicquid haec boni ac novi habet, fluxisse existimo. Ea editio fortasse est Vicentina 1476. per Ioannem de Vienna, quam charactere nitidissimo expressam esse aiunt.

Quae bona esse ac nova dixi in Vicentina, partim in Operibus Virgilii maioribus inveniuntur, etsi ad haec non diligenter attendi animum. Annotavi obiter Aen. I. 518. ubi *cunctis* in Veneta Rubei, in Vicentina *cuncti* esse; Aen. III. 341. Ven. Rub. *Ecquæ tum p.* Vicent. *Ecqua tamẽ p.* Aen. V. 812. Ven. Rub. *mihi præstat*: Vicent. *mihi perstat.* Aen. XII. 630. Ven. R. *Nec uero inf.* Vicent. *Nec nũero inf.* Tum vero in Opusculis saepe atque insigniter discrepat a Veneta Rubei Vicentina. Ac nonnulla sunt, quae ex libris antiquis, hoc est e libris manu scriptis, petita esse manifestum est. Sic in Vicentina primum, quantum nobis quidem constat, comparuere carmen *Superbe Noctuine* integrum, sed vehementer corruptum, et cum hoc carmine coniuncti carminis *Iacere me quod alta non possim* versus sedecim priores, non minus corrupti. Alia utrum ex libris scriptis, an ex libris

editis Vicentina prioribus, an ex virorum doctorum coniectura illata fuerint, incertum est. In carmine *Corinthiorum amator iste verborum* quam Vicentina scripturam habet: *Chorynthiorum — britanus attice febres Thau gallicum enim & spinet male illi sit* fortasse e Quintiliano illata est. Quae alia ad cognoscendam Vicentinae proprietatem faciunt, supra a me collecta sunt in descriptione Vossiani I. pag. 351. et Vossiani II. pag. 371. ubi etiam de Vicentinae cum Vossiano II. cognatione monui. Restant pauca. Gravissimum hoc, quod Vicentina, ut versus complures, totasque carminum partes restituit, quae desiderantur in libris ante Vicentinam vulgatis, ita in versibus singulis priorum librorum lacunas explet aliquoties. In Catalectis ter. Duobus locis, de quibus supra relatum, Catalect. XI. 31. XIV. 5. Et in his quidem cum Vicentina convenit Vossiano II. At eadem Catalect. XI. versum 33. cuius in libris prioribus, itemque in Vossiano II. una tantum littera initialis *R* exstat, talem exhibet: *Raptato curru nimiumq; per æthera terræ*, nescio unde. Qui alii Catalectorum versus in libris vulgatis, codicem Basil. Venetasque Rubei et Iensoni dico, elapsis syllabis ac verbis corrupti imperfectique sunt, ii, quantum observavi, omnes eodem modo corrupti in Vicentina Vossianoque II. leguntur. Ut in carmine quod Priap. LXXXV. apud Burmannum, v. 2. *Ego arida viator* Vicent. et Voss. II. cum caeteris vulgatis: et sic in Vratisl. III. at in Voss. I. si fides silentio Vossii, *Ego arida o viator.* ibid. v. 13. *Grauem domum* nihil amplius, Vicent. et Voss. II. cum caeteris vulgatis. Priap. LXXXVI. Burm. v. 1. *Hunc iuuenes locum* iidem omnes, omiss. *ego.* ut taceam cod. Basil. in quo maior lacuna. v. 2. *carisq;* pro *caricisque* iidem omnes. v. 3. *formata* iidem omnes, praeter cod. Basil. in quo *formidata.* v. 6. *Pauperis tugurii pater filiusq;* nihil amplius, iidem omnes, etiam cod. Basil. v. 9. *Alter parva ferens semper munera larga* iidem omnes, omiss. *manu.* Catalect. I. ed. Heyn. v. 5. de quo monui p. 371. Catalect. III. ed. H. v. 2. 3. et 4. de quo carmine supra retuli p. 350. Catalect. X. 5. *primisque* pro *inprimisque,* de quo supra p. 351. Aetnae versus 208. (210.) in Venetis Rub. et Iens. ita conceptus: *E xigitur*: *uertit uasa . . . uertice sæuo,* itemque in cod. Basil. *Exigitur vertit uasa . . . vertice seuo*, suppletus in Vicentina: *E. uertit uasa omnia uertice s.* Vossianum II. non inspexi. In Ciri tres versus in Vicentina Vossianoque II. pariter atque in cod. Basil. et Veneta Rubei imperfecti: 12. *Quod si mirificum genus omnes.* 66. *Ipse gratinei matrem sed siue erichthei*: quo in versu etiam alia est maior lacuna codicis Basil. et Romanae II. 112. *Hospitioq;* (*Hospicioq;* cod. Bas.) *senis hypolidosa uicto.* Versum 102. Veneta Rub. cum cod. Basil. sic: *Actæos* (*Acteos* cod. Bas.) *inter colles & candida thes*

Plenus in Vicent. et Voss. II. *thefei.* Et haec quidem de lacunis versibusque imperfectis. Verum sunt etiam alii loci, quibus a Veneta Rubei recedit Vicentina. In Culice quidem, et in Diris non memini quicquam me invenire gravius, hoc est, nihil tale, quod non statim corrigere ex ingenio vir paullo peritior potuerit. Neque in Copa, Est et Non, Viro bono, Rosis. At vera lectionis varietas reperitur aliquoties in Aetna, Ciri, Catalectis, Moreto, et Elegia in Maec. obitu. Cf. quae mox de Pomponio. Vitia Vicentinae in Diris non annotavi, nisi quid memorabile visum fuerit.

Vicentinam sequitur longa editionum series, ita sibi inter se similium, ut unam expressam esse ex altera, et rursus ita similium Vicentinae, ut omnes a Vicentina, et per Vicentinam a Veneta Rubei, pendere appareat. Certe mihi apparuit in Diris. Enimvero quum editiones saeculi XV. exeuntis non paucas, quas statim enumerabo breviter, ad Diras diligenter contulissem, omnesque et inter se consentientes et cum vulgata per Rubeum, Iensonum, et per Vicentinam scriptura conspirantes vidissem, de reliquis carminibus quaerere, et plura huius aetatis exemplaria conquirere taedebat. Iste consensus iam in Tabula librorum cernitur. quam huius classis editiones habere solent ei, quae est in Veneta Rubei, simillimam, vel prorsus geminam. V. c. Tabulae editionis Norimbergensis 1492. et Venetae Pinc. 1499. prorsus ut Tabula Venetae Rubei, argumenta ista in Aeneidos libros, quae incipiunt *Aeolus* etc. inter *Summam Virgilianae narrationis* et *Priapeia* posita esse mentiuntur, quum in his ipsis editionibus non hoc loco, sed alio edita legantur. Non dico nihil quicquam has inter se, quas contuli, differre: sunt nonnulla in hac vel illa editione hic illic singularia, sed ea rara sunt, solitaria, casu illata, ut quum Dir. 166. in Brixiensi 1485. *furti* invenitur, exquisitissima lectio, quam in nulla editione antiquiore, praeter Mutinensem, repperi. In universum nihil mutatum est in Diris, si nova excipias vitia, inde a Venetis Rubei et Iensoni Vicentinaque usque ad Iod. Badium Ascensium et Aldum, iis quidem in editionibus, quas ego contuli. Quamquam ne haec quidem, quae Badius et Aldus novaverunt, multa sunt aut gravia. Versum 102. ego, excepta Mutinensi, in nulla vidi ante Aldinam 1517. Vitia autem non omnia, sed hic illic unum alterumque de multis commemoravi. Sic vitia Venetae Rubei *terentia* v. 56. *In uicem* v. 143. repetita esse in multis editionibus, non indignum observatione erat, quoniam hinc quoque apparet, quam arcte cum Veneta Rubei nexae atque cognatae sint editiones sequentes.

Sed antequam meas recenseam, indicabo quae Burmanno praesto fuerint. Habuit ille, laudavitque tum ad Catonem, tum ad multa alia poemata Anthologiae Latinae, et editiones antiquas ante Aldinas, vetustiores, vel adeo primas appellat, Vicentinam 1479. Brixiensem 1485. et Venetas duas, 1480. et 1487. Et de his quidem certa res est: laudat enim, cum indicio anni, Venetam 1480. ad inscriptionem Dirarum, Venetam 1487. ad Dir. 98. 100. et utramque saepius in Anthologia, e. g. ad Priapeia, de ortu solis Anth. lib. V. II. p. 300. de quatuor temporib. anni ibid. LII. p. 342. ad Virum bonum ibid. CXLI. p. 417. cf. eodem Tomo II. p. 314. b. p. 315. b. p. 344. a. p. 380. b. p. 407. a. p. 422. a. Et tres, Vicentinam 1479. Brixiensem 1485. Venetam 1487. tamquam ex apparatu Burmanni commemorat Io. Schraderus Emendat. cap. III. extr. In Tom. I. Anthologiae nullam Burmannus, si recte memini, editionem Venetam adhibuit praeter Venetam 1480. Cf. Epist. ad Hoppium p. XXXIV. Quae praeterea Burmanno laudantur, Veneta 1483. T. II. Anth. p. 381. b. Veneta 1484. To. I. p. 53. bis, T. II. p. 484. b. Veneta 1486. T. II. p. 347. b. bis, p. 348. a. eas obiter inspexit Burmannus, vel etiam laudavit post alios: cf. Epist. ad Hoppium p. LVI. nisi erratum est aliquid in annis. certe quod ad inscriptionem Dirarum Venetam 1485. laudat, errore puto calami aut operarum factum esse, quum Venetam 1487. dicere voluerit.

Non vidi Venetam 1483. per Baptistam de Tortis, in qua primum prodisse *Domitii Calderini Veronensis* Enarrationem vel Commentarios in Opuscula quae dicuntur Virgilii testatur Heynius ex aliis. Ego quae hanc Domitii opellam exhiberet, nullam habui antiquiorem Norimbergensi 1492. Est igitur Domitius, tempus si spectes, quo editi fuerunt eius commentarii, primus Opusculorum interpres; at, si de eo quaeritur, quando primum concepti fuerint, demonstravisse mihi videor Disputatione de Iulio Pomponio Sabino, Virgilii interprete, Bonnae 1824. edita, posteriorem esse Domitium Pomponio Sabino, de quo statim dicam ad annum 1487. Carmina autem, in quae scripsit Domitius, haec sunt: In Maec. obitu, Copa, Est et non, Vir bonus, Rosae, Culex, Dirae, Aetna, Ciris. Eadem sunt, quae Pomponius interpretatus est, praeterquam quod in Moretum nihil exstat a Domitio scriptum, Pomponius vero non attigit Aetnam. Elegiam in Maec. ob. Domitius interpretatur quidem, sed adscribi posse Virgilio negat; at Aetnam Virgilianum esse opus credit. Contra Pomponius Elegiam istam Virgilio tribuit, Aetnam existimabat a Cornelio Severo factam esse: cf. F. Ursini Virgilius coll. scr. gr. illustr. p. 315. ed. Valck. Non monuissem, nisi hoc quoque exemplo constaret, consuetum fuisse Domitio, obloqui tum aliis, tum

Pomponio. Quamquam hac in re aequa Pomponio culpae atque erroris pars est cum Domitio: non debebat enim neque Aetnam Domitius neque Pomponius elegiam illam tribuere Virgilio.

De commentariis Domitii, si hos appellare commentarios debeas, quam tenues sint, deinde videri imperfectos esse, et esse post mortem Domitii editos, dictum a me est Disputatione illa pag. 12. seq. Item de mirifica similitudine, quae est inter Domitium et interpretationem Pomponii: quam similitudinem ita esse explicandam statuo, ut Domitius nactus sit dictata Pomponii et inde multa in suas chartas derivaverit. Ut unum commemorem exemplum, Pomponius ad Copam docuerat: *Copas appellabant mulieres vagas. et Mecoenas servam habebat Copam.* Id quum legisset vel audisset Domitius, ex serva Maecenatis libertam fecit; de suo addidit summam opusculi esse, ut *hortetur Mecoenatem et socios ad voluptatem.* ut reliquam eius eruditionem praeteream. Addam duo locos, quibus Domitius perstringere Pomponium videtur. Eorum unus est in Diris v. 40. ubi Pomponius non male sic: *Aethere cyaneo: Cyanos color coelestis.* At Domitius: *cyaneo: non a colore caelesti, sicut quidam interpretati sunt, dixit: sed a Cyaneis petris in regione Ponti frequenter se moventibus epithetum traduxit* etc. Ad Cirin v. 204. Pomponius: *Calceius heros: Appositum nimis alte repetitum, a Calcide Locrorum urbe, ex qua profecti Pelasgi habitaverunt in Attica cum Ionibus. alii dicunt Lelegas, qui sunt Locrenses. Et Nisus fuit filius Pandionis regis Atticae.* Quid Domitius? *Chalcheius: Chalcis oppidum est Locrorum et in Euboea est. sed non propterea Nisus Megarensium rex Chalceius nominatus est: sed potius ab aureo capillo: nam χαλκος aes et metallum significat.* Pomponium itidem, nisi fallor, respicit Domitius ad Cir. 161. ubi de Tirynthe: *quidam dixerunt coli ibidem Cupidinem.* Tradit hoc, nescio unde, Pomponius. Codices Domitius nullos adhibuit. Ad Dir. 151. (48.) verba Domitii haec exstant: *Similis conditio. nam aureo saeculo nymphae secutae errabant per siluas & loca.* Hinc Putschius nuper diversam a vulgata versus 147. (44.) scripturam erui posse, quae fuerit in libro Domitii, coniecit: *Et quem* nympha *deum* in silvis *fama* secuta *est.* Coniectura parum probabili: maxime si reputes corrupta haud dubie esse verba Domitii, ut sunt supra a me apposita ex Norimbergensi 1492. In Ascensianis illa sic concepta exhibentur: *nam a. s. nymphae* securae *errabant per syluas et l.* quod multo aptius. Coniecturam Domitii in Diris unam tantum recordor, *pastos* v. 52. Si tamen hoc ipse coniecit Domitius, neque accepit ab alio.

Iam mihi editiones Virgilii, ante Ascensium, praeter illas anti-

quissimas, quas descripsi, septem, vel, ut unam anni 1501. annumerem, octo, visae, et accurate a me collatae sunt, ad Diras quidem: ut si non multum ex his novi bonive ad Catonem a me allatum, vel ne commemoratas quidem ad locos singulos has editiones lector viderit, ea non mea culpa, sed editionum videri debeat, quae nihil aut boni, aut quod a prioribus libris editis recederet, praebebant.

*Veneta* 1482. f. Hanc olim accurate contuli cum Veneta Iensoni, cui non parum cedit elegantia externa. Incipit: *Maronis Vita.* ea quae Donato tribuitur, et quidem integra, finitur enim ita: *Vbi & poeta ipse loquitur: & introducte persone: ut sunt: Virgilii Aeneis.* Ultimo loco Moretum, et subscriptio: *Publii Virgilii Maronis Vatis Eminentissimi: Volumina hec Vna cum Seruii Honorati grammatici commentariis: Ac eiusdem poete uita Venetiis impressa. Per Magiſtrū Renaldum de Nouimagio theotonicū. Anno domini Millesimo.* CCCC. LXXXII. *Die* XXVII. *Septembris.* Quod numerum operum carminumque, atque ordinem, attinet, tota similis Venetae Rubei et Vicentinae; et Vicentinae quidem etiam eo, quod in Catalectis carmen *Superbe noctui & recutitum caput* (sic, ut Vicent.) integrum, et carminis *Iacere quod alte non possum putas* (sic, ut Vicent.) versus 16 priores habet. Verum quominus ex ipsa expressam Vicentina putes, obstant alia. Veluti Eleg. ad Messal. versus 31. integer exhibetur: *Sepe animā generi proh quam pater impius hausit* ut in Vicent. at mox ibid. 33. praeter litteram initialem R nihil est. Carm. *Quis deus Octavi (optauit) te nobis abstulit* versus 5. perfectus est: *mirabimur: & te* ut in Vicent. at Aetnae versus 208. (210.) cum lacuna, ut in Venetis Rub. et Iens. Neque illo carmine *Corinthiorum amator* etc. cum Vicentinae lectionibus, sed cum Venetis Rub. et Iens. consentit. Itaque Venetam 1482. ex alia editione Rubeo et Iensono posteriore repetitam esse statuo: putaverim, ex Veneta aliqua. Caeterum non leviter vitiosa est.

*Brixiensis* 1485. f. Subscriptum in fine: *Impressum Brixiae per Iacobum Britannicū Brixianum. M.* CCCC. lxxxv. *die* XXII. *Augusti.* Haec quoque sua vitia habet; hic illic aliquid correctum est, et v. 166. *furti* legitur, nescio unde. cf. inf. ad Mediol. 1501. In universum consentit cum proxime praecedentibus.

*Veneta* 1486. f. Subscriptum in fine: *Publii Virgilii Maronis Vatis Eminentissimi Volumina haec Vna cum Seruii Honorati Grammatici Commētariis Ac Eiusdem Poetae Vita Venetiis Impressa sunt per*

*Antonium Bartolamaei impressorum discipulum.* .M. CCCC. LXXXVI. MENSE OCTOBRIS. Splendidus externa facie liber. Utinam interna idem virtute splenderet. Verum subscriptio statim, quae ei cum Veneta 1482. communis est, ex illa late propagata Venetae Rubei familia librum esse arguit. Heynius eum ad verbum et ad paginam expressum ex editione Vicentina 1479. dicit. Neque repugno, quamquam difficillimum est aliquid his in rebus certi pronunciare. Quis enim est qui colligere istam infinitam editionum, Venetarum maxime, multitudinem, aut si collectam alicubi invenerit, examinare, et quum cognatae fere sint omnes, quo singulae inter se gradu cognatae sint, quaerere velit? Antonius iste haud dubie specimen nitoris ac magnificentiae edere voluit: et sane hac parte multum eminet inter alias huius aetatis, quae partim iam visu iniucundae.

Inserenda est hoc loco *Pomponii Sabini* mentio, cuius *in Culicem Commentarium*, et in alia Opuscula, itemque in Bucolica et Georgica Commentarii, sive Commentaria, prodierunt *Brixiae* MCCCCLXXXVII. *Interpretatio* autem *in Aeneide Virgilii* ibidem MCCCCXLXXX. hoc est, ut videtur, MCCCCLXXXX. Egi de hoc interprete singulari disputatione, quam paullo ante commemoravi, ubi de Domitio. Cuius disputationis supplementum sunt, quae protuli Indice Scholarum Bonnens. hibern. a. 1824. Est Iulius Pomponius Sabinus, ut ibi Heynio maxime praeeunte demonstravi, idem, qui vulgo Pomponius Laetus dici solet: verum non ipse conscripsit haec Commentaria, neque edi voluit, sed excepta illa sunt e praelectionibus Pomponii, edita inscio atque invito Pomponio a Daniele Gaitano. Nos ea nunc inprimis quaestio attinet, an illa usum habeant criticum. Habent autem usum criticum, etsi Pomponius rem criticam neque tam saepe, quam exspectes et cupias, neque accurate attingit, sed magis ita, ut coniicere ac divinare, quid legerit ipse, debeas. Deinde quaeritur, sicubi singularem et a vulgata diversam lectionem praebet, an eam ex libro antiquo scripto petierit. De Opusculis loquor: nam ad Opera maiora aliquid fuisse Pomponio ex libris scriptis subsidii certum est. Cf. nunc Ruhnkenii ad Heynium Epistolae, a Friedemanno editae, p. 679. Vol. II. In Opusculis neque ipse libros commemorat usquam, neque aliunde cognoscitur librorum manu scriptorum auxilia habuisse Pomponium, praeter Aetnam, Cirin, et Catalecta, de quibus constat ex illa Episcopi Aleriensis Epistola. Hinc aliquis ita statuat, nihil aliud Pomponio, quum praelegeret Opuscula, copiarum fuisse, praeter auctam ipsius opera Romanam alteram. Et hanc quidem in manu fuisse Pomponio, et ex hac eum praelegisse auditoribus Opu-

scula, vel ex alia cum hac proxime cognata, vix dubium est, etiam eo, quod quae interpretatus est Opuscula, eo interpretatus ordine est, quo collocata in Romana II. leguntur: Culicem, Diras, Copam, Est et Non, Virum bonum, de Rosis, Moretum, in Mecoenatis obitum, Cyrim. De Diris brevis disputatio est, quum et pauca sint, quae in hoc carmen, vel potius in haec carmina, commentatus est Pomponius, et loci, qui usum habent criticum perpauci. Sunt autem hi: v. 3. 13. 23. 152. 157. 174. 176. Inter quos locos si reperiuntur, qui scripturam a vulgata discrepantem habent, cogitandum est incertum esse, an editiones Commentariorum Pomponii, quarum optima est Basileensis per Io. Oporinum, ubique genuina Pomponii ipsius verba repraesentent. Cf. Animadv. ad v. 176. Eadem dubitatio de v. 3. Et v. 23. aliud legisse Pomponium, quam nunc reperitur in Commentariis Pomponii, intelliget qui ipsam Pomponii observationem consideraverit. Affert enim exhalationis exemplum illud, de quo Ammianus Marcell. XXIII. xx. Iulius Capitol. in Lucio Vero c. VIII. etsi cum neutro in omnibus consentit Pomponius, et hoc tradit non satis diligenter, esse eam exhalationem factam tempore Antonini Pii. Igitur *terra* legebat in Diris, vulgatum illa aetate mendum, non, quod nunc legimus in Commentariis editis, *tetra*. In Culice et Ciri, si quis attente legerit Commentarios Pomponii, saepius quam primo adspectu putes, erui posse, quae illi ante oculos scriptura fuerit, animadvertet. Egit hoc satis diligenter Heynius, etsi aberravit aliquoties, dum aut omittit aliquid, aut lectiones affingit Pomponio, quas illum ante oculos habuisse incredibile est, aut propria esse Pomponio statuit, quae communia sunt Pomponio cum antiquissimis Virgilii editionibus. Ut omnino imperfectus, maxime in Ciri, Heynii labor est, qui collationem codicis Basileensis aliquanto ea, quae apud Friesemannum est, meliorem, sed ne sic quidem accuratam, et editionem nullam habebat Veneta 1484. antiquiorem: unde factum est, ut quae vulgata vetustiorum librorum lectio sit, neque ipse satis didicerit, neque alios bene doceat. Selegi locos eos, qui mihi omnium maxime videbantur memorabiles, exclusis iis, quibus quid legerit Pomponius, incerta coniectura est, et exclusis illis, quibus aut cum vulgata scriptura librorum antiquitus editorum, Venetarum Achatis et Rubei, Vicentinae, codicumque Vossiani II. et Basileensis, convenit Pomponio, aut quibus quae a vulgata scriptura recedunt, emendationi atque coniecturae ipsius Pomponii tribuenda esse censeo, cuius generis exempla aliquot proposui Indice Scholarum Bonnens. hibern. a. 1826. Cul. 33. Pomponius *Graecia non timuit*; mei, tam scripti quam antiquitus editi, *cuncti cum t.* 74. *Tmolia* ut in cod. Basil. unde *Tmolia* etiam in Romanis esse, saltem in Romana secunda, coniicio. Atque ita in Muti-

nensi, et, si recte intelligo Vossium, in Petaviano. Quae vera scriptura in aliis libris magis magisque obscurata est. *Thmolia* Thuan. *Tinolia* August. *Thinola* Veneta Achat. *Thentolia* Vossianus 81. Quae tamen omnia praestant infelici Venetae Rub. Vicentinae, et Vossiani II. correctioni *Mollia*. Et quid de scriptura dicemus Bembina *Vitea*? Putabimusne ita fuisse in libro Bembi? Absit. Librum Bembi hic quoque cum nostris optimis, Thuaneo, Petaviano, Augustano, conspirasse probabile est. Igitur *Vitea* coniectura haud dubie Bembi est. 263. *In Chalcedoniis* ut est in antiquis libris scriptis, cum levi orthographiae differentia: nam *chalcedoniis* Petav. *calcedoniis* Thuan. et August. *calcedoneis* Voss. 81. recentiores, et editi mei omnes, etiam Mutinensis, *Hic alcedonias*. 405. *Bocchus* cum Veneta Achat. Mutin. Basil. et cum antiquis libris scriptis (*bochus* August. *bocus* Voss. 81.) *bacchus* Ven. Rub. Vicent. Voss. II. In Ciri v. 7. Pomponius *suspendit* cum Vicent. et Voss. II. *suspensi* Bas. et Ven. R. V. 66. quae lacuna est in Romana II. et in codice Basileensi, expleta postea in Ven. Rubei, Vic. et Voss. II. explevit etiam Pomponius. 106. idem *Alcathoe* cum Vic. et Voss. II. et sic Domitius. Bas. et VR. *Arcadio*. 117. Bas. et VR. *Infestos ad muros uolitanti ex agmine turmas* contra metrum; Pomponius cum Vic. et Voss. II. *Infesto — ex agmine t.* 185. Bas. et VR. *Vt patris ademptum crinem de uertice seruet*. Vic. et Voss. II. *Vt patris ah demens crinem* (Vic. *crimen*) *de u. seruet*. Non dubium, quin recte Heynius huc referat verba Pomponii: *Serum.*) *diu seruatum*. Illud quaeri potest, quo loco restitui voluerit illud suum *serum*. Fortasse ita: *Vt patris ah demens cr. de v. serum*. Quamquam tum laborat, et male procedit constructio versus sequentis. Sed passim dura atque insolita comminiscitur Pomponius. 211. fortasse Pomponius legebat: *Et pressis tenuem singultibus aera captat*. ut in Vic. et Voss. II. habetur. Bas. et VR. *Et primum t.* 320. Pomponius *praetexat purpura canos*. ut in Vic. et Voss. II. Ergo versu praeced. idem haud dubie legebat, quod in iisdem est, *de vertice summo*. VR. et Bas. sic: *de uertice canos Edita* (Bas. *Edida*) *candentes prætexat* (Bas. *pretexit*) *purpura crines*. 375. Pomponius *Idaeis senibus* ut Vic. et Voss. II. VR. et Bas. *idæis* (Bas. *ydeis*) *auibus*. 408. idem *Vos o Mantina*. quam Scaliger priscam lectionem dicit. Ego coniecturam esse Pomponii putaverim. Assumpsit Domitius. Commemorat etiam Pomponius alteram scripturam *Numantina*. Sic quatuor mei, VR. Vicent. Bas. Voss. II. *Vos o numantina*. 445. idem: *quaecunque erit illa beata*, ut quatuor mei, quod multo est elegantius quam *beatae*. 465. *Scyronis*. Mei *chironis*. 471. Quatuor mei: *Florentesq; uidet iam cycladas: hinc strophadasq;: Hinc sinus:*

etc. nisi quod in Bas. *uidit* et in Vic. *stropadasq*; quod operarum vitium est, ut multa sunt in Vicentina, sed propagatum inde per alias editiones ap. Schrader. Emendat. p. 67. Pomponius, ut animadvertit Heynius, aliud legebat, prorsus diversum: *Florentesque v. i. Cycladas*: *hinc Venus illi, Hinc sinus* etc. Iam haec quisque examinet, et ipse, quid ex libro petitum scripto videatur, quid coniecturae debeatur, iudicet. In nonnullis convenire Pomponio cum antiquis libris scriptis ipse monui; alia, quae attuli, fortasse alii invenient aliis in libris: certe unum est, alterumque, eiusmodi, vix ut inveniri potuisse sine libro scripto videatur. Quamquam ex eo non sequitur, Pomponium illa ipsum in libris invenisse. Nobis hoc inprimis observatione dignum, quod Pomponio aliquoties convenit cum Vicentina et Vossiano II. iis in locis, ubi hi libri a vetustioribus, Basileensi et Veneta Rubei, recedunt. Ut fortasse Pomponius profecisse ex Vicentina, aliave editione, quae Vicentinam praecesserit, putandus sit. Aut, contraria ratione, e scholis Pomponii nonnulla delata sunt in Vicentinam. Neutra inepta opinio est. Fieri hoc etiam hodie videmus, ut e scholis virorum doctorum aliquid dimanet in publicum, perveniatque ad alios viros doctos; et factum id saepius est illa aetate, quum quo minore numero libri scribebantur, eo diligentius viri docti se observare invicem e longinquo, famamque percontari, quid hic vel ille sentiret de hac vel illa re, solebant. Hac via Ioviani Pontani et Professorum Romanorum lectio in Catull. carm. I. extr. innotuit Palladio Fusco; cf. idem Palladius Fuscus ad Catull. CXIII. vel CXIV. 3. de coniectura Ioannis Phosphori. Et Pomponii quidem in Virgilium coniecturas atque lectiones etiam scriptas volitasse per Italiam probabile est. Haud dubie enim illud exemplum, e quo dictata Pomponii publicavit Daniel Gaitanus, non unicum fuit, sed ex tanto auditorum numero multi suos in usus multa e scholis Pomponii, et fortasse nonnulla diligentius, quam in hoc Danielis Gaitani exemplo, annotaverant. De prima Pomponii editione, Brixiana, disserui illis locis post Fossium. Ibidem ex Heynio commemoravi Virgilii editiones Venetas L. A. Iuntae eas, quae additum habent Pomponium. Optima Pomponii editio recte perhibetur Basileensis per Ioannem Oporinum, anno, ut ex epistola Oporini nuncupatoria cognoscitur, 1544. vulgata. Ex ea hi Commentarii pervenerunt in nonnullas Virgilii editiones, quibus tamen caute utendum, et hic illic ad Oporinum recurrendum est. Ut in Ciri v. 471. quae sententia Pomponii fuerit, et quam ante oculos lectionem habuerit, ex Basileensibus Henr. P. 1561. 1575. percipi nequit. Contra est etiam, ubi hae Basileenses verba Pomponii melius concepta exhibent, quam Oporinus: Cir. 25.

*Veneta* 1488. f. Subscriptum in fine: *Impressum hoc opus Venetiis p magistrū Andreā de palthascichis Catarēsem.* M. cccclxxxviii. *Kal. Septē.* Consentit cum Brixiana 1485. etiam minutis fere omnibus. Et paginas in utraque totidem easdemque esse annotavi. Vix quicquam accessisse, praeter nova vitia, puto: ea autem multa sunt. Si quid tamen inter paleas frumenti, id diligenter indicavi. Ad hos annos etiam referenda esse videtur *Veneta per Ligam Boariam,* sine anni indicio, quam tenebam manibus aliquando, sed rursus abieci, quum similem aliis, quas ad taedium usque volvissem, neque venustam adspectu esse viderem. Ea si, quae Heynii est probabilis sententia, ex aliqua editione Florentina expressa est, sequitur satis certa demonstratione, fuisse etiam Florentinam illam ex familia Venetae Rubei: nam Veneta Ligae, ut ex descriptione eius, quam dedit Reichelius, intellexi, prorsus similis est editionibus, quas ego versavi, Venetis 1482. 1486. 1488. et Brixiana 1485. Accesserunt tantum Christophori Landini Florentini in Virgilium Commentarii sive Interpretationes.

*Norimbergensis* 1492. f. Subscriptum in fine: *Publii Virgilii Maronis opera: cum Seruii Mauri Honorati grammatici: Aelii Donati: Christophori Landini: atq; Domitii Calderini: Cōmentariis: Nurnberge impssa impēsis Anthonii Koberger Anno xpi.* M.ccccxcii. Multa vitia: at nonnulla tamen insunt singularia, de quibus suis locis monitum est. Expressit Kobergerus, qua potuit diligentia, editionem aliquam Italicam, et quidem, ut credere par est, Venetam: fortasse, quae Heynii sententia, Venetam 1489. per Georgium Arrivabenum Mantuanum. Prooemium Christophori Landini, ut in Veneta Ligae excipit brevis vocabulorum index; tum Maronis Vita etc. Est autem editio Norimbergensis Venetae Rubei magis, quam Vicentinae, similis, eo, quod Catalecta desinunt in versu: *Datur tibi puella* (Norimb. vitiose *quella*) *quam petis datur.* Idemque Catalectorum finis in Veneta Pincii 1499. et Argentinensi 1502. Ut liquido appareat, quanta incuria aetate ista typographi plerique novas editiones properaverint, qui quum de scriptore rursus imprimendo agebatur, non illud circumspexerint, quae optima eius scriptoris editio esset, quae plenissima, sed eam, quae primum obvia facta esset, arripere ac repetere satis habuerint. De Brixiana 1485. et Venetis 1486. 1488. utrum insint ista Vicentinae supplementa, non annotavi: sed inesse in Veneta sua, quam Venetam 1480. esse dixi, et in Brixiana, Burmannus testatur. At versus ille Eleg. ad Messal. *Raptato curru nimiumq; per æthera terræ* tam in Norimbergensi, quam in Veneta Pincii 1499. et Argen-

tinensi 1502. reperitur. Mitto alia, quae facile quivis investigabit, quum exemplaria huius generis non sint rara.

*Veneta* 1499. f. Prima ex meis, quae titulum, quem nunc vulgo dicimus, habet. *Virgilius cum cõmentariis quinq; uidelicet Seruii Landini Anto. Mancinelli Donati Domitii Seruii item errores suis locis annotati.* In fine libri: *Venetiis a Philippo pincio Mantuano. anno domini.* M. CCCCXCIX. *die quinto Februarii. Cum priuilegio: ne quis audeat imprimere usq; ad annos decem sub pena in eo contenta.* Haec quoque vitia habet satis multa numero, et ex parte foedissima, alia cum aliis communia, ut cum Norimbergensi unum alterumque, alia de suo, vel ex prioribus Pincianis: nam plures editiones ex hac officina prodisse Heynius monet, quas omnes unam repetitam esse ex altera probabile est.

*Veneta* 1500. f. *Virgilius cum cõmentariis quinq; uidelicet Seruii Landini Anto. Mancinelli Donati Domitii Annotationes item in Seruiũ suis locis positae.* et in fine: *Venetiis a Lucantonio florentino. Anno domini.* M. CCCCC. *die.* XXVII. *Augusti.* Heynius: Totus liber, inquit, ad verbum, et cum ipso titulo, expressus ex Pinciana 1495. Gemina etiam est Pincianae 1499. in ipsis vitiis. Sed accessit seges novorum vitiorum: v. 138. *tua.* 139. *mores.* 141. *patier.* 145. *si* pro *sit.* Hanc tantum ad posteriorem partem Catonis, inde a versu 122. contuli.

*Mediolanensis* 1501. f. Subscriptum in fine: *Impressũ Mediolãi p Io. Angelũ ſcinzẽzeler die.* VIII. *mẽsis Decẽbris Anno Dñi.* MCCCCCI. Gemina Brixianae 1485. et Venetae 1488. ut ex vitiis cognoscitur, quae communia ei sunt cum illis. Est etiam *furti* v. 166. Hanc non commemoravit Heynius, at commemorat alias ex officina Mediolanensi Scinzenzeleri, quarum haec haud dubie repetitio est, a. 1478. 1481. 1487. 1490. Hinc, nisi fallor, intelligitur, quomodo exquisitum illud *furti* in Brixianum illatum sit. Nempe ex Mediolanensi Philippi de Lavagnia et in Brixianam venit, et in alias Mediolanenses.

Sed hoc tempore iam exstiterat Ascensianum genus, ex quo editiones contuli tres, a. 1500. vel 1501. a. 1507. a. 1512. quas Ascensianam primam, secundam, tertiam, nuncupo.

1501

*Ascensiana I.* f. Continet haec: primo loco, ut Tabulam Alphabeticam praetermittam, Aeglogas, Georgica, *cũ seruii & subinde Man-*

*cinelli ac Ascensii commentariis*, Vitam *Quae a Donato dicitur edita.* Sequitur Aeneis: *Aeneis Vergiliana cum Seruii Honorati Grammatici huberrimis comm̄etariis. cum Philippi Beroaldi Seculi nostri principis doctissimis in eosdem ā notationibus suis locis positis. Cum Donati argutissimis subinde sententiarum presertim enodationib⁹. Cumq; familiarissima Iodoci Badii Ascensii elucidatione atq; ordinis contextu. Accessit ad hoc Mapphei Veggii liber addititius cum Ascensianis ā notatiunculis: Addita praeterea sunt ipsius poete ac operū eius illustrium virorum preconia: Aeneidos argumenta & quedam eiusdem Poetae nostri epitaphia.* Praefixa est Aeneidi Epistola, qua Iodocus Badius Ascensius suam interpretationem in Aeneida dicat Lodouico de Flandria, quae epistola data est *Ex officina nostra litteraria in nobilissimo Parrhisiorū gymnasio Ad decimū calendas Februarii: anno iuxta Romanum supputationem Millesimo quingentesimo primo.* Post Aeneidem alia inscriptio: *Habes iuuentus optima P. Vergilii Maronis Aeneida opus plane diuinū eoq; laudis euectum: vt nulla relicta sit accessio: cum Seruii Honorati Grammatici huberrimis cōmentariis. cum Philippi Beroaldi — — Que omnia summa solertia atq; gnauitate coimpressit pitissimus calcographorū Thielmā nus Keruer confluentinus: absoluitq; in inclyta Parrhisiorum academia ad decimū calēdas Februarii: ā no secūdū eiusdē loci supputationē MD.* Denique Opuscula, hac inscriptione: *Vergiliana opuscula familiarit̃ expofita In hoc Volumine hoc ordine contenta. Culex fol. III. Dire. XV. Aethna. XIX.* etc. Haec Iod. Badius Ascensius Laodislao et Clementi Alexandrinis, Ioanni confluentino, et Ioanni Paruo, ingenuis optimorum bibliopolarum liberis, nuncupat, epistola data *Ex officina nostra litteraria Parrhisiis quinto idus Martias: Anno pro calculis Romanorum MDI.* Culicem, Diras, Aethnam, excipiunt Cyris, Moretum, Hortulus, Eleg. in M. obitu, de Viro bono, de ludo, de Liuore, et reliqua collectionis antiquae, praeter ea, quae propius spectant ad Virgilium, ut Argumenta duodecim librorum Aeneidos, et Epitaphia, quae Badius Aeneidi subiecit. Priapeia autem exclusit, tamquam immunda, et non Virgiliana; exclusit item Catalecta, etiam in hac prima editione, ut coniicio: nam in posterioribus omissa esse compertum habeo.

Iam haec editio statim aliquam diligentiae speciem prae se fert, et recreat paullulum eum, qui ab immunditia et negligentia exemplarium proxime praecedentium fessus accesserit. Dixi aliquam diligentiae speciem: multum enim abest, ut quae Badius hac et posterioribus editionibus suis: nam differunt inter se Ascensianae: noua inuexit, vera sint omnia. Primitus ex iis exemplaribus, quae proxime praecesserunt, unum leviter

correctum, exprimendum curavisse videtur: fortasse Venetum 1499. aut 1500. unde factum est, ut in Ascens. I. legatur *lata* v. 77. *vacua* v. 129. *Gaudia f. s. gaudia* v. 171. et ineptum illud *rubuerunt* v. 164. in Ascensianis meis restitit omnibus. Versus 38. in tertia demum Ascensiana restitutus comparet, praeclara sed facili emendatione. Emendatione, inquam: nam libris scriptis Badius neque in Diris neque in aliis Opusculis usus est. Cf. ut discas, quid fere differant inter se Ascensianae, v. 31. 39. 63. et 86. ubi Ascensiana I. retinet *cumulo*, etsi in expositione est *tumulo*. Infelicem emendationem habes v. 88. si haec est Badii emendatio, ut videtur esse. Rursus felicem v. 138. Deinde Badius tertius est, post Pomponium Sabinum et Domitium Calderinum, Opusculorum interpres. Qua in re quid praestare voluerit, ipsae operis inscriptiones declarant, quae Aeneidem promittunt *cum familiarissima Iodoci Badii Ascensii elucidatione atque ordinis contextu*, et rursus *Vergiliana opuscula familiariter exposita*. in quo observabis modestiam: *familiariter* se Virgilii opera et opuscula elucidasse vel exposuisse bonus Badius dicebat, *docte* Servium, Donatum, Probum, Mancinellum, Beroaldum, Domitium Calderinum. Verum est haec nimia modestia, quum interpretandi ratio, quam Badius sequitur, neque per se inepta sit, et facile praestet commentandi modo ei, in quo elaboravere Domitius et Pomponius. Fabulas historiasque et res geographicas explicare, singula verba, plerumque satis expedita, paraphrasi declarare, quo in genere Pomponius, et magis etiam pueriliter Domitius ita occupati sunt, ut locos difficiliores raro attingant, id excusationem quidem habet ab imperfecta, ut tum erat, arte, praesertim in Pomponio, quem ista disseruisse coram discipulis, non conscripsisse, scimus: sed utilitatis non multum haurias ex eiusmodi commentario. At Badius periphrasin perpetuam dedit, in qua verba poetarum fere omnia retinet, sed de suo supplet atque inserit, quae supplenda esse ad declarandum verborum sententiarumque nexum videbantur, et ad verba difficiliora atque obscuriora alia apponit, explicationis caussa, simplicia ac magis usitata. Utile inceptum, quantum ego video, inprimis in talibus carminibus, qualia Culex, Ciris, et nostra Catonis: quae carmina quum dictionem non raro insolentiorem atque obscuriorem habeant, multum hoc est, perspexisse sententiarum nexum, unde colligere queas, quid sibi poeta quoque loco voluerit, et quid significare verba singula debeant. Quodsi Heinsius et Burmannus, qui antiquiores interpretes, Pomponium, Domitium, Badium, prorsus neglexerunt, ea quam ingressus erat Badius, via pergere, atque id agere, ut latentes poetae sensus eruerent, quam de emendando cogitare maluissent, non haberemus Catonem tam inutilibus et tam pravis coniecturis obrutum. Badius ipse impar Catoni fuit, non

solum propter corruptam hic illic scripturam, quae fefellit aliquoties Badium, sed quod tam difficilis poeta Cato est, ut non potuerit in omnia penetrare. Praeterea eam in contexenda periphrasi sua diligentiam adhibuit, quae magis pueris quam viris utilis est.

Habui etiam, cuius Heynius mentionem facit, libellum s. l. et a. oct. vel 4. min. litteris gothicis impressum, quo continentur Culex, Dirae, Vir Bonus, de ludo, de liuore, de venere & vino, de littera y, excerpta ex Horatio, Iuvenale, Persio, fragmentum Ennii ex septimo Annalium illud quod Gellius XII. iv. conservavit, carmen Fratris Baptiste Mantuani Carmelitae. Curavit Adrianus Cornelianus Crōflitius, cuius in titulo libri epigramma est ad iuuentutem bonarum artium studiosam. Posui hoc loco, quoniam in Diris prorsus convenit Cronflitio cum Ascensio, et quidem cum Ascensiana I.

*Virgilius Aldi.* Sic appello Virgilium Aldi, impressum octonis, litteris minoribus, quas currentes vocant, sine anni indicio. Puto repetitionem esse Virgilii Aldini 1501. eam, cuius mentio apud Heynium: etsi hoc novum est, nisi fallor, quod nunc trado, adiecta esse in hac repetitione Opuscula. Praefatio haec est: ALDVS STVDIOSIS. S. *P. V. M. Bucolica. Georgica. Aeneida accuratissime recognita curauimus secundo informanda paruis characteribus nostris, ut commodi uobis quamuis longæ uiæ comites forent. Addidimus etiam opuscula tam quæ in iuuentute poëta composuit, quā quæ illis inserta habentur. Et quanquam obscoena non censebamus digna enchiridio, tamen multis assiduo conuitio efflagitantibus addenda ea lege iussimus, ut pro unius cuiusq; arbitrio separari possent. Quam autem ea opuscula incorrecta, atq; deprauata uagarentur, facillime si cū nostris collata a uobis fuerint, cognoscetis. Valete.* Insunt carmina minora et Opuscula omnia, quae sunt in Venetis Rubei et Iensoni, Vicentina, reliquis, et eodem pleraque ordine: Maphæi Vegii Laudensis Liber, Alcinii Versus, In Obitum Vergilii (Temporibus lætis), Laudes Hortuli, De Vino et Venere, De Liuore, De Cantu sirenum, etc. Opuscula hoc ordine: Est et non, Vir bonus, Rosae, Culex, Dirae, Aetna, Ciris, Moretum, Copa. Desunt tantum Catalecta, neque Priapeia addita sunt exemplari meo. Neque epistola de orthographiae ratione adiecta est, quam esse in Virgilio Aldi 1501. testatur Heynius. Ultimo loco Copa, cui haec subiecta est admonitio: ALDVS STVDIOSIS. S. *Sperabam daturū uobis Culicem. Aetnam. Cirin. Diras Vergilii lusus, correctiores, habitis alicunde emendatis exemplis quod quia non licuit, quales circunferebantur, dedimus. Vegii praeterea libel-*

*lum diuinis Aeneidos libris inuiti adiunximus, sed obsequendum fuit quibusdam. Valete.* Post haec nemo quicquam praestitum in hac editione exspectet. Sunt tamen mutationes in Diris non paucae, ac satis graves, eoque memorabiles, quod ab Aldo pervenerunt in Taurinensem 1518. et in marginem Lugdunensis 1529. aliarumque editionum. Cf. v. 28. 34. 39. 73. 79. 85. 93. 152. 171. Omnes autem e coniectura factae sunt, et a me tribuuntur, quum alium auctorem non habeam, Aldo. Quod v. 166. *furti* legitur, iam monui idem reperiri in editionibus nonnullis antiquioribus.

*Argentinensis* 1502. f. *Publii Uirgilii Maronis opera cum quinq; vulgatis commentariis: expolitissimisq; figuris atq; imaginibus nuper per Sebastianum Brant superadditis: exactissimeq; reuisis: atq; elimatis.* in fine: *Impressum regia in ciuitate Argenteñ ordinatione: elimatione: ac relectõne Sebastiani Brant: operaq; & impensa non mediocri magistri Iohannis Grieninger. Anno incarnationis christi. Millesimo quingentesimo secundo quinta kalendas septembres die.* Insunt carmina minora et Opuscula eadem, quae in Veneta Rubei et caeteris, sed non eodem omnia ordine. De Priapeiis duo tantum carmina insunt, primum, et secundum: quo quum pervenissent impressores, inhibuit eos Sebastianus Brant: inseruitque expurgationem, *cur priapeiam præsenti operi non inseruerit.* Qua in expurgatione hoc memoria dignum, quod Epistolam Episcopi Aleriensis ante oculos habuisse videtur. scribit enim: *Posset quidem forte: si tantum honestatis quantum latinitatis haberet: inter haud abiectæ elegantie fragmenta quod diximus opusculum reputari*: etc. Ipse Catulli, *turpissimi nebulonis*, opus esse coniicit. Liber invenustus: nam figuras istas, quo tamquam novo invento vehementer gloriatur Sebastianus Brant, magis ad dedecorandum quam ad ornandum librum factas esse recte iudicat Heynius: habet sua vitia, quae tamen compensat correctionibus aliquot non contemnendis, sive eas Sebastianus Brant ex ingenio protulerit, sive ex alia priore editione assumpserit. Est etiam *furti* v. 166.

*Ascensiana II.* f. Incipit: *Opera Uergiliana docte et familiariter exposita: Docte quidem Bucolica & Georgica A Seruio Donato & Mancinello: cum adnotationibus Beroaldinis: Aeneis vero ab iisdem præter Mancinellũ: & ab Augustino Datho in eius principio: Opusculorũ præterea quedã ab Dominico Calderino: Familiariter vero omnia tam opera q̃ opuscula ab Iodoco Badio Ascensio.* Bucolica et Georgica Badius D. Anselmo de Brieuere inscripsit epistola, cuius haec subscriptio est: *Ex officina nostra Litteraria in Parrhy-*

*sioru͂ Lutecia ad Octauu͂ Calen. Maias. DV. Et rursus Nouemb. Anni ab Redemptione humana. MDVII.* Ea epistola an etiam insit in Ascensiana I. observare neglexi. Georgica statim excipiunt Opuscula, cum epistola ad Laodislaum et Clementem etc. ut in Ascensiana I. In fine Opusculorum: *Habes igitur iuuentus optima Vergiliana fere opera familiariter explanata: — — Impressa sunt hec oi͂a rursus ab ipso Ascẽsio in inclyta Parrhisiorum academia ad Calendas. Iunias Anni. M. D. VII.* Sequitur volumen alterum: *Aeneis Vergiliana cu͂ Seruii* etc. ut in Ascens. I. nisi quod post Donati mentionem insertum est: *Cum Augustini dathi oratoris Seneñ. luculentissima introductione.* Et in Epistola ad Lodovicum de Flandria post *Millesimoquingentesimoprimo* adiectum est: *Et nu͂c rursum (neq; enim coepti poenitet) ad calendas Nouemb. MDVII.* In fine operis, post Praeconia etc. et post Mapphei librum: *Ex officina Ascensiana Impendio Ioannis Parui Sexto Idus Nouemb. Anni ab redemptione humana. MDVII.*

*Iuntina* 1510. 8. *P. Virgilii opera et opuscula. impensa Philippi de Giunta Florentini. MDX. Cal. Decembris.* Ex hac quae protuli, a Burmanno mutuatus sum. Qui quod exemplar huius libri tractavit, illud est, in quo erat collatio *MS.* quem dicunt *Pierii.*

*Ascensiana III.* f. Gemina, quod conformationem ordinemque attinet operis, secundae, nisi quod ad Bucolica et Georgica *Probus* accessit. Apponam subscriptiones, ut de anno constet. Epistola ad D. Anselmum de Brieuere: *Ex officina nostra litteraria in Parrhysiorum Lutecia: ad. VIII. Calen. Maias. M.DV. Etiam tertium ad Kalendas Iulias Anni ab Redemptione humana. M. DXII.* In fine Opusculorum: *Habes igitur iuuentus optima — — Impressa sunt haec omnia rursus ab ipso Ascensio in inclyta Parrhisiorum academia ad. X. Kalendas. Iulias Anni. M. D. X. II.* Epistola ad Lodovicum de Flandria: *Ex officina nostra litteraria in nobilissimo Parrhisioru͂ gymnasio Ad decimum Calendas Februarii: anno iuxta Romana͂ ſupputationem Milleſimo quingentesimo primo. Et nunc iterum (neq; em͂ coepti poenitet) ad Calendas Nouemb. M. DVII. Et iam tertium ad Quartum kalen. Iulias. M. DXII.* Denique in fine operis: *Ex officina iterum Ascensiana: impendio Ioannis Parui. VIII. Kalen. Iulias Anni ab redemptione humana. M. DXII.* Apparet Iodocum Badium Ascensium, ubi hanc ipse *tertiam* dicit Epist. ad Lodovicum, non numeravisse eam, quam emiserat anno 1505. Deinde quum in fine operis *iterum* scribit, *ex officina* iterum *Ascensiana*: non numerat

Ascensianam I. ut quam a Thielmanno imprimendam curavisset, non ex sua ipse officina emisisset.

*Aldina I.* Sic hanc appellamus Opusculorum carminumque minorum editionem, quae probe distinguenda est a Virgilio Aldi paullo ante commemorato. Aldinae I. hic titulus: *Diversorum Veterum Poetarum In Priapum Lusus. P. V. M. Catalecta. Copa. Rosae. Culex. Dirae. Moretum. Ciris. Aetna. Elegia In Mecoenatis Obitum. Et Alia Nonnulla, Quae Falso Virgilii Creduntur. Argumenta In Virgilii Libros, Et Alia Diversorum Complura.* In fine libri: *Venetiis In Aedibus Aldi Et Andreae Soceri Mense Decembri M. D. XVII.* Praefatio breviter tractat de iis, quae falso tribuantur Virgilio, tum ita pergit: *Et haec autem, et ea quae sub Virgilii nomine edimus: emendauimus nos quidem collatis pluribus more nostro exẽplaribus, nihil temere inuertentes. neq; id tñ inficiari uolumus, multa in his deesse, multa mendose legi. Nos quae potuimus praestitimus: ac tam multa castigauimus, ut siquis tantundem fecerit, pauca admodum defutura uideantur. emendatiora nacti exẽplaria, emendatiora dabimus, aut alii fortasse a nobis excitati in id incumbent.* — Sane novam hanc recensionem esse, eamque talem, quae non potuerit sine libris scriptis fieri, crederemus, etiamsi non diserte significatum ab editore esset. Sed monstratum est etiam coniectura admodum probabili, vel potius, ut videtur, observatione verissima, ab Nicolao Heinsio ap. Burmann. Epist. ad Hoppium p. LIV. et ad Dirar. v. 40. 70. 102. et accuratissime ab Heynio Prooem. in Culicem, cuius maxime libri ope emendata sit Aldina I. Scilicet quum iam antea Aldus in repetitione Virgilii a. 1501. daturum se esse Virgilii lusus, i. e. Culicem, Aetnam, Cirin, Diras, ex emendatis exemplis correctiores speravisset, quem locum nos paullo ante protulimus; deinde quum idem Aldus Praefatione ad Bembum Virgilio a. 1514. praeposita promittat se lusus Virgilii, quos ille habeat correctissimos, tum editurum esse, si eos acceperit: quid magis credibile est quam Bembi codicem esse, ex quo emendati sunt in Aldina I. lusus illi? Accedit quod partem eorum, quae sunt in Aldina I. singularia, ipse ex codice suo Bembus protulit Lib. de Culice. Denique aliquid Bembum scripti suppeditasse Aldo vulgata iam illo tempore fama erat, ut cognoscitur ex inscriptionibus editionum nonnullarum, Venetae Scot. 1555. et aliarum apud Heynium. Cf. supra de Codice Bembino, et p. 332. dicta. Quod reliqua attinet, quum multa legantur in Aldina, quae ita scripta fuisse in codice Bembi vix tibi persuadeas: qualia et in Culice inveniuntur, ubi lectionem Aldinam non raro differre ab ea, quam Bembus protulerat ipse, monuimus, et nonnulla in Diris,

ut v. 8. 78. 88. 161. vidimus: illa utrum in Aldinam e coniectura sive ipsius editoris, sive alius viri docti, an ex aliis codicibus, a Bembino diversis, venerint, non ubique certum est. Taceo Cirin, Aetnam, quae carmina quum emendata sint in Aldinis, non possunt ex Bembino emendata esse. Unum alterumque e correctione natum atque interpolatione dixeris, ut *dicat* v. 8. *nec adire* v. 88. itemque *Nam* v. 161. ex Ascensianis venisse in Aldinam quisque iuraverit. Denique orthographiae, quae fluxa et prorsus inconstans antea, maiorem curam habuisse Aldum constat. Ut Dir. 160. quod recte *letum* in Romanis et Veneta Achat. editum, nullo editorum merito factum est; at in Aldina consulto est *letum* editum.

*Taurinensis* 1518. f. *P. Vergilius Maro cum Magnete suo Seruio Mario grammatico: Interprete quam castigatissimo: & pristinae lectioni: sibiq; demum plene restituto. cui etiam addūtur Iuuenalia opuscula: quae quum prius negligentissime imprimerentur sublatis sexcentis mendis quantum fieri potuit in formam aliquam sunt reposita* etc. Praemittuntur operibus Virgilii annotationes nonnullae L. C. Rhodigini, Benedicti Philologi, Iac. Constantii Fanensis, Matthei Bonfini, Iac. Crucii Bononiensis, Ioannis Bremii, Index, Vita. Insunt liber Maphei Vegii, et carmina minora, quantum memini, quae editionibus istis antiquioribus continentur, omnia. Postrema hoc ordine: Dirae, Aetna, Ciris, Moretum, Copa, Priapeia, Catalecta. In fine, post Catalecta: *Taurini. Nicolaus Benedictus & Antonius Ranotus Chalcographi cudebāt. Ioannes Bremius castigabat Anno Salutis nostrae. M. D. XVIII. q̃rto nonas Martii.* Liber, ut videtur, rarus, cuius nulla mentio apud Heynium: sed totus expressus est, quod Diras attinet, ex Virgilio Aldi s. a. quocum et correctiones illas communes habet, nisi quid conferendo peccaverim, omnes, et vitia nonnulla, et interpunctionem: nisi quod Taurinensis ubique colon retinet, ubi Aldus commate utitur. Ac ne dubites, Copae subiecta est admonitio: IOANNES BREMIVS. STVDIOSIS. S. *Sperabam daturum uobis Culicem. Aetnam. Cirin. Diras: Vergilii lusus: correctiores: habitis alicunde emendatis exemplis. quod quia non licuit: paulo meliores his quae circunsciebantur* (sic) *dedimus. Valete.* Vides Bremium satis impudenter sua fecisse, paullulum immutata, verba Aldi.

*Lugdunensis* 1529. f. *Opera Virgiliana Cum Decem Commentis, Docte Et familiariter exposita, docte quidem Bucolica, & Georgica* etc. *Lugduni, in typographaria officina Ioannis Crespini, anno virginei partus M. D. XXIX.* Refert Ascensianam titulo, et

in Diris plerumque sequitur eamdem: *digna* v. 130. *Nam* v. 161. *rubuerunt* v. 164. Rursus accesserunt Priapeia et Catalecta. Haec prima est ex meis editionibus, quae editas in margine varias lectiones habet; unde eaedem in Venetis editionibus, lunt. 1544. H. Scot. 1555. I. M. Bonell. 1558. et haud dubie aliis appositae sunt: ego de iis editionibus loquor, quas ipse vidi atque contuli. Eas lectiones quod raro commemoro, ne quis temere neglectas a me esse existimet, scito maximam partem desumptas esse ex editione Aldi aut Taurinensi 1515. aliave eiusdem stirpis. Quare quum Aldi editionisque Taurinensis scripturam diligenter excerptam exhibeam, nihil attinebat, eamdem iterum adscribere ex margine editionum istarum. Quod ad v. 144. annotatum legitur, *alii tua tecum est*, est ex Ascensianis, sed corrupte: nam in Ascensianis, ut metrum postulabat, *tua est tecum.* Caeterum suspicor hanc variarum lectionum farraginem deberi L. A. Iuntae, et ex huius editione ea, quae prodiit, teste Heynio, Venetiis a. 1519. transfusam esse in alias editiones.

*Aldina II.* 8. Titulus idem qui in Aldina I. sed adiectum est: *Quae Omnia Nuper Diligentius Sunt Emendata.* In fine: *Venetiis, In Aedibus Haeredum Aldi, Et Andreae Soceri, Mense Martio, M. D. XXXIIII.* Consentiunt Aldina I. et II. foliorum numero, nisi quod absunt ab Aldina II. quae in fine Aldinae I. leguntur, admonitio de Priap. LXXVII. (ed. Burm.) versu 15. et Erratorum index. Verum autem esse, quod titulus Aldinae II. praedicat, comprobatur Diris, ubi v. 67. *limphas* Ald. I. *lymphas* Ald. II. v. 105. 6. *puella, Et uobis tacite* Ald. I. *puella Est uobis: tacite* Ald. II. v. 145. *misere* Ald. I. *miserere* Ald. II. ut taceam hic illic mutatam esse interpunctionem. Gravior discrepantia cernitur his locis: v. 13. 31. 82. 94. Videtur autem editoribus, qui proxime post Aldinas successerunt, Aldina I. magis quam haec Aldina II. innotuisse: sic praeclarum illud Aldinae II. inventum Dir. 82. *praetorum*, diu latuit. Noverat Aldinas N. Heinsius, saltem secundam, et usus est utraque Burmannus.

*Basil.* 1543. 8. *Publii Vergilii Maronis Opera, Duobus Tomis Distincta, Et Accuratissime Cum accessione haud parua excusa, Basileae, Apud Nicolaum Bryling. Anno M. D. XLIII.* Opera maiora cum scholiis atque annotationibus, partim in margine positis, partim extremo libro adiectis, Phil. Melanchthonis, Christoph. Hegendorphini, Steph. Doleti, al. Culex, ut diserte monetur, *ex castigatione Petri Bembi uiri eruditi.* Nempe prodierat a. 1530. P. Bembi Liber de Culice. Dirae mixta scriptura, partim ex vulgata, partim ex

Aldinis, et quidem, ut videtur, ex Aldina I. non sine vitiis. Attamen loci quatuor, vel quinque, eo modo concepti et correcti sunt, quo in nulla ante hanc Basileensem correctos vidi: *crebro* v. 41. *Conditio similis fuerat* v. 151. *egon'* v. 156. *primus* v. 162. et *praetereo* v. 152. Brylingero haec deberi non dixerim. *crebro* v. 41. iam invenerat in Haganoensi 1531. Wernsdorfius. Praeterea Brylingerus quoque varietatem lectionis in margine posuit, plerumque diversam ab ea, quae est in Lugdunensi 1529. sed in qua pauca sunt digna memoria: pleraque ex Aldinis.

Praecesserat alia quaedam Basileensis. Nam quae pag. 667. seq. inserta est typographi praefatio vel admonitio, subscriptum habet a. 1539.

*Veneta* 1544. f. *P. Virgilii Maronis Opera Nunc Recens accuratissime Castigata. Cum XI. Acerrimi Iudicii Virorum Commentariis: Quorum nomina versa pagina ĩdicat. Venetiis Apud Iuntas M. D. XLIIII.* et in fine: *Venetiis Apud Haeredes LucaeAntonii Iuntae Florentini Mense Martio, M D XLIIII.* Refert fere Aldinam I. De varietate lectionis in margine cf. ad Lugdunensem 1529.

*Mogunt.* 1549. 8. *Vergilius Philippi Melanchthonis. Scholiis Doctissimis Illustratus. Adiecimus doctas et perbreues Christophori Hegendorphini in IIII. Georg. Annotationes. Adiunximus item in omnia Vergilii opera, ex Stephani Doleti de lingua Latina commentariis, annotatiunculas. Moguntiae. Excudebat Ivo Schoeffer.* Titulum excipit Phil. Melanchthonis praefatio: Ad Lectorem Philippus Melanchthon. Anni indicium, quod nullum est in titulo, sumpsi ex typographi praefatione, qua ille suam lectori operam commendat, praemissa Annotatiunculis Stephani Doleti extremo libro subiectis. Quae praefatio subscriptum habet a. M. XLIX. (sic). Annotationes et scholia, ad maiora quidem opera Virgilii, ea fere, quae sunt in Basil. 1543. sed tamen non omnia; ad Opuscula autem aliquid annotatum varietatis, sed rarissime. Deinde quam modo commemorabam typographi Moguntini praefationem, tota impudenter descripta est, paucis mutatis, ex Basil. 1543. vel alia huius generis. Vitia sat multa et gravia. Huius Moguntinae non ubique mentionem feci.

*Veneta* 1555. f. *Pub. Virgilii Maronis Poetae Mantuani Opera Omnia Innumeris Pene Locis ad veterum P. Bembi Cardinalis. Et Andreae Naugerii Exemplarium fidem, postrema hac editione castigata. Cum XI. Commentariis, Denuo Post Omnes Omniumque Editiones, per quam diligentissime castigata, atq; elaborata. Venetiis,*

fatione Plantini cf. Heynius. Variae lectiones in margine Dirarum editae hae sunt: ad v. 7. *fient.* v. 23. *Mutant* (sic). v. 28. *frondeis alias herbas.* v. 31. *succidet.* v. 82. *Prœtorum.* v. 121. *riui, labentes currite.* v. 125. *Heu male.* v. 147. *quæ Pana Deum, nisi.* v. 148. *nostis.* v. 181. *quo.* Quo de numero si detraxeris ea, quae ex Aldinis vel ex libris ante Aldinas vulgatis sumpta sunt, quo quidem etiam *Mutant* v. 23. pertinet, quod vitiose scriptum est pro *Mutent*; deinde si *frondeis* ad v. 28. non varietatem lectionis esse, sed explicationem animadverteris, cuiusmodi explicationes in Opusculis etiam alibi, licet raro, margo Antverpiensis habet: duo restant memoratu digna, illud quod ad v. 147. appositum est, *quæ Pana Deum, nisi* et quod ad v. 148. *nostis.* Ea fuit quum a Paulo Manutio ex sua coniectura apposita existimabam: nunc quum eadem in Veneta H. Scoti 1555. edita legantur, ex hac, vel ex alia eiusdem stirpis, sumpta a Paulo Manutio coniicio: cuius autem viri docti coniecturae sint, nam coniecturas esse certum est, ignoro.

Habeo Lugdunensem, apud Ant. Gryphium, M. D. XCII. 12. expressam ex Antverpiensi 1566. vel ex alia Antverpiensi eiusdem familiae, vel etiam ex aliqua priore Gryphiana: titulus idem, qui in Antverpiensi 1566. eademque lectionis varietas in margine, nisi quod ad v. 23. *Mutent* legitur; in fine Pauli Manutii in Virgilium Praefatio ad Torquatum Bembum, Petri F. data Venetiis, M. D. L. V.

Pervenimus ad *Scaligerum*, de quo quaedam non trita monenda sunt. Apparuit primum Scaligeri liber anno 1573. hac inscriptione: *Publii Virgilii Maronis Appendix, Cum supplemento multorum antehac nunquam excusorum Poematum veterum Poetarum. Iosephi Scaligeri In Eandem Appendicem Commentarii & castigationes. Ad Clarissimum Virum Iacobum Cuiacium, Iuriscons. nostræ ætatis facile Principem. Lugduni, Apud Guliel. Rovillium, M. D. LXXIII. Cum priuilegio Regis.* 8. Id opus tripartitum est. Primo loco Appendix Virgiliana, quae rursus duas in partes discernenda est: Opuscula, h. e. Culex, Ciris, Aetna, etc. et Variorum Poetarum in Virgilii Opera, et Vitam, Praeconia cum maiore, quam antehac accessione. Secundo: Veterum Poetarum Catalectorum Libri Duo. Tertio: Iosephi Scaligeri Iul. Caes. Filii Ad Appendicem Virgilianam Notae. Quae Notae, sive Castigationes, sive, ut ipse dicit in Epistolis statim laudandis, Coniectanea, non nisi ad Opuscula pertinent. Huic primae Scaligeri editioni Petrum Pithoeum praefuisse iam Burmannus Epist. ad Hoppium Anth. Lat. T. I. p. XXXI. seq. monstravit ex Epistolis Scaligeri Lib. I. Ep. XXXI. et XXXII. XXXIII. XXXIV. Inprimis huc pertinet epistola XXXI.

unde cognoscitur duplex Pithoei hac in re munus fuisse. Catalecta Veterum Poetarum enim, et Coniectaneorum librum, Pithoeo Scaliger mittit sua, ut puto, manu descripta, et plane ita constituta, ut ipse edi ea volebat. Itaque in his correctoris partes, eo sensu, quo nunc solemus correctorem dicere, peragendae Pithoeo erant, nihil amplius. Opuscula vero non emendata suis emendationibus, quas reposuisse Coniectaneorum libro satis habebat, sed tantum purgata ab vitiis manifestis, et non interpolata virorum doctorum mutationibus exhiberi volebat; atque huius rei, quam ipse peragere neglexisset, curam Pithoeo demandat. Verum ne hac quidem in re satis esse voluntati Scaligeri factum, et edita legi in Opusculis, quae, si adfuisset, dum edebantur, studiose correcturus fuisset Scaliger, uno exemplo, quod sit instar omnium, probo: versu Dirarum 41. ubi editum legitur in editionibus Scaligeri illud, quod ipse in Coniectaneis *nescio quod monstrum* illatum in editiones recentiores *impudenti audacia* dicit. Etsi de hoc quidem loco iniuria ita iudicat Scaliger. Habemus igitur in editionibus Scaligeranis Opuscula ex ea fere recensione, quae proximas ante Scaligerum editiones non paucas obtinebat, non e recensione Scaligeri. Ut apertum sit, si quis in Opusculis certo cognoscere, quid voluerit Scaliger, cupiat, eum Coniectanea adire Scaligeri debere: quae ubi tacent, saepe quid visum sit illi, incertum est. Neque enim omnia a se emendata esse in Coniectaneis, vel potuisse emendari, aut credidit Scaliger, aut persuadere aliis voluit. Tam modeste loquitur in Epistola ad Cuiacium, alibi. Hinc explicandum, quod in extrema annotatione ad Aetnam scriptum est: *unus mensis, in quo haec omnia opuscula recensuimus,* loquitur de hoc Coniectaneorum libro. Non monuissem tam diserte, si hoc omnibus perspectum esse scirem. At Heinsius certe ac Burmannus non habuere perspectum, dum ad Dirarum vs. 44. ita disserunt, acsi vulgatum *arbor* propugnatorem habeat Scaligerum. Scilicet illum Scaligerum, qui primus in Coniectaneis corruptam esse eam vocem, et quomodo emendanda esset, observavit. Quod *arbor* editum legitur in Scaligeranis editionibus, factum est aut non curante Scaligero, aut voluerat ita edi, tamquam scripturam vulgatam; emendationem reservabat Coniectaneis. Itaque etsi indicare, quid editio Scaligerana habeat editum, soleo, si qua tamen non diserte mentionem eius factam viderint, tranquilli lectores sunto, et nihil in illa dignum memoria esse persuasum habeant. Omnino praeter illam mutationem sane quam magnam et praeclaram, qua suo auctori haec carmina nostra vindicata sunt, VALERII CATONIS DIRAE, nihil reperio in editione Scaligeri, quod non ex alia ante Scaligerum editione annotaverim. Sed operae pretium erit addidisse illum ex epistola XXXI. libri I. locum, tum ut vera esse appa-

reat, quae ex eo loco disputavi, tum ut attingam aliud, quod in eo obscure scriptum est. Ita igitur ibi pag. 138. ad Petrum Pithoeum scribit: *Quantum ad textum Opusculorum, & reliqua Appendicis Virgilianae, nihil decrevi attentare. Tu tantum quae tibi videbuntur leviuscula mutabis. & non nisi quae tuto mutari possunt. Ego chartae meae quam legent operae, notas Codicis Antverpiensis apposui. tamen sunt multa quae temere mutata sunt a nescio quo * * *, quae tu restitues.* Quis sit ille, qui non nominatur, videor mihi assequi. Prorsus simili enim modo Scaliger in Coniectaneis, maxime ad Culicem, quum Bembinam scripturam, aut Aldinam, damnat, quod cupidissime facit, Correctores, non nominatos, reprehendere, atque impugnare librorum auctoritate antiquitus excusorum solet: conf. in Culicem v. 100. 263. 375. 378. 379. 406. in Diras v. 41. 70. Quod autem nusquam nomen ponit Correctoris istius, vel Correctorum istorum, id factum esse, ut significaret contemptum, arbitror. Nam quod aliquis dicat, fortasse Scaligerum libro Bembi de Culice Aldinisque non ipsis, sed tantum recentioribus quibusdam editionibus, quales sunt ex Aldinis expressae non paucae, et quae Culicem ex castigatione Bembi habent, nonnullae, usum esse, ideoque ignorasse, quis primus ista tam multa novasset in his Opusculis: primo parum probabile est, incognitas Scaligero Aldinas cum libro Bembi fuisse; deinde conferenti locos a me allatos patebit loqui Scaligerum tamquam eum, cui Correctores isti qui fuerint, probe notum sit. Aliquanto difficilior de *Codice Antverpiensi* quaestio est, cuius se *notas* apposuisse chartae ab operis exprimendae scribit. Eum codicem fuisse Catalectorum manu scriptum, qua tandem probabilitate Burmannus l. l. Epist. ad Hoppium p. xxxii. statuit, quum neque codicis Catalectorum Antverpiensis usquam mentionem factam esse a Scaligero, aut ab alio quopiam, constet, et illud de *notis Codicis Antverpiensis* scriptum sit ita, ut ad Opuscula non minus quam ad Catalecta, vel potius magis ad Opuscula, quam ad Catalecta, pertineat? Praeterea quis Scaligerum *notas* dicturum fuisse credet, si voluisset varias lectiones codicis alicuius significare? Ego aliud conieci, idque statim confirmatum habui. Editioni Scaligeri primae, Lugdunensi, appositae sunt in marginibus variae lectiones satis multae numero; quas postea Lindenbruchius in unum collectas extremo libro addi curavit. Sunt autem generis non eiusdem. Quae enim in Opusculis appositae sunt omnes, et pars earum, quae Praeconiis in Virgilium, et Catalectorum libris, plane nullam additam notam habent, unde cognosci queat, utrum ex libro aliquo desumptae sint, an coniecturae, et cuius viri docti coniecturae debeantur. Bis de coniectura agi manifestum est: pag. 54. ubi ad Aetnae versum 534. in margine legitur: *f. Omniaque e.* et in Catalectis Vir-

gilii p. 95. (Anth. Lat. lib. II. CCXLIII. 11.) ubi: *Forte, hinc leteos ite.* Neutram vero a Scaligero esse, Coniectanea evincunt, in quibus ille omnia alia. Alterum locorum genus eorum est, qui partim in Praeconiis, partim in Catalectis Veterum Poetarum, multi sunt, in Opusculis nulli, quibus variae lectiones appositae sunt cum nota *v. c.* Atque has quidem lectiones ex aliquo codice vetere, vel ex pluribus, petitas esse nemo dubitet: etsi quis fuerit codex ille, vel qui fuerint codices, non liquet. Verum quid de illo genere iudicabitur, ubi varias lectiones, sine ulla nota, margo Scaligeri praebet? Ex libris scriptis haustas esse eas lectiones a Scaligero? Coniecturas esse Scaligeri? Collectas esse alicunde a Scaligero? Nihil horum potest: tam sunt partim tritae ac futiles, partim libris scriptis contrariae, partim alienae a mente Scaligeri. Ergo suspicio mihi incidit, eas ex margine alius cuiusdam editionis translatas in marginem Scaligeranae esse. Rogavi Geelium, ut inspiceret Virgilium Antverpiensem Plant. 1566. Inspexit, atque confirmavit suspicionem meam plenissime. Quascumque margo Scaligeri in Culice, Ciri, Aetna, Moreto, Diris, Catalectis Virgilii, Copa, varias lectiones praebet, eaedem omnes iam editae in margine Antverpiensis 1566. inveniuntur; id tantum differt, quod tribus variis lectionibus margo Antverpiensis plenior est, duabus in Ciri, una in Catalectis Virgilii: quae quidem casu videntur omissae esse in Scaligerana. Deinde quater vel quinquies variatum est aliquid, ut Dir. v. 23. ubi *Mutant* marg. Antv. *Mutent* margo Scaligeri, et ad Catalectorum locum, quem paullo ante commemorabam, marg. Antv. *Forte, hinc leves ite.* margo Scal. monstruose: *Forte, hinc leteos ite.* Iam igitur id quoque tenemus, quae sint *notae Codicis Antverpiensis*: *notas* Scaliger proprie dicit, et *Codicem Antverpiensem*, non manu scriptum, sed editionem Antverpiensem, sive hanc, quam dixi, a. 1566. ipsam, sive aliam cognatam: nam plures tum Antverpienses ex off. Plantini prodierant. Scilicet Scaliger, quum festinaret, neque poemata quomodo ederentur studiose curavit, qua de re ante dictum est, et satis facturus temporis sui hominibus, qui amabant apparatum criticum qualemcumque proxime appositum in margine, varietatem lectionis apposuit, non a se diligenter conquisitam lectamque, sed descriptam ex margine alius cuiusdam editionis, et quidem eius editionis, cuius tum exempla manibus terebantur omnium. Hinc apparet, quantum tribuendum sit margini Scaligeri: nempe non plus tribuendum quam margini Antverpiensis; quid autem margo Antverpiensis valeat, supra dictum est, ubi de Paulo Manutio et Antverpiensi 1566. Cf. mox de margine Pithoei. Coniectanea Scaligeri in Diras si non omnia atque integra recepissem, magnum meo libro ornamentum deesse existimarem. Quod si quis inter praeclara atque unice

Ascensianam I. ut quam a Thielmanno imprimendam curavisset, non ex sua ipse officina emisisset.

1517

*Aldina I.* Sic hanc appellamus Opusculorum carminumque minorum editionem, quae probe distinguenda est a Virgilio Aldi paullo ante commemorato. Aldinae I. hic titulus: *Diversorum Veterum Poetarum In Priapum Lusus. P. V. M. Catalecta. Copa. Rosae. Culex. Dirae. Moretum. Ciris. Aetna. Elegia In Mecoenatis Obitum. Et Alia Nonnulla, Quae Falso Virgilii Creduntur. Argumenta In Virgilii Libros, Et Alia Diversorum Complura.* In fine libri: *Venetiis In Aedibus Aldi Et Andreae Soceri Mense Decembri M. D. XVII.* Praefatio breviter tractat de iis, quae falso tribuantur Virgilio, tum ita pergit: *Et haec autem, et ea quae sub Virgilii nomine edimus: emendauimus nos quidem collatis pluribus more nostro exeplaribus, nihil temere inuertentes. neq; id tñ inficiari uolumus, multa in his deesse, multa mendose legi. Nos quae potuimus praestitimus: ac tam multa castigauimus, ut siquis tantundem fecerit, pauca admodum defutura uideantur. emendatiora nacti exēplaria, emendatiora dabimus, aut alii fortasse a nobis excitati in id incumbent.* — Sane novam hanc recensionem esse, eamque talem, quae non potuerit sine libris scriptis fieri, crederemus, etiamsi non diserte significatum ab editore esset. Sed monstratum est etiam coniectura admodum probabili, vel potius, ut videtur, observatione verissima, ab Nicolao Heinsio ap. Burmann. Epist. ad Hoppium p. LIV. et ad Dirar. v. 40. 70. 102. et accuratissime ab Heynio Prooem. in Culicem, cuius maxime libri ope emendata sit Aldina I. Scilicet quum iam antea Aldus in repetitione Virgilii a. 1501. daturum se esse Virgilii lusus, i. e. Culicem, Aetnam, Cirin, Diras, ex emendatis exemplis correctiores speravisset, quem locum nos paullo ante protulimus; deinde quum idem Aldus Praefatione ad Bembum Virgilio a. 1514. praeposita promittat se lusus Virgilii, quos ille habeat correctissimos, tum editurum esse, si eos acceperit: quid magis credibile est quam Bembi codicem esse, ex quo emendati sunt in Aldina I. lusus illi? Accedit quod partem eorum, quae sunt in Aldina I. singularia, ipse ex codice suo Bembus protulit Lib. de Culice. Denique aliquid Bembum scripti suppeditasse Aldo vulgata iam illo tempore fama erat, ut cognoscitur ex inscriptionibus editionum nonnullarum, Venetae Scot. 1555. et aliarum apud Heynium. Cf. supra de Codice Bembino, et p. 332. dicta. Quod reliqua attinet, quum multa legantur in Aldina, quae ita scripta fuisse in codice Bembi vix tibi persuadeas: qualia et in Culice inveniuntur, ubi lectionem Aldinam non raro differre ab ea, quam Bembus protulerat ipse, monuimus, et nonnulla in Diris,

ut v. 8. 78. 88. 161. vidimus: illa utrum in Aldinam e coniectura sive ipsius editoris, sive alius viri docti, an ex aliis codicibus, a Bembino diversis, venerint, non ubique certum est. Taceo Cirin, Aetnam, quae carmina quum emendata sint in Aldinis, non possunt ex Bembino emendata esse. Unum alterumque e correctione natum atque interpolatione dixeris, ut *dicat* v. 8. *nec adire* v. 88. itemque *Nam* v. 161. ex Ascensianis venisse in Aldinam quisque iuraverit. Denique orthographiae, quae fluxa et prorsus inconstans antea, maiorem curam habuisse Aldum constat. Ut Dir. 160. quod recte *letum* in Romanis et Veneta Achat. editum, nullo editorum merito factum est; at in Aldina consulto est *letum* editum.

*Taurinensis* 1518. f. *P. Vergilius Maro cum Magnete suo Seruio Mario grammatico: Interprete quam castigatissimo: & pristinae lectioni: sibiq; demum plene restituto. cui etiam addũtur Iuuenalia opuscula: quae quum prius negligentissime imprimerentur sublatis sexcentis mendis quantum fieri potuit in formam aliquam sunt reposita* etc. Praemittuntur operibus Virgilii annotationes nonnullae L. C. Rhodigini, Benedicti Philologi, Iac. Constantii Fanensis, Matthei Bonfini, Iac. Crucii Bononiensis, Ioannis Bremii, Index, Vita. Insunt liber Maphei Vegii, et carmina minora, quantum memini, quae editionibus istis antiquioribus continentur, omnia. Postrema hoc ordine: Dirae, Aetna, Ciris, Moretum, Copa, Priapeia, Catalecta. In fine, post Catalecta: *Taurini. Nicolaus Benedictus & Antonius Ranotus Chalcographi cudebãt. Ioannes Bremius castigabat Anno Salutis nostrae. M. D. XVIII. q̃rto nonas Martii.* Liber, ut videtur, rarus, cuius nulla mentio apud Heynium: sed totus expressus est, quod Diras attinet, ex Virgilio Aldi s. a. quocum et correctiones illas communes habet, nisi quid conferendo peccaverim, omnes, et vitia nonnulla, et interpunctionem: nisi quod Taurinensis ubique colon retinet, ubi Aldus commate utitur. Ac ne dubites, Copae subiecta est admonitio: IOANNES BREMIVS. STVDIOSIS. S. *Sperabam daturum uobis Culicem. Aetnam. Cirin. Diras: Vergilii lusus: correctiores: habitis alicunde emendatis exemplis. quod quia non licuit: paulo meliores his quae circunsciebantur* (sic) *dedimus. Valete.* Vides Bremium satis impudenter sua fecisse, paullulum immutata, verba Aldi.

*Lugdunensis* 1529. f. *Opera Virgiliana Cum Decem Commentis, Docte Et familiariter exposita, docte quidem Bucolica, & Georgica* etc. *Lugduni, in typographaria officina Ioannis Crespini, anno virginei partus M. D. XXIX.* Refert Ascensianam titulo, et

in Diris plerumque sequitur eamdem: *digna* v. 130. *Nam* v. 161. *rubuerunt* v. 164. Rursus accesserunt Priapeia et Catalecta. Haec prima est ex meis editionibus, quae editas in margine varias lectiones habet; unde eaedem in Venetis editionibus Iunt. 1544. H. Scot. 1555. I. M. Bonell. 1558. et haud dubie aliis appositae sunt: ego de iis editionibus loquor, quas ipse vidi atque contuli. Eas lectiones quod raro commemoro, ne quis temere neglectas a me esse existimet, scito maximam partem desumptas esse ex editione Aldi aut Taurinensi 1518. aliave eiusdem stirpis. Quare quum Aldi editionisque Taurinensis scripturam diligenter excerptam exhibeam, nihil attinebat, eamdem iterum adscribere ex margine editionum istarum. Quod ad v. 144. annotatum legitur, *alii tua tecum est*, est ex Ascensianis, sed corrupte: nam in Ascensianis, ut metrum postulabat, *tua est tecum.* Caeterum suspicor hanc variarum lectionum farraginem deberi L. A. Iuntae, et ex huius editione ea, quae prodiit, teste Heynio, Venetiis a. 1519. transfusam esse in alias editiones.

*Aldina II.* 8. Titulus idem qui in Aldina I. sed adiectum est: *Quae Omnia Nuper Diligentius Sunt Emendata.* In fine: *Venetiis, In Aedibus Haeredum Aldi, Et Andreae Soceri, Mense Martio, M. D. XXXIIII.* Consentiunt Aldina I. et II. foliorum numero, nisi quod absunt ab Aldina II. quae in fine Aldinae I. leguntur, admonitio de Priap. LXXVII. (ed. Burm.) versu 15. et Erratorum index. Verum autem esse, quod titulus Aldinae II. praedicat, comprobatur Diris, ubi v. 67. *limphas* Ald. I. *lymphas* Ald. II. v. 105. 6. *puella, Et uobis tacite* Ald. I. *puella Est uobis*: *tacite* Ald. II. v. 145. *misere* Ald. I. *miserere* Ald. II. ut taceam hic illic mutatam esse interpunctionem. Gravior discrepantia cernitur his locis: v. 13. 31. 82. 94. Videtur autem editoribus, qui proxime post Aldinas successerunt, Aldina I. magis quam haec Aldina II. innotuisse: sic praeclarum illud Aldinae II. inventum Dir. 82. *praetorum*, diu latuit. Noverat Aldinas N. Heinsius, saltem secundam, et usus est utraque Burmannus.

*Basil.* 1543. 8. *Publii Vergilii Maronis Opera, Duobus Tomis Distincta, Et Accuratissime Cum accessione haud parua excusa, Basileae, Apud Nicolaum Bryling. Anno M. D. XLIII.* Opera maiora cum scholiis atque annotationibus, partim in margine positis, partim extremo libro adiectis, Phil. Melanchthonis, Christoph. Hegendorphini, Steph. Doleti, al. Culex, ut diserte monetur, *ex castigatione Petri Bembi uiri eruditi.* Nempe prodierat a. 1530. P. Bembi Liber de Culice. Dirae mixta scriptura, partim ex vulgata, partim ex

Aldinis, et quidem, ut videtur, ex Aldina I. non sine vitiis. Attamen loci quatuor, vel quinque, eo modo concepti et correcti sunt, quo in nulla ante hanc Basileensem correctos vidi: *crebro* v. 41. *Conditio similis fuerat* v. 151. *egon'* v. 156. *primus* v. 162. et *praeterea* v. 152. Brylingero haec deberi non dixerim. *crebro* v. 41. iam invenerat in Haganoensi 1531. Wernsdorfius. Praeterea Brylingerus quoque varietatem lectionis in margine posuit, plerumque diversam ab ea, quae est in Lugdunensi 1529. sed in qua pauca sunt digna memoria: pleraque ex Aldinis.

Praecesserat alia quaedam Basileensis. Nam quae pag. 667. seq. inserta est typographi praefatio vel admonitio, subscriptum habet a. 1539.

*Veneta* 1544. f. *P. Virgilii Maronis Opera Nunc Recens accuratissime Castigata. Cum XI. Acerrimi Iudicii Virorum Commentariis: Quorum nomina versa pagina īdicat. Venetiis Apud Iuntas M. D. XLIIII.* et in fine: *Venetiis Apud Haeredes LucaeAntonii Iuntae Florentini Mense Martio, M D XLIIII.* Refert fere Aldinam I. De varietate lectionis in margine cf. ad Lugdunensem 1529.

*Mogunt.* 1549. 8. *Vergilius Philippi Melanchthonis. Scholiis Doctissimis Illustratus. Adiecimus doctas et perbreues Christophori Hegendorphini in IIII. Georg. Annotationes. Adiunximus item in omnia Vergilii opera, ex Stephani Doleti de lingua Latina commentariis, annotatiunculas. Moguntiae. Excudebat Ivo Schoeffer.* Titulum excipit Phil. Melanchthonis praefatio: Ad Lectorem Philippus Melanchthon. Anni indicium, quod nullum est in titulo, sumpsi ex typographi praefatione, qua ille suam lectori operam commendat, praemissa Annotatiunculis Stephani Doleti extremo libro subiectis. Quae praefatio subscriptum habet a. M. XLIX. (sic). Annotationes et scholia, ad maiora quidem opera Virgilii, ea fere, quae sunt in Basil. 1543. sed tamen non omnia; ad Opuscula autem aliquid annotatum varietatis, sed rarissime. Deinde quam modo commemorabam typographi Moguntini praefationem, tota impudenter descripta est, paucis mutatis, ex Basil. 1543. vel alia huius generis. Vitia sat multa et gravia. Huius Moguntinae non ubique mentionem feci.

*Veneta* 1555. f. *Pub. Virgilii Maronis Poetae Mantuani Opera Omnia Innumeris Pene Locis ad veterum P. Bembi Cardinalis. Et Andreae Naugerii Exemplarium fidem, postrema hac editione castigata. Cum XI. Commentariis, Denuo Post Omnes Omniumque Editiones, per quam diligentissime castigata, atq; elaborata. Venetiis,*

*Apud Hieronymum Scotum. M. D. LV.* Aldinam refert, ita tamen, ut differat aliquoties, et scripturam, quae circumferebatur ante Aldinas, retineat: ut *umbras* v. 28. *Ipsa* v. 33. *dixi* v. 66. *remeantibus* v. 69. *relinquant* v. 78. *hostis* v. 94. *viticula* v. 115. *currite* v. 121. *tua est tecum* v. 144. Sed quod magis observatione dignum, quatuor vel duo certe loci eum in modum correcti sunt in hac Veneta Scoti, quo vix corrigi, sive interpolari, potuisse nisi a viro docto dicas: v. 138. 142. 147. 148. De duobus prioribus dubites, an sint casu et per errorem ita scripti; in posterioribus manifesto se prodit manus docta. Igitur de his dicam iterum, quum ad Antverpiensem 1566. pervenero. Doceri autem velim, quum Venetae Scoti 1555. aliam praeivisse eiusdem Scoti probabile sit, ac re vera, Heynio teste, prodiit anno 1544. Veneta ap. Hieron. Scotum: doceri velim, inquam, an loci illi iam in hac sint eodem modo scripti. Caeterum Venetae Scot. 1555. margo easdem varias lectiones continet, de quibus dixi ad Lugdunensem 1529.

*Lugd.* 1556. 12. *Pub. Vergilii Maronis Opera. Scholiis doctissimis illustrata. Adiecimus doctas & perbreues Christophori Hegendorphini in* IIII. *Georg. Annot. — Lugduni, Apud Ioannem Frellonium*, 1556. Libellus nitidus. Scholia, ad Opera maiora, ea quae sunt in Mogunt. 1549. Culex est *ex castigatione Petri Bembi viri eruditi.* In Diris convenire huic Lugdunensi solet cum Basil. Bryling. 1543. etiam in locis illis quatuor, sed v. 152. *praeterea* est in Lugd.

*Antverp.* 1556. 12. *Pub. Virgilii Maronis Opera, Vna cum Opusculis, quae eius nomine circumferuntur, omnibus. Omnia quam diligentissime correcta. Antverpiae, Excudebat Martinus Nutius, sub Ciconiis. M. D. LVI.* Prima ex meis, in qua *Mittant* v. 23. *en* v. 93.

*Veneta* 1558. f. *P. Virgilii Maronis, Poetae Mantuani, Vniuersum Poema: Cum Absoluta Servii Honorati Mauri,* etc. *Quae Non, Vt Antea, Plurimis Foedata mendis, sed acri studio emendata,* etc. *Venetiis Apud Ioannem Mariam Bonellum. M. D. LVIII.* Haec Aldinam, et quidem priorem, pressius sequitur quam Veneta Scoti. Nitida adspectu, sed vanam deprehendi promissionem tituli eo, quod peccata typographica insunt non pauca, iam animadvertit Heynius. Diris et reliquis Opusculis eaedem variae lectiones in margine, quas esse in Lugd. 1529. et in Venetis Iunt. 1544. Scot. 1555. diximus, appositae sunt, sed tamen non omnes.

Hoc tempore alia varietas lectionis, ad Opuscula quidem, colligi atque collocari in margine coepta est, ab ea, quae in marginibus Lugd. 1529. et Venetarum Iunt. 1544. Scot. 1555. Bonell. 1558. et rursus ab illa, quae in marg. Basil. Bryling. 1543. edita est, diversa. Ea, nisi fallor, primum comparuit in editionibus Venetis Pauli Manutii, collecta, ut puto, ab ipso Paulo Manutio: certe quum Paulum Manutium ad maiora Virgilii opera annotationes, brevissimas illas, apposuisse in margine constet, nihil impedit, quominus ad Opuscula varietatem lectionis esse ab eodem adiectam coniiciamus. Quaeritur autem, quando primum Paulus Manutius Virgilium annotationibus marg. instructum ediderit. Factum id est a. 1558. Heynio teste, qui in priore Pauli Manutii editione a. 1555. nondum apparere annotationes scribit. Deinde varietas lectionis, quam dixi, in Antverpienses devenit.

*Basil. H. P.* 1561. f. *P. Vergilii Maronis Opera, quæ quidem extant, omnia: Cum Veris In Bucolica, Georgica, & Aeneida Commentariis Tib. Donati & Seruii Honorati, summa cura ac fide a Georgio Fabricio Chemnicense emendatis: Quibus accesserunt etiam Probi Grammatici, Pomponii Sabini, Phil. Beroaldi, Ioan. Hartungi, Iod. Vvillichii, Georg. Fabricii, Bonfinis, & aliorum Annotationes. Basileæ, Per Henrichum Petri, Anno Salutis Humanae M. D. LXI. Mense Martio.* Haud dubie repetitio editionis 1551. ex eadem officina, sed repetitio accurate facta. Praeposita est Epistola Georgii Fabricii Chemnicensis ad Valentinum Gravium Senatorem Fribergensem, data Misenae Hermundurorum, e ludo illustri: Idib. Augusti M. D. XLVII. Haec quoque scripturam mixtam habet, pleraque ex Aldina, nonnulla ex aliis.

Addo statim repetitionem a. 1575. factam: *Basileæ, Ex Officina Henric Petrina Anno Salutis Nostræ Recuperatæ* CIↃ. IↃ. LXXV. *Mense Martio.* Paginae respondent paginis editionis 1561. In Diris nulla nisi vitiorum accessio.

*Antverpiensis* 1566. 8. Haec quo modo conceptas Diras ipsa exhibeat, non curavi, ac videtur parum differre a praecedentibus; sed variarum lectionum, quae sunt in margine eius ad Opuscula, Culicem, Diras, Cirin, Moretum, Copam, Aetnam, Catalecta, editae, accuratam notitiam mihi comparavi a Geelio meo. Is etiam titulum libri mecum communicavit: *Opera P. Virgilii Maronis. Paul. Manutii annotationes brevissimae in margine adscriptae. Homeri loca magis insignia, quae Virgilius imitatus est. Georg. Fabricii Chemnicensis Observationes Virgilianae lectionis. Antverpiae Chr. Plantin.* 1566. De prae-

fatione Plantini cf. Heynius. Variae lectiones in margine Dirarum editae hae sunt: ad v. 7. *fient.* v. 23. *Mutant* (sic). v. 28. *frondeis alias herbas.* v. 31. *succidet.* v. 82. *Prætorum.* v. 121. *riui, labentes currite.* v. 125. *Heu male.* v. 147. *quæ Pana Deum, nisi.* v. 148. *nostis.* v. 181. *quo.* Quo de numero si detraxeris ea, quae ex Aldinis vel ex libris ante Aldinas vulgatis sumpta sunt, quo quidem etiam *Mutant* v. 23. pertinet, quod vitiose scriptum est pro *Mutent*; deinde si *frondeis* ad v. 28. non varietatem lectionis esse, sed explicationem animadverteris, cuiusmodi explicationes in Opusculis etiam alibi, licet raro, margo Antverpiensis habet: duo restant memoratu digna, illud quod ad v. 147. appositum est, *quæ Pana Deum, nisi* et quod ad v. 148. *nostis.* Ea fuit quum a Paulo Manutio ex sua coniectura apposita existimabam: nunc quum eadem in Veneta H. Scoti 1555. edita legantur, ex hac, vel ex alia eiusdem stirpis, sumpta a Paulo Manutio coniicio: cuius autem viri docti coniecturae sint, nam coniecturas esse certum est, ignoro.

Habeo Lugdunensem, apud Ant. Gryphium, M. D. XCII. 12. expressam ex Antverpiensi 1566. vel ex alia Antverpiensi eiusdem familiae, vel etiam ex aliqua priore Gryphiana: titulus idem, qui in Antverpiensi 1566. eademque lectionis varietas in margine, nisi quod ad v. 23. *Mutent* legitur; in fine Pauli Manutii in Virgilium Praefatio ad Torquatum Bembum, Petri F. data Venetiis, M. D. L. V.

Pervenimus ad *Scaligerum,* de quo quaedam non trita monenda sunt. Apparuit primum Scaligeri liber anno 1573. hac inscriptione: *Publii Virgilii Maronis Appendix, Cum supplemento multorum antehac nunquam excusorum Poematum veterum Poetarum. Iosephi Scaligeri In Eandem Appendicem Commentarii & castigationes. Ad Clarissimum Virum Iacobum Cuiacium, Iuriscons. nostræ ætatis facile Principem. Lugduni, Apud Guliel. Rovillium, M. D. LXXIII. Cum priuilegio Regis.* 8. Id opus tripartitum est. Primo loco Appendix Virgiliana, quae rursus duas in partes discernenda est: Opuscula, h. e. Culex, Ciris, Aetna, etc. et Variorum Poetarum in Virgilii Opera, et Vitam, Praeconia cum maiore, quam antehac accessione. Secundo: Veterum Poetarum Catalectorum Libri Duo. Tertio: Iosephi Scaligeri Iul. Caes. Filii Ad Appendicem Virgilianam Notae. Quae Notae, sive Castigationes, sive, ut ipse dicit in Epistolis statim laudandis, Coniectanea, non nisi ad Opuscula pertinent. Huic primae Scaligeri editioni Petrum Pithoeum praefuisse iam Burmannus Epist. ad Hoppium Anth. Lat. T. I. p. XXXI. seq. monstravit ex Epistolis Scaligeri Lib. I. Ep. XXXI. et XXXII. XXXIII. XXXIV. Inprimis huc pertinet epistola XXXI.

unde cognoscitur duplex Pithoei hac in re munus fuisse. Catalecta Veterum Poetarum enim, et Coniectaneorum librum, Pithoeo Scaliger mittit sua, ut puto, manu descripta, et plane ita constituta, ut ipse edi ea volebat. Itaque in his correctoris partes, eo sensu, quo nunc solemus correctorem dicere, peragendae Pithoeo erant, nihil amplius. Opuscula vero non emendata suis emendationibus, quas reposuisse Coniectaneorum libro satis habebat, sed tantum purgata ab vitiis manifestis, et non interpolata virorum doctorum mutationibus exhiberi volebat; atque huius rei, quam ipse peragere neglexisset, curam Pithoeo demandat. Verum ne hac quidem in re satis esse voluntati Scaligeri factum, et edita legi in Opusculis, quae, si adfuisset, dum edebantur, studiose correcturus fuisset Scaliger, uno exemplo, quod sit instar omnium, probo: versu Dirarum 41. ubi editum legitur in editionibus Scaligeri illud, quod ipse in Coniectaneis *nescio quod monstrum* illatum in editiones recentiores *impudenti audacia* dicit. Etsi de hoc quidem loco iniuria ita iudicat Scaliger. Habemus igitur in editionibus Scaligeranis Opuscula ex ea fere recensione, quae proximas ante Scaligerum editiones non paucas obtinebat, non e recensione Scaligeri. Ut apertum sit, si quis in Opusculis certo cognoscere, quid voluerit Scaliger, cupiat, eum Coniectanea adire Scaligeri debere: quae ubi tacent, saepe quid visum sit illi, incertum est. Neque enim omnia a se emendata esse in Coniectaneis, vel potuisse emendari, aut credidit Scaliger, aut persuadere aliis voluit. Tam modeste loquitur in Epistola ad Cuiacium, alibi. Hinc explicandum, quod in extrema annotatione ad Aetnam scriptum est: *unus mensis, in quo haec omnia opuscula recensuimus,* loquitur de hoc Coniectaneorum libro. Non monuissem tam diserte, si hoc omnibus perspectum esse scirem. At Heinsius certe ac Burmannus non habuere perspectum, dum ad Dirarum vs. 44. ita disserunt, acsi vulgatum *arbor* propugnatorem habeat Scaligerum. Scilicet illum Scaligerum, qui primus in Coniectaneis corruptam esse eam vocem, et quomodo emendanda esset, observavit. Quod *arbor* editum legitur in Scaligeranis editionibus, factum est aut non curante Scaligero, aut voluerat ita edi, tamquam scripturam vulgatam; emendationem reservabat Coniectaneis. Itaque etsi indicare, quid editio Scaligerana habeat editum, soleo, si qua tamen non diserte mentionem eius factam viderint, tranquilli lectores sunto, et nihil in illa dignum memoria esse persuasum habeant. Omnino praeter illam mutationem sane quam magnam et praeclaram, qua suo auctori haec carmina nostra vindicata sunt, VALERII CATONIS DIRAE, nihil reperio in editione Scaligeri, quod non ex alia ante Scaligerum editione annotaverim. Sed operae pretium erit addidisse illum ex epistola XXXI. libri I. locum, tum ut vera esse appa-

reat, quae ex eo loco disputavi, tum ut attingam aliud, quod in eo obscure scriptum est. Ita igitur ibi pag. 138. ad Petrum Pithoeum scribit: *Quantum ad textum Opusculorum, & reliqua Appendicis Virgilianae, nihil decrevi attentare. Tu tantum quae tibi videbuntur leviuscula mutabis. & non nisi quae tuto mutari possunt. Ego chartae meae quam legent operae, notas Codicis Antverpiensis apposui. tamen sunt multa quae temere mutata sunt a nescio quo * * *, quae tu restitues.* Quis sit ille, qui non nominatur, videor mihi assequi. Prorsus simili enim modo Scaliger in Coniectaneis, maxime ad Culicem, quum Bembinam scripturam, aut Aldinam, damnat, quod cupidissime facit, Correctores, non nominatos, reprehendere, atque impugnare librorum auctoritate antiquitus excusorum solet: conf. in Culicem v. 100. 263. 375. 378. 379. 406. in Diras v. 41. 70. Quod autem nusquam nomen ponit Correctoris istius, vel Correctorum istorum, id factum esse, ut significaret contemptum, arbitror. Nam quod aliquis dicat, fortasse Scaligerum libro Bembi de Culice Aldinisque non ipsis, sed tantum recentioribus quibusdam editionibus, quales sunt ex Aldinis expressae non paucae, et quae Culicem ex castigatione Bembi habent, nonnullae, usum esse, ideoque ignorasse, quis primus ista tam multa novasset in his Opusculis: primo parum probabile est, incognitas Scaligero Aldinas cum libro Bembi fuisse; deinde conferenti locos a me allatos patebit loqui Scaligerum tamquam eum, cui Correctores isti qui fuerint, probe notum sit. Aliquanto difficilior de *Codice Antverpiensi* quaestio est, cuius se *notas* apposuisse chartae ab operis exprimendae scribit. Eum codicem fuisse Catalectorum manu scriptum, qua tandem probabilitate Burmannus l. l. Epist. ad Hoppium p. XXXII. statuit, quum neque codicis Catalectorum Antverpiensis usquam mentionem factam esse a Scaligero, aut ab alio quopiam, constet, et illud de *notis Codicis Antverpiensis* scriptum sit ita, ut ad Opuscula non minus quam ad Catalecta, vel potius magis ad Opuscula, quam ad Catalecta, pertineat? Praeterea quis Scaligerum *notas* dicturum fuisse credet, si voluisset varias lectiones codicis alicuius significare? Ego aliud conieci, idque statim confirmatum habui. Editioni Scaligeri primae, Lugdunensi, appositae sunt in marginibus variae lectiones satis multae numero; quas postea Lindenbruchius in unum collectas extremo libro addi curavit. Sunt autem generis non eiusdem. Quae enim in Opusculis appositae sunt omnes, et pars earum, quae Praeconiis in Virgilium, et Catalectorum libris, plane nullam additam notam habent, unde cognosci queat, utrum ex libro aliquo desumptae sint, an coniecturae, et cuius viri docti coniecturae debeantur. Bis de coniectura agi manifestum est: pag. 54. ubi ad Aetnae versum 534. in margine legitur: *f. Omniaque e.* et in Catalectis Vir-

gilii p. 95. (Anth. Lat. lib. II. CCXLIII. 11.) ubi: *Forte, hinc leteos ite.* Neutram vero a Scaligero esse, Coniectanea evincunt, in quibus ille omnia alia. Alterum locorum genus eorum est, qui partim in Praeconiis, partim in Catalectis Veterum Poetarum, multi sunt, in Opusculis nulli, quibus variae lectiones appositae sunt cum nota *v. c.* Atque has quidem lectiones ex aliquo codice vetere, vel ex pluribus, petitas esse nemo dubitet: etsi quis fuerit codex ille, vel qui fuerint codices, non liquet. Verum quid de illo genere iudicabitur, ubi varias lectiones, sine ulla nota, margo Scaligeri praebet? Ex libris scriptis haustas esse eas lectiones a Scaligero? Coniecturas esse Scaligeri? Collectas esse alicunde a Scaligero? Nihil horum potest: tam sunt partim tritae ac futiles, partim libris scriptis contrariae, partim alienae a mente Scaligeri. Ergo suspicio mihi incidit, eas ex margine alius cuiusdam editionis translatas in marginem Scaligeranae esse. Rogavi Geelium, ut inspiceret Virgilium Antverpiensem Plant. 1566. Inspexit, atque confirmavit suspicionem meam plenissime. Quascumque margo Scaligeri in Culice, Ciri, Aetna, Moreto, Diris, Catalectis Virgilii, Copa, varias lectiones praebet, eaedem omnes iam editae in margine Antverpiensis 1566. inveniuntur; id tantum differt, quod tribus variis lectionibus margo Antverpiensis plenior est, duabus in Ciri, una in Catalectis Virgilii: quae quidem casu videntur omissae esse in Scaligerana. Deinde quater vel quinquies variatum est aliquid, ut Dir. v. 23. ubi *Mutant* marg. Antv. *Mutent* margo Scaligeri, et ad Catalectorum locum, quem paullo ante commemorabam, marg. Antv. *Forte, hinc leves ite.* margo Scal. monstruose: *Forte, hinc leteos ite.* Iam igitur id quoque tenemus, quae sint *notae Codicis Antverpiensis*: *notas* Scaliger proprie dicit, et *Codicem Antverpiensem*, non manu scriptum, sed editionem Antverpiensem, sive hanc, quam dixi, a. 1566. ipsam, sive aliam cognatam: nam plures tum Antverpienses ex off. Plantini prodierant. Scilicet Scaliger, quum festinaret, neque poemata quomodo ederentur studiose curavit, qua de re ante dictum est, et satis facturus temporis sui hominibus, qui amabant apparatum criticum qualemcumque proxime appositum in margine, varietatem lectionis apposuit, non a se diligenter conquisitam lectamque, sed descriptam ex margine alius cuiusdam editionis, et quidem eius editionis, cuius tum exempla manibus terebantur omnium. Hinc apparet, quantum tribuendum sit margini Scaligeri: nempe non plus tribuendum quam margini Antverpiensis; quid autem margo Antverpiensis valeat, supra dictum est, ubi de Paulo Manutio et Antverpiensi 1566. Cf. mox de margine Pithoei. Coniectanea Scaligeri in Diras si non omnia atque integra recepissem, magnum meo libro ornamentum deesse existimarem. Quod si quis inter praeclara atque unice

vera animadverterit etiam falsa et partim mira esse, is cogitet, in viris magnis non tam illud circumspiciendum, quo illi imbecillitatis participes humanae deprehenduntur, quam virtutem admirandam esse; praeterea illud supra indicatum, in extremis castigationibus ad Aetnam, et in Aetnam principium, et haec legat, quae sunt in extremas Diras scripta. Nihil sibi egisse videbatur vir summus, et multa acute observata nulli sibi laudi esse ducebat, quod alia minus vere a se observata, alia praeterita esse silentio sentiret. Ego vero ingenium Scaligeri inprimis factum fuisse ad poetas duriores, quales hi sunt, emendandos atque explicandos censeo. Proprietatem eorum, et esse aliquam scribendi artem ab elegantia aevi Augusti diversam, perspexerat divino acumine: si morari in his poetis, si plures exspectare libros voluisset; deinde si illud Bembi Aldinarumque odium compescuisset, quod facturum fuisse diuturniore cogitatione, et pluribus libris adiutum, confido, non multum aliis peragendum reliquisset. Ad Culicem, Aetnam, Moretum, ad Priapeia, Copam, Elegiam de obitu Maecenatis, nonnihil Scaliger subsidii ex libris scriptis habuit: veluti ad Culicem et Copam membranam sive membranas Antonii Contii I. C. laudat; ad Culicem, Moretum, itemque ad Copam, membranam sive schedas P. Pithoei. Ad Cirin, Diras, et Catalecta Virgilii, nullum librum scriptum habuit, certe nullum, quem dignum mentione iudicaverit. At veteres editiones, vel ut ipse dicit, obsoletae editiones, antiquitus excusi, veteres excusi codices, ad omnia Opuscula, praecipue ad Cirin, laudantur Scaligero, inter quas fuisse antiquissimas, h. e. eius fere aetatis, ad quam nostrae antiquissimae Venetae pertinent, probabile est. Sic in Ciri v. 375. *auibus* esse in omnibus antiquitus excusis monet: recte, nam ita Veneta Rubei cum codice Basileensi; *senibus* Vicentina demum cum Vossiano II. et cum Pomponio. Quod monui propter Heynium, qui nullam satis antiquam editionem habuit. Tamen certo dici, quae editiones veteres praesto fuerint Scaligero, nequit: cf. ad Dir. v. 80.

Altera editio Scaligeri, vel, si editionem a. 1575. cum Virgilio Val. Guellii factam annumeres, tertia, ea est, quam curavit ediditque Lindenbruchius: *Pub. Virgilii Maronis Appendix, Cum supplemento* etc. *Iosephi Scaligeri Iul. Caes. Fil. In eandem Appendicem Castigationes & Commentarii multis in locis aucti. curante edenteque Friderico Lindenbruch: cuius & Notæ additæ. Lugduni Batavorum, Ex Officina Plantiniana, Apud Franciscum Raphelengium,* cIↄ. Iↄ. xcv. 8. Ea et alii uti solent, et nos usi sumus plerumque. Nactus erat Lindenbruchius, ut ipse p. 288. narrat, exemplar prioris editionis, in quo a Scaligero ipso *plurima addita*, *quaedam etiam mutata erant*: ex eo ad Coniectanea addidit pagellas quatuor, in quibus observationes ad

Catalectorum libros. In Culicem Coniectanea multum aucta: accessit liber sive membrana A. Contii, cuius nulla mentio in ed. 1573. In Coniectaneis ad Diras nihil mutatum, quod gravius: unus locus leviter auctus, alter correctus. Praeterea Lindenbruchius, quod iam commemoratum est, varietatem lectionis ex marginibus relegavit ad finem libri. Lindenbruchii ipsius in Diras Notis, quae paucae sunt, suis locis usus sum. Habui etiam tertiam, vel quartam editionem: *Catalecta Virgilii & aliorum Poetarum Latinorum veterum Poematia*: *Cum Commentariis Iosephi Scaligeri Iul. Caes. Fil. Lugduni Batavorum, Apud Ioannem Maire.* 1617. Simillima Lindenbruchianae, ita ut idem videatur liber esse, mutato tantum titulo. Et insunt notae Lindenbruchii. Sed deest praefatio Lindenbruchii, et post libros Catalectorum pag. 258. Pervigilium Veneris insertum est.

Hinc, a Scaligero, varia exemplaria huius saeculi decimi sexti, et saeculi quod sequitur, conquirere destiti, quod nihil ex iis ad Diras quidem novi disci posse intelligerem. Nam hinc paullatim rarescit hoc quidem genus exemplarium, quod Opuscula coniuncta cum Operibus Virgilii habet: coeperunt in Operibus consistere editores, Opuscula neglecta iacere. Quae autem addunt Opuscula, nihil protulerunt novi. Ut quae casu oblata, examinavi quidem, sed raro commemoravi: *Lugdunensem,* quam paullo ante memorabam, *Gryph.* 1592. et *Antverpiensem, apud Lucam Bellerum,* 1580. quae titulum fere communem cum hac Lugdunensi 1592. et cum Antverpiensi 1566. et aliquid varietatis in margine editum, sed illud ab ea varietate, quae in Antverp. 1566. et Lugd. 1592. legitur, diversum, et nullius utilitatis, exhibet. Eae quod prorsus similes sint vulgatis ante Scaligerum exemplaribus, Antverpiensibus, aliis, et quod nullum emendationis Scaligeranae vestigium in se habeant, nemo mirabitur, qui consideraverit, quod modo docuimus, ipsas editiones Scaligeranas, textum quod attinet, nihil differre a prioribus illis. At eruere emendationes Scaligeri ex Coniectaneorum libro, id longum erat, neque horum typographorum, Belleri, Ant. Gryphii, opus.

Scaligerum excipit *Pithoeus,* cuius editionem Lugdunensem habeo: *Epigrammata et Poematia vetera. Quorum pleraque* etc. *Apud Iacobum Chouët. M. D. XCVI.* 8. et in fine: *Ex typographia Antonii Candidi, Lugdun.* quae tamen editionem primariam, Parisinam, satis accurate referre videtur. Constat, nisi fallor, inter viros doctos, praecipuum P. Pithoei meritum, idque satis insigne, in colligendis atque digerendis epigrammatis poematiisque positum esse. Textum, qui dicitur, certe Opusculorum, in sua editione non diligentius tractavit, quam antea fecerat in accuranda editione Scaligeri: plerumque consentit cum editione Scaligeri,

etsi aliquoties mutatum est aliquid, etiam in interpunctione. Non satis cognitam Pithoei operam Heinsius habuit, quum illi nescio quas membranas ad manum fuisse haec Opuscula emendanti putat. Ita enim Heinsius scribit ad Dir. 34. *recte Pithoeus* toties *ex suis membranis.* Ex membranis illud Pithoeus? Immo ex editionibus sui saeculi vulgatissimis. Mirum est apud Pithoeum *tanto Ioue* Dir. v. 129. ac magis mira annotatio ad eum locum, quam quum scriberet Pithoeus destitutus a memoria fuit, et alias editiones inspicere neglexit. Omnino Emendationes Pithoei adiectae libro extremo paucae sunt, et ex tempore fusae: ad Diras praeter hanc, quam dixi, una minuta observatio; ad Culicem ne una quidem, praeter hanc admonitionem, quadisertius, quam a Scaligero factum erat, Bembus Aldinaeque notantur: *Haec opuscula, potissimum vero Culex, Ceiris, Aetna, ampliores notas, aut potius iustos commentarios desiderant. Quod facile agnoscent, qui ex veterum exemplarium comparatione perspicient, quam parum illis cum vulgatis conueniat, et quantum sibi in istis Italorum quorundam ingenia permiserint. Itaque sepositis ad meliora ocia praecedentibus, notabimus in Moreto.* Retulit etiam suum in marginem Pithoeus, sive ex editione Scaligeri, sive ex ipsa editione Antverpiensi, varietatem lectionis istam, de qua dixi ad Antverp. 1566. et in editione Scaligeri: hac tantum differentia in Diris, quod v. 181. *quo* receptum est a Pithoeo in textum; ad versum autem 23. margo Pithoei *Mutant,* ut margo Antverp. Et hoc quidem, convenire margini Pithoei cum margine Scaligeri, suboluerat Burmanno ad Anth. Lat. lib. V. XXIII. p. 310. b. sed rursus oblitus est ad Diras, ubi aliquoties *marginem Pithoei* ita laudat, ac si quid in illo momenti esset: v. 23. 31. 82. itemque Heinsius ad v. 28. 147. 148. Ea observatio etiam ad alia Opuscula pertinet. E. g. quod ad Aetnae versum 67. margo Pithoei habet, *Amplexa est gnatos,* neque ex ingenio fluxit Pithoei, neque in codice ms. inventum a Pithoeo, sed assumptum est ex margine sive Scaligeri sive editionis Antverpiensis, ut reliqua, quae ad Aetnam leguntur in margine Pithoei, omnia, praeter unum *rebus* ad v. 600. quod utrum ab ipso inventum Pithoeo, an illatum aliunde sit, ignoratur.

*P. Virgilii Maronis Poemata; Lectionum varietatibus, recentium duorum optimae notae exemplarium fide collectis locupletata: Studio & opera. Christiani Egenolphi F: Francofurti,* M D C X. 8. Simillimus priori exemplarium generi, Antverpiensibus, aliis, et illis, quae proximo post Scaligerum tempore prodierunt, liber: tum eo, quod Opuscula addita Operibus Virgilii habet, tum conformatione textus, in Diris quidem, sed non maiorem puto in aliis carminibus virtutem Egenolphi

esse. Cum Antverpiensi 1580. aliquoties consentientem vidimus, ubi haec singularia et raro alibi obvia habet: v. 93. 106. 125. 138. etiam in vitiis manifestis, ut v. 52. *Quam* habet cum Antv. 1580. et v. 147. *quam* cum eadem. Sed accesserunt nova vitia, Egenolpho propria. Deinde in hac Francofurtensi cum aliqua industriae specie, sed non satis accurate varietas lectionis cumulata est in margines: partim Scaligeri, ex Coniectaneis, partim aliorum, sed ex libris editis omnia, mihique aliunde nota, praeter inepta nonnulla, quae ex nescio quo vitioso exemplari desumpta sunt: ad v. 138. 159. 165. Caeterum hoc quicquid varietatis est, non ipse collegit Christianus Egenolphus, sed deberi duabus optimis Clariss. Virorum Io. a Meyen Bergizomii Belgae, et Gregorii Bersmanni doctiss. Poetae editionibus monet.

*Poetae Satyrici Minores, De Corrupto Reipublicae Statu. Marcus Zuerius Boxhornius recensuit, & Commentariis illustravit. Lugduni Batavorum.* cIↃ IↃ CXXXIII. 12. Insunt, mira consociatio, *Sulpitiae Satyra, Anonymi Auctoris Franci Satyra de Lite, Valerii Catonis Dirae, Satyra,* cum animadversionibus Boxhornii. Non visus libellus Burmanno. Deinde Boxhornius de Catone nonnulla parum probabilia scribit ad I. Fr. Gronovium: V. Cl. Marci Zuerii Boxhornii Epistolae et Poemata. Francof. et Lips. 1679.

Boxhornii consilium secutus Satyricos minores, interque eos Catonem, *Io. Mich. Dilherrus* edidit, Ienae 1636. 12. Edidit autem, ut testatur Wernsdorfius, auditorum suorum gratia, neque quicquam praeter praefationem de vitis auctorum adiecit commentarii.

*Val. Catonis Grammatici Dirae. Christophorus Arnoldus Ex editionibus & emendationibus Variorum expressit, & repraesentavit. Accedit Eiusdem ad omnia Poëtae Commentarius Liber. Lugd. Batav.* cIↃ IↃ C LII. 12. Diras, fere ubique ad mentem constitutas Scaligeri, excipiunt *Variae Lectiones*, sed paucae, et negligenter collectae; tum verbosus iste Commentarius. Postea poenitebat Arnoldum errorum suorum, optabatque ut recudi *iuvenile schediasma illud* a bibliopolis Batavis posset: Burmann. Sylloge Epistolar. To. V. p. 343. sq. Attamen Burmannus, Dirarum editor, non ita contemnere Arnoldum debuerat, ut prorsus negligeret. Latent in Commentario Arnoldi nonnullae doctiorum virorum observationes, quas illi cum Arnoldo, dum elaborabat in Catone, rogati communicavere: Salmasii, ad v. 63. bis, ad v. 146. 169. 173. idemque est haud dubie, quem Arnoldus ad v. 9. dicit;

I. Fr. Gronovii, ad v. 7. 28. 42. 44. 169. 172. 174. Libros adhibuit nullos, ac ne unam quidem editionem paullo antiquiorem inspexit.

Habui etiam libellum, qui paucis pagellis constat: Val. Catonis Grammatici Dirae. Ad unicam atque infrequentem Christoph. Arnoldi editionem diebus canicularibus interpretandas recensuit M. Aug. Georg. Mirus Iohannei Rector. Luneburgi 1778. 12.

P. Burmanni Secundi labor, qui Diras in Anthologiae Latinae Tomo II. edidit, eo multum utilitatis habet, quod ille primus veteres libros scriptos adhibuit: Petavianum et Thuaneum, a Nic. Heinsio collatos, Mediceum, ab Orvillio. Qui sit *Vossianus* Burmanni, supra dictum est: ubi etiam de *Leidensi* Burmanni dubitationes nostras proposuimus, et de *MS. Pierii*, quem Burmannus dicit, prorsus incertam rem esse docuimus. Dictum est etiam pag. 402. de libris editis, quibus Burmannus usus est neque bonis, neque satis antiquis. Deinde Burmannus primus publicavit N. Heinsii in Catonem observationes. Verum has, ne iniuriam faciamus Heinsio, non scriptas esse ab Heinsio eo modo, quo exhibentur a Burmanno, multo autem minus eo consilio scriptas, ut ederentur, tenendum est. Sunt illae, quod partim ipsae prae se ferunt, partim aliunde probabimus, a Burmanno conflatae ex diversis, et diverso tempore scriptis, et festinanter scriptis Heinsii annotationibus. Id quum observationes prae se ferre ipsas dixi, hoc volebam, tam diversa, tam inter se pugnantia saepe in eumdem locum observata Heinsii esse, ut appareat non posse tam diversa eodem scripta esse tempore. De more suo tumultuarias observatiunculas scribendi in marginibus diserte testatur Heinsius Epist. ad I. G. Graevium, T. IV. Syll. Burm. p. 420. *Soleo, mi Graevi, quoties scriptorem ex antiquis quemcumque paullo intentiore cura perlegendum mihi propono, ea, quae inter legendum occurrunt, animadversione non indigna, margini exemplaris, quod in manu est, adlinere,* etc. Monstrabo etiam libros, quorum marginibus Heinsius in Catonem sua alleverat, quae postea collegit atque composuit Burmannus. Fuit exemplar Florentinae Iunt. cuius margini N. Heinsius coniecturas suas, et variantes ex Aldo lectiones adleverat: Burmann. Epist. ad Hoppium Anth. Lat. T. I. p. XXXIV. idem illud, in quo Excerpta, quae ad Pierium refert Burmannus. Tum duo habebat Burmannus a patruo suo Parisinae Pithoei editionis exemplaria, non solum codicum vetustiorum variantibus lectionibus, sed etiam coniecturis Heinsii tam ad Epigrammata, quam ad reliqua Poematia maiora, ubique referta: Burmann. Epist. ad Hoppium p. LIII. Cf. Burmann. ad Dir. 84. 134. 136. Et sic alibi Burmannus coniecturas Hein-

sii commemorat ex margine edit. Pithoei: Anth. Lat. T. I. p. 39. a. p. 266. a. p. 273. a. In iisdem exemplaribus edit. Pith. etiam Petaviani et Thuanei in Diras collationem factam ab Heinsio fuisse existimo. Igitur ex his libris Burmannus diversas diversis temporibus Heinsii coniecturas, opinationes, vel, ut ipse Epist. ad Graevium l. l. vocat talia Heinsius, quisquilias, collegit atque conglutinavit. Qua in re non ubique rectum assequutus est ordinem: ut exemplo docui ad Dir. 82. Insunt nonnulla digna Heinsio, ut *verna* Dir. 21. Alia multa ipsum repudiaturum ac reiecturum fuisse Heinsium puto, si unquam serio se ad edendum Catonem comparasset. Etsi dum perpendo Heinsii verbum a me pag. 329. prolatum, dubito, an illa, quam apud se alebat, persuasio, vehementer corruptum esse Catonem, unquam salutaris futura Catoni fuisset. Quas nunc ante oculos habemus coniecturas Heinsii, non tam audacia sua offendunt, quamquam etiam audacia modum excedit, ut quum v. 146. (Ecl. 43.) ex vulgato *Phoebe gerens in te laurus celebravit amorem*, versum effingit novum: *Endymioneum Latmus celebravit amorem*: quam eo, quod inutiles sunt, et saepe contra morem genusque dicendi Catonianum, vel etiam contra sententiam Catonis factae. Omnino Heinsius, quum effundebat ista, neque aetatem Catonis reputasse, neque consilium mentemque poetae, et necessarium sententiarum ordinem nexumque perspexisse videtur: unde factum, ut multis locis coniiceret ea, quae per se elegantiae speciem habent, eius maxime, cui assuetus erat Heinsius, Virgilianae, Ovidianae, sed a mente Catonis aliena sunt quam maxime. Melius res Scaligero cesserat, qui, consilium poëtae quod attinet, nexumque sententiarum, plerumque verum vidit; praeterea, de quo iam dictum, senserat Scaliger se in poeta versari antiquo. Burmannus admirari solet coniecturas Heinsii; nonnulla tentavit ipse. Quae ego, ut Heinsiana, diligenter commemoravi omnia, sed omissis disputationibus longioribus, e. g. Heinsii ad Dir. 40. 1. ubi alios poetas pertractat, et v. 55.; Burmanni ad v. 7. de confusis alibi vocibus *multa* et *muta* disserentis; eiusdem ad v. 100. Repetii etiam aliorum virorum collectas a Burmanno coniecturas, eamque collectionem ipse auxi tam ex antiquioribus, quam e recentioribus, ut ex Wakefieldio in Lucret. Quamquam hae quoque, ut Heinsianae, subito factae sunt pleraeque, et ab iis, qui nullam cum Catone familiaritatem contraxisse videntur.

Io. Christianus Wernsdorfius primum Catoni locum inter Satyricos Minores assignavit, Poet. Latin. Minor. Tom. III. Fuit autem Wernsdorfius neque cupidus emendandi, quod valde laudo, neque si quando tentat emendationem, ut Dir. 41. 78. 169. (Ecl. 66.) tentat, felix: at

in explicandis sententiis non inutili cura elaborat, et aliquid hic illic boni extricavit. Adhibuit, sed parce laudat, codicem Helmstadiensem. Deinde ad Dir. 9. et 41. commemorat librum neque antiquitate insignem, neque alia re, quantum video, editionem Haganoënsem per Secerium 1531. 8. cuius etiam ad Aetnam mentionem facit.

*Valerii Catonis Dirae. Panegyrin Academicam peractis hoc anno certaminibus civium litterariis — rite celebrandam indicturus cum brevi notatione critica edidit Henr. Carolus Abr. Eichstadius, Theol. D. Eloq. et Poes. Professor. Ienae* 1826. 4. Quaesivi Programma, non accepi: quod doleo. Sed legi, quae de eo Silligius retulit in Annalibus Iahnii To. II. 1826. Fasc. II. ubi etiam suas quasdam coniecturas atque observationes proposuit Silligius.

*Valerii Catonis Poemata recensuit et praemissa commentatione additisque animadversionibus illustravit Carolus Putschius Seminarii Philologici Ienensis Sodalis Ord. Ienae, MDCCCXXVIII.* 8. De hoc quoque libro retulit, suasque observationes addidit Silligius, in Annalibus Iahnii a. 1829. T. I. Fasc. I. Et ego in Museo Rhenano Vol. III. Fasc. I.

# INDEX.

---

## CORRIGENDA.

*P.* 4. *v.* 34. *scribe* Necquicquam. *Ibid. v.* 42. *post* vites *pone punctum. p.* 85. *v.* 30. *leg. Iouis. p.* 89. *v.* 14. *rete iaculum. p.* 91. *v.* 15. Virgilii editione. *p.* 179. *v.* 19. natum. *p.* 187. *v.* 27. ubi nonnulla. *p.* 192. *v.* 20. Monac. *p.* 256. *v.* 10. erroremque mittam B.